





C 212.4
HARVARD UNIVERSITY LIBRARY
VE RI TAS
FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT
MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST
MDCCCC
GIFT OF JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE
R 430



DECRETA AUTHENTICA

SACRAE CONGREGATIONIS

INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS

PRAEPOSITAE

AB ANNO 1668 AD ANNUM 1882

EDITA

JUSSU ET AUCTORITATE

SANCTISSIMI D. N. LEONIS PP. XIII.



RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOST. ET S. CONGREG. INDULG. ET RELIQ. TYPOGR.

MDCCCLXXXIII.

Romae, apud librariam de Propaganda Fide et Ant. Saraceni, via vulgo Universitatis, 13.

DECRETA AUTHENTICA

SACRAE CONGREGATIONIS

INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS

PRAEPOSITAE

AB ANNO 1668 AD ANNUM 1882

EDITA

JUSSU ET AUCTORITATE

SANCTISSIMI D. N. LEONIS PP. XIII.



RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. CONGREG. INDULG. ET RELIQ. TYPOGR.
MDCCCLXXXIII.
Romae, apud librariam de **Propaganda Fide** et **Ant. Saraceni,** via vulgo Universitatis, 13.

Hæc editio venalis prostat apud præcipuos bibliopolas omnium regionum.

Decretum.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praeposita postremis hisce annis non pauca ad praxim valde utilia decrevit, quae etsi magna quidem ex parte in lucem edita, nondum tamen omnia authentica ratione evulgata sunt. Ne diutius igitur haec laterent, operae pretium visum est recentiora decreta addere antiquioribus, unaque simul collecta typis committere, ut praesto foret omnibus collectio eorum decretorum, quae Sacra Congregatio publici juris fieri utile censuit.

Quo autem hujusmodi collectio omnibus numeris absoluta evaderet, Sanctissimus D. N. Leo PP. XIII. expresse mandavit, ut in ea cuncta decreta ex ipso tabulario sacrae Congregationis immediate educta, accurateque revisa insererentur. Quod quidem mandatum Sanctitatis suae ut rite perficeretur, praesens decretorum sylloge per Secretariam ejusdem sacrae Congregationis diligenter confecta est. Quam idcirco Idem Sanctissimus D. N., in audientia habita die 19 Augusti 1882 ab infrascripto Secretario, auctoritate sua apostolica approba-

vit, et uti authenticam ab omnibus retinendam esse praecepit, deque his decretum exarari, atque huic editioni Ratisbonensi cusae typis Friderici Pustet praefigi jussit.

Datum Romae die 19 Augusti 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praefectus.

Franciscus **Della Volpe** Secret.

(L. S.)

CLEMENTIS PAPÆ IX.

Constitutio

qua erigitur Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita.

CLEMENS PAPA IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In ipsis Pontificatus Nostri primordiis, cum multas Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationes ad certarum rerum et negotiorum in amplissimam Romanae Curiae alveum ex omnibus mundi partibus assidue confluentium tractationem atque determinationem, a fel. record. Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, ad Ecclesiae catholicae ac ditionis temporalis ejusdem S. R. E. utilitatem prudenti salubrique consilio institutas reperissemus, quae incumbentem Nobis ingentem curarum molem pro sua quaeque parte sublevarent; nullam tamen adhuc erectam videremus, quae sacri indulgentiarum thesauri curae et dispensationi, sacrarumque Reliquiarum recognitioni, disquisitioni et rectae dispositioni peculiariter incumberet: Nos eundem inaestimabilem thesaurum fideli dispensatione erogare, et omnia, quae sacras Reliquias hujusmodi contingunt, recte atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex memoratis Cardinalibus ac aliquos Curiae praedictae Praelatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina, et rerum usu eximie praeditos selegimus, quorum consilio, opera et industria tam gravem muneris Nostri partem ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem ac spiritualem Christifidelium aedificationem facilius implere valeremus. Hi vero subinde, prout rerum et negotiorum momenta postulabant,

insimul convenientes, commissam sibi a Nobis provinciam recte et fructuose, atque ex animi Nostri sententia hactenus administrarunt. Quapropter sperantes in Domino, non minus utiliter in futurum quoque desudaturam esse eorum industriam, ac salubris consilii, quod auctore Deo suscepimus, fructum, Eodem adjuvante atque incrementum dante, perennare desiderantes: Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine Congregationem ejusdem S. R. E. Cardinalium ac Praelatorum et aliorum virorum praedictorum a Nobis, ut praefertur, electorum et deputatorum, ac in futurum tam a Nobis, quam a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus eligendorum et deputandorum, *cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat (Nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis) expediendi; ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos judicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero judicialem formam requirentes ad proprios Judices remittendi; falsas, apocryphas, indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra seu illius auctoritate rejiciendi; Reliquias de novo inventas, quas rec. mem. Innocentius Papa III. Praedecessor Noster in generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas prohibuit, recognoscendi quoque et examinandi: ac in concedendis indulgentiis, Sanctorumque Reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi* tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus. Decernentes easdem praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et ob-

tinere, nec de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aliove quolibet, etiam substantiali et formali ac incogitato et inexcogitabili, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci ullo modo unquam posse; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de latere Legatos et alios quoslibet, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis quibusvis personis et locis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita

forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6 Julii 1669 Pontificatus Nostri anno tertio.

I. G. Slusius.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1669, Indictione septima, die vero 10 mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Clementis Divina Providentia Papae IX. anno tertio, supradictae Litterae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Basilicae Lateranensis, Principis Apostolorum, et S. Mariae Majoris de Urbe, et in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Laurentium Barbigionum SS. D. N. Papae Curs.

Alexander Albritius Curs. Mag.

NB. Quamvis s. m. Clemens PP. IX. per supra relatam Constitutionem d. d. 6. Julii 1669 perpetuo instituerit Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam, tamen jam inde ab anno 1667 sub die 4 Augusti eamdem instaurandam susceperat; quare etiam decreta referemus, quae anno 1668 edita sunt.

Series chronologica
Decretorum Sac. Congr. Indulgentiarum.

Index alphabeticus locorum, dioecesium, Ordinum,
unde causae sunt propositae.

DECRETA AUTHENTICA
SACRAE CONGREGATIONIS
INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS
PRAEPOSITAE
AB ANNO 1668 AD ANNUM 1882.

1.

1668 10 Aprilis. **Reliquiae.**

Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita de notis disceptaretur, ex quibus verae Sanctorum Martyrum Reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint: eadem Sacra Congregatio, re diligentius examinata, censuit, *palmam et vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse;* aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit.

Datum Romae die 10 Aprilis 1668.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus Riccius Secret.

2.

1668 10 Aprilis. **Indulgentia plenaria in forma jubilaei.**

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarat, confessarios ecclesiae parochialis S. Mariae Castrivillarum, virtute asserti Brevis indulgentiae plenariae in forma jubilaei praefatae ecclesiae a fel. rec. Pio IV concessae, non habere facultatem absolvendi a casibus et censuris Episcopo vel Summo Pontifici reservatis: et prohibet omnibus confessariis praefatae aut alterius ecclesiae,

etiam regularibus tam praesentibus quam futuris sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, et Summo Pontifici pro tempore reservatae, necnon sub aliis poenis ad arbitrium Suae Sanctitatis, ne tali facultate utantur. Mandat insuper, ut transsumptum praesentis decreti semper maneat affixum in sacristia ejusdem ecclesiae parochialis sub gravi poena arbitraria, etiam corporali: et Illustrissimus Dominus Episcopus Cassanensis, aut sede vacante, Vicarius *pro tempore*, invigilet, ut praesens decretum observetur.

Datum Romae die 10 Aprilis 1668.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

3.

1668 19 Junii. **Beatorum altaria visitantibus non conceditur indulgentia.**

In Congregatione Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum habita die 19 Junii 1668 Rector Collegii PP. Societatis Jesu Civitatis Januensis petebat indulgentiam plenariam pro visitantibus altare Beati Aloysii Gonzagae; sed responderunt Patres, *Beatis id numquam indulgere Apostolicam Sedem,* adeoque preces rejecerunt.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

4.

1668 3 Julii. **Indulgentia plenaria in forma jubilaei.**

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarat, confratres S. Leonardi civitatis Viterbiensis virtute asserti alicujus Brevis indulgentiae plenariae in forma jubilaei ipsis a fel. rec. Pio IV concessae non habere facultatem eligendi sibi confessarium, qui ipsos absolvat a peccatis et casibus Ordinario et S. Sedi reservatis: obstantibus decretis fel. rec. Clementis VIII et aliorum Summorum Pontificum; et propterea prohibet omnibus confessariis, etiam regularibus, tam praesentibus quam futuris sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae et Summo Pontifici pro tempore reservatae, necnon sub aliis poenis ad arbitrium Summi Pontificis, ne virtute praefati praetensi privilegii aut facultatis

quemquam absolvere audeant a praedictis casibus et peccatis reservatis. Prohibet etiam confratribus et aliis poenitentibus, ne in posterum utantur praedicta facultate eligendi sibi confessarium; et sub gravibus poenis arbitrariis, etiam corporalibus, mandat, ut semper in oratorio affixum teneant transsumptum praesentis decreti.

Datum Romae die 3 Julii 1668.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

5.

1669 2 Julii. Altare ad tempus privilegiatum.

Quæsitum fuit a Sacra Congregatione, *utrum in Brevi, cujus exemplar per manus mittitur,* [1] *altaria privilegiata comprehendantur, quae minime perpetua sunt, sed ad septennium et pro aliquibus tantum hebdomadae diebus concessa; sive ibi Missae celebrentur ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione.*

Die 2 Julii 1669 EE. PP. unanimes fuerunt, *quod privilegia extendantur etiam ad altaria privilegiata ad tempus, et per Sac. Congregationem Rituum fieri extensionem.*

6.

1671 19 Martii. De communicatione indulgentiarum.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cujus praecipua cura est, ut sublatis ambiguitatibus,

[1] *Alexander Papa VII.* Ad perpetuam rei memoriam. Creditae Nobis coelitus dispensationis officium salubriter exsequi, adjuvante Domino jugiter satagentes et quamplurima dubia in diversis mundi partibus orta et in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, deducta occasione decreti ejusdem Congregationis die 5 Augusti 1662 editi ac a Nobis approbati de non celebrandis Missis de Requiem in Duplicibus tollere atque dirimere cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus in primis aliud Decretum praedictae Congregationis editum in una Novarien. die 22 Novembris 1664, quo declaratum fuit, anniversaria et Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione testatorum quotannis in die ipsorum obitus etiam in duplici majori contingentis non comprehendi in dicto Decreto. Ulterius quoad altaria perpetuo privilegiata, et in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandae sint Missae de Requiem ex obligatione, auctoritate et tenore praedictis declaramus, per celebrationem Missarum die festo currenti satisfieri dictis obligationibus, et suffragari cum eisdem indulgentiis, perinde ac si essent celebratae Missae de Requiem ad formam privilegiorum, salva tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis. Decernentes easdem praesentes Litteras semper firmas, validas, efficaces existere et fore etc.

fallaciis, et ea, quae multitudo parere solet, confusione, unusquisque fidelium certis, minimeque dubiis indulgentiis perfruatur; inhaerendo Apostolicis Constitutionibus, nimirum fel. rec. Clementis VIII cujus initium: *Quaecumque* etc., et Pauli V, quae incipit: *Quae salubriter* etc., declarat, nulli Ordini, Congregationi, Societati, etiam Jesu, Capitulo, Archiconfraternitati, Confraternitati, vel Coetui cuicumque, neque eorum superioribus, officialibus, seu ministris, aliisque personis quibuscumque etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, licuisse, nec in posterum quandocumque liciturum, ullas Indulgentias aliis communicare, nisi eas, quae a memorato Paulo vel ejus successoribus Romanis Pontificibus praescriptae et concessae, seu antea concessae, specialiter postea renovatae, sive in specie confirmatae fuerunt, etiamsi facultas illas communicandi eis a S. Sede Apostolica cum quibusvis clausulis et decretis ante emanatam Pauli praefatam Constitutionem concessa fuisset. Communicationes autem indulgentiarum eo, quem diximus, modo jam hactenus factas, tum quae deinceps quandocumque fient, nullas, nulliusque roboris et momenti esse, et fore; easdem communicationes nullas pariter, minimeque ratas et validas futuras, nisi servata forma supradictae Constitutionis Clementis VIII, cum specifica et individua expressione Indulgentiarum, quae communicantur (idest ut singulae nominentur et exprimantur) factae fuerint.

Declarat insuper, Regulares quoscumque cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam Jesu, ac Instituti, etiam specifica et individua mentione digni, et dignae, non potuisse, nec posse Confraternitatibus, Sodalitatibus, aliisque similibus Congregationibus quibusvis tam hactenus erectis, et institutis, quam in posterum quandocumque erigendis, et instituendis, sive quorumcumque privilegiorum vigore aggregatis et aggregandis, ullo modo communicare indulgentias ipsis Regularibus concessas; sed tantum illas, quas ut hujusmodi Confraternitatibus, Sodalitatibus, seu aliis similibus Congregationibus communicent, facultas eis specifice et nominatim per Sedem Apostolicam concessa fuerit. Die 16 Martii 1671. Et die 19 ejusdem mensis, facta relatione ad SSmum D. N.,

Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit, et ita servari mandavit.

F. M. Card. **Brancatius** Praef.
Michael Angelus **Riccius** Secret.

7.

1672 13 Septembris. **De expositione SSmi in forma 40 horarum.**

Cum in Sacra Congregatione Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum propositum fuerit, expositionem SSmi Sacramenti sine publica et gravi causa factam improbari tum in Actis Ecclesiae Mediolanensis sub S. Carolo Borromaeo, tum a Sacra Congregatione Regularium negotiis et Episcoporum consultationibus praeposita, minusque probandum videri, SS. Eucharistiam passim exponi sine consueta quadraginta horarum oratione diu noctuque numquam intermissa, quemadmodum a Pio IV, Clemente VIII et Paulo V institutum, atque probatum fuerat; eadem Sac. Congregatio Indulgentiarum die 13 Septembris 1672 censuit, nemini posthac concedendam esse indulgentiam, qui expositionem Sanctissimi non celebraverit cum eo, qui dictus est, modo, nimirum cum oratione quadraginta horarum numquam intermissa.

8.

1673 24 Julii. **De publicatione indulgentiarum.**

Inter Reverendissimum Episcopum et Inquisitorem Cremonae contentio de imprimendis indulgentiis est orta, cum ille dicat, quidquid indulgentiarum est, ad episcopale forum pertinere, cujus rei arbitrium et judicium integrum Episcopo relinquit Sacrae Inquisitionis edictum: hic vero affirmet, id sibi tribui decima regula Indicis librorum prohibitorum, ut nullus liber, nullave scriptura sine ipsius permissu imprimi possit. Quaestione ad Sacram Congregationem delata et diligenter examinata, eadem Sacra Congregatio die 24 Julii 1673 censuit, adhibita distinctione dirimendam esse:

Indulgentiae, quas subditis suis Episcopus concedit, et imprimendas curat, tum litterae pastorales, quibus indulgentias a Summis Pontificibus concessas populo denuntiat, aliaque deni-

que scripta ad regendum populum suum, vel officialium ejus nomine promulganda, quae omnia proprie sunt fori episcopalis, in quo injunguntur poenitentiae, et per indulgentias remittuntur, praeceptaque et dicta feruntur, libera sunt ab Inquisitoris jurisdictione et auctoritate, quo etiam inscio imprimi possunt: sed de reliquis Episcopus ad Inquisitorem communicare debet, antequam imprimantur.

Michael Angelus Riccius Secret.

9.

1675 23 Aprilis. De indulg. plenaria in articulo mortis.

Tria dubia per Secretarium erant proposita, et per omnium manus transmissa, ut diligentius examinarentur:

1m: Utrum *indulgentia plenaria in articulo mortis, quae sine alia declaratione adjecta concedi solet, in vero mortis articulo accipienda sit, an in praesumpto, an demum in utroque?*

2m: *An cunctis petentibus sit indulgentia plenaria in articulo mortis concedenda?*

3m: *An contriti, sed neque confessi, neque SSma Communione refecti indulgentiam plenariam consequantur, quam supplicantibus passim pro mortis articulo largiuntur Romani Pontifices?*

Sac. Congregatio die 23 Aprilis 1675 respondit:

Ad 1m: *In vero tantum articulo accipi.*

Ad 2m: *Cunctis petentibus concedendam esse.*

Ad 3m: *Ejusmodi contritos indulgentiam lucrari, si Pontifex in sua concessione Confessionem, vel aliud simile non requirit.*

Michael Angelus Riccius Secret.

10.

1675 9 Septembris. De cultro in sepulchro Martyris invento.

Proposito dubio:

An culter in sepulchro Martyris sub ejus dorso repertus in aliquo coemeterio, habendus sit pro instrumento martyrii, et exponi publice possit, ut ei fideles cultum et venerationem exhibeant?

Sac. Congregatio die 9 Septembris 1675 respondit:

Cultrum ejusmodi exponi posse una cum Corpore, sed non solum et seorsum.

11.

1676 21 Januarii. **De absolutione generali.**

Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum. Proposita erant dubia sequentia:

1m: *Utrum benedictio et absolutio, ut vocant, generalis, quae a Religiosis B. M. V. de Mercede quotannis antea fiebat feria V in Coena Domini, nunc vero in festo S. Petri Nolasco, transferenda sit et restituenda in eamdem feriam?*

2m: *An in Brevi petitae translationis vel ad eam feriam V vel ad eam commodiorem diem apponenda sint, quae statuit Clemens VIII in Constitutione 85 pro Congregationibus FF. B. M. de Mercede et SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, nimirum, ut benedictio illa fiat in ecclesiis Ordinis et non in aliis, ut communicatio bonorum operum, quam adjungere solent benedictioni, ad solos confratres pertineat, eosque in ecclesia praesentes et genuflexos, demum ut ne populus* (Clementis verba sunt) *in civitatibus, terris et locis publice invitetur* etc.

Sac. Congregatio die 21 Jan. 1676 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *In praedictis omnibus servandam esse formam Constitutionum 79 et 85 Clementis VIII, nimirum, ut ea functio fiat in ecclesiis Ordinis tantum et non in aliis, et populum non esse invitandum ad communicationem bonorum operum, quae quidem profecto pertinet ad confratres et consorores tantum in ecclesia praesentes et genuflexos; eam vero functionem male absolutionem vocari, cum in dicta Constitutione 85 Clemens VIII absolvere vetuerit.*

12.

1676 10 Martii. **De diebus Stationum Urbis.**

Sacra Congregatio Stationum dies ita populo proponendas esse die 10 Martii 1676 censuit, ut cum descriptis in Romano Missali omnino conveniant, earumque indulgentias simpliciter enuntiandas, non addendo, an plenariae illae sint, aut partiales.

Michael Angelus Riccius Secret.

13.

1676 23 Aprilis. De confraternitate SS. Sacramenti.

Licet s. m. Paulus PP. III per binas suas Constitutiones concesserit, ut SSmi Corporis Christi Confraternitates omnes et singulae ubivis locorum institutae ac instituendae, iisdem privilegiis, concessionibus, indulgentiis, gratiis et indultis, quae Confraternitati SSmi Sacramenti in Ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe erectae largitus fuerat, ac in posterum largiretur, uti, potiri, et gaudere possent ac deberent; quia tamen per nonnullas Apostolicas Constitutiones et Ordinationes, quae deinceps emanarunt, praesertim vero per similis memoriae Clementis VIII Constitutionem de aggregationibus editam, facultates et indulgentiae tam supradictae S. Mariae de Minerva, quam ceteris omnibus Confraternitatibus antea concessae, aut abrogatae aut saltem moderatae comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta sunt, ex quibus in dubium revocari posse videtur, an hujusmodi Pauli III concessiones pristinum suum robur adhuc retineant.

Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praefectorum, optans summopere SSmi Sacramenti venerationem et cultum in dies magis augeri, et ob eam causam hujusmodi Societatem in omnibus ecclesiis parochialibus erigi, atque ad id Christifideles praecipuis gratiis excitari, speciali ordine habito vivae vocis oraculo a SSmo D. N. Clemente PP. X fel. rec. Pauli V vestigiis inhaerente, decernit, ac declarat, juxta easdem Pauli III Constitutiones, Confraternitates omnes et singulas SSmi Corporis Christi, ubique terrarum hactenus Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectas aut posthac erigendas, absque nova aut peculiari alia concessione, communicatione, vel aggregatione fore et esse debere participes quorumcumque privilegiorum, concessionum, indulgentiarum, facultatum, gratiarum et indultorum ab eodem Paulo V Archiconfraternitati SSmi Sacramenti de Minerva per Breve datum Romae apud S. Petrum die 3 Novembris 1606 nominatim et expresse concessorum ac in posterum a Sede Apostolica concedendorum, illisque

omnibus et singulis uti, potiri, gaudere posse ac debere statim, atque Confraternitatum earumdem erectio, Apostolica vel Ordinaria auctoritate facta fuerit; servata tamen in reliquis omnibus praedicta Clementis VIII Constitutione. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis de indulgentiis ad instar non concedendis, nec aliis contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 23 Aprilis 1676.

C. Card. **Maximus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

14.

1676 17 Novembris. De potestate Episcopi quoad Reliquias.

Dubium erat in folio per manus omnium transmisso: *An Episcopus clero et populo cupienti sanctorum Martyrum corpora, quae in altari satis honorifice reposita sunt, pretiosiorem in loculum, seu capsam condere, ac super eodem altari collocare, vel extra dioecesim transferre, possit ejus rei tribuere facultatem?*

Et adhibita distinctione Sac. Congregatio die 17 Novembris 1676 respondit:

„*Posse quidem licentiam concedere Sanctorum corpora perpetuae data sepulturae transferendi ad locum decentiorem in eadem ecclesia: sed alienandi, aut extra dioecesim transferendi, sine Romani Pontificis auctoritate non posse.*

Michael Angelus **Riccius** Secret.

15.

1677 12 Januarii. Moniales S. Ursulae gaudent indulg. Ord. Eremit. S. Augustini.

Dubitant moniales sub invocatione S. Ursulae, an frui possint indulgentiis Ordini FF. Eremitarum S. Augustini alias concessis, maxime vero die 18 Decembris anno 1671, in festo S. Augustini, S. Monicae, S. Nicolai Tolentinatis, S. Thomae de Villanova, et die 13 Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis commemoratio ibidem fieri solet, quod s. m. Paulus V earumdem institutum adprobans, et domum erigens in monasterium Ordinis S. Augustini, qui dividitur in Ordinem Canonicorum Regularium et Ordinem

FF. Eremitarum, non satis expressit, utri eorum Ordinum ipsas adjungeret. Quamobrem dubio in Sacra Congregatione proposito et examinato, eadem Congregatio die 12 Januarii 1677 respondit:

Indulgentiis praedictis moniales perfrui posse.

Michael Angelus **Riccius** Secret.

16.

1677 18 Martii. De clausula: „Volumus autem etc."

Cameracen. Cum a Sacra Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita Cameracensis Archiepiscopus quaesivisset, quae sit vis et sententia clausulae, quae hodie Brevibus indulgentiarum apponi solet: *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam ecclesiam qualibet anni die visitantibus, aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint;* Sac. Congregatio re diligentius examinata die 23 Junii 1676 clausulam sic explicandam censuit, si videbitur SSmo D. N., ea minime contineri altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus, et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasque hujusmodi recitantibus, ac iis, qui christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, et qui SS. Eucharistiae Sacramenti expositioni cum Oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis et septem altarium indulgentias instar septem altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum quae pro unica vice conceduntur. Ceterum, si alia indulgentia sive plenaria sive non plenaria in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus ecclesiam, vel aliquod ejus altare seu capellam visitantibus, eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob dictam clausulam esse prorsus irritas ac nullas.

De his autem facta relatione ad SSmum D. N. die 18 Martii 1677, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit. C. Card. **Maximus.**

Michael Angelus **Riccius** Secret.

17.

1678 1 Februarii. De sensu Bullae *Romanus Pontifex* quoad Regularium ecclesias.

Exposuit nuper Sacrae Congregationi Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Procurator Generalis Ordinis FF. Minimorum, Gregorium XIII in perpetuum concessisse cunctis utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo S. Francisci de Paula ecclesias Ordinis visitaverint, indulgentiam plenariam; sed locorum Ordinarios nonnullos, quod eam a s. m. Paulo V. revocatam fuisse arbitrantur in Bulla, quae incipit *Romanus Pontifex,* ejus publicationem impedire; ideoque Sacrae Congregationi supplicavit, ut decreto suo dubitationem omnem tollere vellet. Quae attentius re considerata, declarat: *verba illius decreti minime comprehendere indulgentias, quae Christifidelibus Regularium ecclesias visitantibus concessae sunt.*

Datum Romae die 1 Februarii 1678.

Michaël Angelus Riccius Secret.

18.

1678 7 Martii. Indulgentiae apocryphae.

Delatae saepius fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam indulgentiae quaedam confictae et omnino falsae, quae per diversas orbis christiani partes circumferuntur; aliae vero examinandae, quae adhibito studio inventae sunt vel apocryphae, vel a Romanis Pontificibus revocatae, vel nullae, quod datum eis tempus praeterisset; quarum quidem plurimae, cum non facilem cognitionem habeant, Christifideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe indulgentiae remissionisque peccatorum suorum consequendae frustrantur: quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui et indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi et in indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illae, uti asserunt, concessae a Joanne II et Sixto IV recitantibus Orationem charitatis Jesu Christi Domini Nostri: *Precor te, piissime Domine* etc.; ab Urbano II ecclesiae S. Mariae, ut vulgo dici solet, *Cam-*

pagnolae et S. Victoriae; ab Eugenio III revelationi de plaga in humero Jesu Christi factae S. Bernardo; ab Innocentio III Archiconfraternitati et Ordini Redemptionis; a Bonifacio IX visitantibus capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo; a Joanne XXII osculantibus mensuram plantae pedis B. Mariae V; ab Alexandro VI imagini B. Mariae, vulgo dictae *Laghetti;* a Leone X gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressae, deinde Mediolani anno 1663 (suas tamen habent et veras Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci); recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsum horologii; et imagini Conceptionis Mariae Virginis immaculatae in circulo depictae, cujus pedibus luna subjecta est; a Pio IV vel Pio V Principi Senarum, a Clemente VIII dicentibus Orationem: *O magnum mysterium* etc.; et ecclesiae S. Mariae, quam vocant *Montis Serrati,* Avenione impressae; tum aliae pro animabus Christifidelium defunctorum impressae Matriti 20 Julii 1606; a Paulo V. cantantibus Hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur*; vel si die Sabbati intererunt, dum idem canitur; et coronis, rosariis, imaginibus, et numismatibus, quae *medallias* appellant, ab eo benedictis, Federico Card. Borromaeo supplicante anno 1611, dum Ecclesia Romae in honorem S. Caroli aedificaretur; et ab eodem Paulo et Gregorio XV dicentibus *Sia lodato il Santissimo Sagramento, Laus Sanctissimo Sacramento;* ab Urbano VIII in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti; et sacerdotibus, celebrata Missa, dicentibus *Ave Filia Dei Patris, ave Mater Dei Filii;* a Clemente X recitantibus mane, meridie ac vespere consuetam Antiphonam *Angelus Domini* et in fine *Deo gratias et Mariae;* ac demum aliae a nonnullis Romanis Pontificibus tributae, ut ajunt, coronis mysteriorum Passionis Domini nostri Jesu Christi, prece Magni Ducis Etruriae.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica et Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die a purgatorii poenis affirmant. Tales aliae Perusii Confraternitatis Sanctorum Sebastiani et Rochi, et Romae Societatis S. Bernardi ad Columnam Tra-

jani; tales demum aliae Crucesignatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini et Bononiae.

Ejus generis sunt et illae concessae, ut ajunt, capellae Rosarii in ecclesia S. Antonii de Rovigo seu Rodigii, vel ecclesiae sanctissimae Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die festo Inventionis sanctissimae Crucis; vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula; vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. Virginis; vel recitantibus Officium S. Franciscae Romanae, aut Antiphonam *O Passio magna* etc. in memoriam Passionis Jesu, aut rosarium S. Annae (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat), aut Orationem, quae impressa cum imagine S. Annae circumferri solet *Ave gratia plena* etc. (quae Oratio prohibetur), aut Officium Conceptionis B. Virginis immaculatae, quod asserunt a Paulo V. probatum fuisse; aut Orationem *Deus, qui nobis in sancta Syndone* etc. (excipitur indulgentia centum dierum anno 1671 concessa precibus Ducissae Sabaudiae ad annos 25 cunctis in illius ditione degentibus); aut aliam *Ave Filia Dei* etc. post Communionem recitandam; vel aliquo conspicuo signo venerantibus sanctissimi Eucharistiae Sacramenti nomen; indulgentiae rursus octoginta millium annorum veteri de tabula exscriptae, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant pro dicentibus Orationem illam vere piam *Deus, qui pro redemptione mundi* etc.; tum quae impressae iterum fuerunt Papiae anno 1670 sub hoc titulo *Sommario delle Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Signore Papa Leone X. all' Immagine della Concezione della gloriosa Vergine Maria*, vel Pisauri sub nomine Beatae Joannae, anno 1608 evulgatae, vel Barlettae, seu Baruli a recitantibus quasdam non sane malas Orationes lucrandae, vel Parmae a visitantibus per Quadragesimae dies ecclesias tertii Ordinis S. Francisci, vel Pistorii et Vastallae a recitantibus Orationem *Ave sanctissima Maria, Mater Dei, Regina coeli* etc. et aliae in peculiari impresso libro descriptae, quibus frui dicunt devotos Seraphicos et benefactores.

His annumerandae sunt, quae crucibus Caravaccensibus tributae dicuntur; vel coronae, sive stellario Conceptionis

Virginis immaculatae, quod ex duodecim globulis precariis constat; vel granis, crucibus et coronis Aloisiae ab Ascensione, Hispanae Monialis Ordinis S. Clarae; vel mensurae altitudinis Jesu Christi D. N.; vel imagini, aut mensurae vulneris lateri ejus inflicti; vel Orationi, ut ajunt, in sepulchro D. N. repertae; et indulgentiae, ut ajunt, innixae revelationi factae S. Birgittae, Mechtildi, et Elisabeth; vel B. Joannae de Cruce, et concessae, ut asserunt, granis, quae aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum regem, et Ministrum Generalem FF. Minorum Observantiae S. Francisci.

Omnes vero et singulas jam dictas indulgentias Sac. Congregatio partim esse confictas et plane falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quae nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari et lucrandas Christifidelibus proponi vetat; foliaque et libros, ubi sic proponuntur seu asseruntur, omnino praecipit aboleri, nisi praedictae indulgentiae fuerint diligenter expunctae; nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris et legitimis taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes indulgentias concessas ante decretum Clementis VIII latum die 9 Januarii 1597 coronis, rosariis, granis, seu calculis, crucibus et imaginibus sacris, vel ante Bullam Pauli V, quae incipit *Romanus Pontifex* etc., editam 23 Maji anno 1606 personis Regularibus quarumcumque Religionum et Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115 Clementis VIII, cujus initium *Quaecumque* etc. et 68 Pauli V incipientem *Quae salubriter* etc. habitas per aggregationem vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo, vel coetu quocumque, vel ab eorum officialibus, Superioribus aliisque personis vel persona, etiamsi earum vel ejus mentio specialis et individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatae aut confirmatae, nullius esse roboris et momenti pariter declarat.

Porro Summaria indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinae Christianae, Confraternitatibus SS. Trinitatis et

Redemptionis captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariae de Mercede et Redemptionis captivorum, B. Mariae de Monte Carmelo, Cincturae S. Augustini et S. Monicae, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias vero Stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum cuncta Sanctitas Sua probavit et inviolate servari jussit.

Datum Romae die 7 Martii 1678.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

19.

1678 5 Julii. — Indulgentiae non apocryphae.

Cum exposuerit Procurator Generalis Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, multos dubitare, an indulgentiae Tertiariorum Ordinis validae sint post decretum de falsis apocryphisque indulgentiis die 7 Martii praeteriti ab hac Congregatione latum, quod in eo gestantibus funiculum S. Francisci de Paula concessae indulgentiae nominantur, eadem Sacra Congregatio precibus Oratoris annuens declarat (quamquam nulla vera possit esse dubitatio), indulgentias Tertiariorum illorum a Romanis Pontificibus concessas per jam dictum decretum minime revocari.

Datum Romae die 5 Julii 1678.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

20.

1678 5 Julii. — Indulgentiae non apocryphae.

Inter multiplices indulgentias, quae anno 1635 Romae nominatim falsae declaratae fuerunt, erant nonnullae Ave-

nione impressae, quas Clementem VIII concessisse asserebant ecclesiae S. Mariae Montis Serrati: eas vero cum in decreto lato die 7 Martii 1678 Sacra Congregatio in numero falsarum reposuerit, quidam esse nunc primum improbatas dicunt, et addunt, etiam ceteras eidem ecclesiae ab aliis Romanis Pontificibus concessas eo decreto revocari, ut Procurator Generalis Congregationis monachorum Hispanorum Ordinis S. Benedicti Sacrae Congregationi exposuit; quae propterea supplicationibus Oratoris inclinata declarat (quamquam res nullam dubitationem habet), novum non esse, praedictas indulgentias Avenione impressas pro falsis haberi, et decreto suo falsas tantummodo declarasse indulgentias, quae a Clemente VIII concessae asserebantur ecclesiae S. Mariae Montis Serrati, Avenione impressae, non alias a Romanis Pontificibus eidem ecclesiae concessas indulgentias, peccatorum remissiones et spirituales gratias.

Datum Romae die 5 Julii 1678.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

21.

1678 5 Julii. Indulgentiae non apocryphae.

Cum Summarium indulgentiarum Archiconfraternitatis Cincturatorum S. Augustini et S. Monicae sub invocatione Beatae Virginis Mariae de Consolatione erectae Bononiae fuerit a Sacra Congregatione recognitum die 11 Septembris 1674, et a fel. rec. Clemente X confirmatum, ac Brevi insertum, quod incipit *Ex injuncto Nobis* etc. dato die 27 Martii 1675, nihil obstat, quominus possit seorsum a Brevi iterum imprimi, et ubique promulgari; et indulgentia praesertim ibidem expressa a Bonifacio IX in Dominica festum S. Nicolai de Tolentino proxime sequenti concessa, quam nonnulli satis non advertentes eamdem esse arbitrantur ac illam in novissimo decreto hujus Congregationis lato die 7 Martii 1678 adnumeratam apocryphis et falsis; cum tamen *die, aliisque circumstantiis* ab ipsa diversa sit.

Datum Romae die 5 Julii 1678.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

22.

1678 22 Novembris. Indulgentiae non apocryphae.

Licet in decreto Sacrae Congregationis dato die 7 Martii 1678 nihil appareat, quo indulgentiae a fel. rec. Gregorio XV concessae omnibus et singulis Societatis Jesu clericis aliisque universis Christifidelibus, cum eis in puerorum et adultorum instructione ad fidei catholicae rudimenta ediscenda cooperantibus (ut latius in Brevi, quod incipit *Pietatis et christianae charitatis opera* etc. dato die 27 Septembris 1622) revocatae, aut nullae quomodolibet declarentur; tamen instante Procuratore Generali ejusdem Societatis, ut dubia nonnullorum, qui de illis ambigunt, omnino tollantur, Sacra Congregatio declarat, indulgentias et remissiones peccatorum praedictas decreto suo nullo prorsus modo comprehendi.

Datum Romae die 22 Novembris 1678.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

23.

1678 22 Novembris. Indulgentiae non apocryphae.

Cum officiales Archiconfraternitatis Orationis et Mortis aggregandi facultatem, novasque indulgentias Confraternitatibus aggregatis communicandas impetraverint a felic. rec. Paulo V, in executionem Constitutionis *Quaecumque a Sede Apostolica* etc. Clementis VIII, Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, ad dubia nonnullorum tollenda declarat, praedictas indulgentias aliasque deinceps innovatas. aut eidem Archiconfraternitati concessas ab Apostolica Sede, ratas et validas esse, nec ullo modo comprehendi novissimo suo decreto dato 7 die Martii 1678.

Datum Romae die 22 Novembris 1678.

A. Card. **Homodeus** Praefect.
Michael Angelus **Riccius** Secret.

24.

1679 31 Januarii. De privilegiis Sodalitatis Scribentium.

Concessit Pius IV Confratribus Sodalitatis Scribentium Romae in ecclesia S. Thomae, regionis Parionis institutae,

ut quemcumque presbyterum saecularem aut regularem ter in vita et in mortis articulo, etiamsi mors tunc non sequatur, in confessarium eligere possint, per quem absolvantur a reservatis etiam locorum Ordinariis et Apostolicae Sedi, exceptis iis, quae in Bulla Coenae continentur; eisdem rursus et aliis utriusque sexus Christifidelibus ter in singulos annos concessit in perpetuum indulgentiam plenariam, plenumque jubilaeum, ut latius in ejus Brevi dato nonis Augusti 1561.

Hinc orta sunt dubia quinque in Congregatione discussa:

1ᵐ: *An ille presbyter sit oporteat approbatus ab Ordinario ex praescripto capitis 15 Sessionis 23 Concilii Tridentini?*

2ᵐ: *An sit revocata ea facultas absolvendi a casibus, qui locorum Ordinariis reservati sunt?*

3ᵐ: *An sint excepti casus Apostolicae Sedi reservati, quos Clemens VIII recensuit in sua Constitutione 115?*

4ᵐ: *Quid nomine pleni jubilaei Pius IV intelligat, praesertim vero, an omnes, etiam qui Confraternitati non sunt adscripti, possint confessarium eligere, per quem a reservatis absolvantur?*

5ᵐ: *An vetari debeat, confratres hanc indulgentiam sub nomine pleni jubilaei promulgare, si facultas eligendi confessarium pro reservatis omnibus generatim data non est, ne decipiantur fideles: an vero alia commodiori via debeat periculum deceptionis declinari?*

Ad tria priora dubia Sac. Congregatio die 31 Januarii 1679 respondit: *Affirmative.*

Ad 4ᵐ: *Nomine pleni jubilaei non contineri facultatem ullam absolvendi a reservatis, neque posse ab his absolvi, qui Confraternitati non sunt adscripti.*

Ad 5ᵐ: *Hanc indulgentiam in posterum nomine plenariae indulgentiae, non pleni jubilaei promulgandam esse, ac monendos officiales Confraternitatis, praedictam facultatem a reservatis absolvendi aliqua ex parte revocatam fuisse per Constitutiones Apostolicas et Apostolica decreta; idemque significandum Eminentissimis DD. Vicario et Protectori, ut rem hanc prudentia sua moderentur.*

A. Card. **Homodeus** Praefect.
Michael Angelus **Riccius** Secret.

25.

1679 11 Julii. De gratiis et privilegiis Basilicae Lateranensis.

Sacra Congregatio ut indulgentiarum nonnullis abusibus mederetur, die 7 Martii 1678 cunctas indulgentias ante Pauli V Breve, cujus initium est *Quae salubriter etc.* habitas per aggregationem vel aliam communicationem, ab Archiconfraternitate, Congregatione, Ordine, Capitulo vel coetu quocumque, vel ab eorum officialibus, Superioribus, aliisve personis vel persona, etiamsi earum vel ejus mentio specialis et individua facienda esset, nullius esse roboris et momenti declaravit, nisi fuerint auctoritate Romani Pontificis deinde innovatae vel confirmatae. Sed in eodem Brevi cum Paulus apertissimis verbis confirmet indulgentias, peccatorum remissiones, gratias et privilegia per Lateranensis ecclesiae Capitulum et Canonicos, vigore indultorum eis ab Apostolica Sede concessorum, hactenus (hoc est usque ad 23 diem Novembris 1610 dumtaxat, in qua Breve datum est) concessa et communicata ecclesiis, capellis, altaribus, oratoriis, aliisque locis piis, nemini dubium esse potest, quin ipsa rata et firma sint, utpote Pauli auctoritate confirmata: ea tamen Sacra Congregatio, praefati Capituli et Canonicorum supplicationibus annuens, rata et valida esse declarat.

Datum Romae die 11 Julii 1679.

A. Card. **Homodeus.**
Michael Angelus **Riccius** Secret.

26.

1679 11 Septembris. Indulgentia in forma Jubilaei.

Orta Neapoli controversia, et ad Sacram Congregationem delata, de clausula quadam Bullae datae 9 Februarii anno 1562, ubi Pius IV monialibus S. Clarae ejusdem urbis plenariam omnium peccatorum remissionem et indulgentiam in forma jubilaei elargitus est in festo Corporis Domini, a primis Vesperis et subsequentem per totam ipsius octavam, et secunda die mensis Augusti a primis item Vesperis usque ad occasum solis; eadem Congregatio diligentius Bullae tenorem expendit, atque declarat, ne Christifidelibus hallucina-

tionis locus relinquatur, in illa nullam tribui facultatem absolvendi a reservatis, aut indulgentiam supradictam per modum suffragii defunctis applicandi, qua de re nullus audeat dubitare.

Datum Romae die 11 Septembris 1679.

Michael Angelus **Riccius** Secret.

27.

1681 15 Julii. De sensu Bullae *Romanus Pontifex*.

Dubio per virum religiosum Sacrae Congregationi proposito, et in ea examinato, *utrum in generali revocatione indulgentiarum, quae in Bulla* „Romanus Pontifex" *Pauli PP. V habetur data 23 Maji 1606, comprehendantur personae, quae substantialia Religionis vota non emittunt, intra vel extra claustra degentes?* eadem Sac. Congregatio die 15 Julii 1681 respondit, *has minime comprehendi.*

Michael Angelus **Riccius** Secret.

28.

1681 15 Julii. Indulgentiae non apocryphae.

Procurator Generalis Ordinis S. Birgittae, seu SSmi Salvatoris exposuit, multis, qui legerunt vel audierunt, in decreto hujus Sacrae Congregationis lato die 7 Martii 1678 apocryphis et falsis indulgentiis annumerari eas, quae innixae dicuntur revelationi factae S. Birgittae, Mechtildi et Elisabeth, in dubium venire indulgentias ecclesiarum Ordinis sui, et pro aliqua declaratione Sacrae Congregationi supplicavit, quae precibus ejus inclinata declarat (quamquam res nullam dubitationem habet), indulgentias Brevibus, aliisque Summorum Pontificum litteris vel Constitutionibus innixas in praedicto decreto minime comprehendi.

Datum Romae die 15 Julii 1681.

Michael Angelus **Riccius** Secret.

29.

1710 22 Septembris. De benedictione apostolica in articulo mortis.

Ex prisco Apostolicae Sedis more catholici orbis Episcopis per privatas litteras, quae a Secretario Brevium secre-

torum scribuntur, tribui solet facultas concedendi per se ipsos immediate, vel per Suffraganeos suos, quatenus illos habeant, benedictionem Pontificiam cum indulgentia plenaria in articulo mortis agonizantibus suarum respective civitatum et dioecesum: in Italia quidem ad biennium, ultra montes ad triennium, in Indiis ad decennium. Hujusmodi vero tempore expleto seu ad finem vergente eadem facultas per similes litteras ad consimile respective tempus prorogari solet. Antiqua et consueta litterarum hujusmodi formula, qua religiosissime utitur Secretarius Brevium, datur Summario num. 3 [1]). Ex illius porro tenore ortae sunt olim, ac nuperrime enixius renovatae plurium Episcoporum instantiae pro aliqua litterarum praefatarum ampliatione deprecantium. Videtur enim ipsis nimis durum, quod ex praescripta eis lege concedendi benedictionem et indulgentiam hujusmodi per se ipsos immediate, privari debeant tam magno Pontificiae charitatis beneficio pauperes agonizantes degentes in locis dioecesis ab Episcopali residentia remotis, ac insuper quod ex facultate subdelegandi potestatem sibi attributam ad nocturnum tempus dumtaxat, ac ubi praecisa necessitas exegerit, in dictis litteris restricta, vetitum eis sit, quominus potestatem hujusmodi in casu propriae infirmitatis seu alterius legitimi impedimenti, etiam diurno tempore aliis communicare valeant. Praeterea nonnulli Vicarii Capitulares seu Apostolici Ecclesiarum vacantium, illarumque praesertim, quae de praesenti in variis regionibus ex causis valde notis, diuturnae nimium viduitatis exponuntur incommodis, instituerunt et instant pro spirituali consolatione illorum

---

[1]) *Summ. num. 3. Illustrissime et Reverendissime Domine.* Desiderium Dominationis Vestrae Illustrissimae, quo benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis agonizantibus istarum civitatis et dioecesis N. concedendi tenetur, exposui SSmo D. N., qui benigne annuit, ut Dominatio Vestra Illustrissima ad triennium proximum benedictionem et indulgentiam hujusmodi agonizantibus civitatis et dioecesis praefatarum per se ipsam immediate, vel per Dominum Suffraganeum suum Apostolica auctoritate concedat; ubi vero praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat eidem permittit, ut alicui sacerdoti pio per Dominationem Vestram illustrissimam qualibet vice eligendo, quoad moniales autem illarum confessario ordinario facultatem similem communicare valeat. Id jussu Sanctitatis Suae, quae Dominationem Vestram Illustrissimam facultate supradicta vigore praesentium litterarum uti posse vult, eidem significo, eique reverenter manus deosculor.

Christifidelium, sibi attribui eamdem facultatem concedendi benedictionem et indulgentiam agonizantibus, quae concedi solet Episcopis. His profecto omnibus instantiis resistit antiqua praxis Apostolicae Sedis, quae dictam facultatem nonnisi Episcopis, eamque praemissis conditionibus limitatam, tribuere hactenus consuevit.

Quaeritur igitur:

1° *An attentis praemissis expediat nunc immutare consuetam formulam supradictam, illamque ampliare, et quomodo?*

2° *An annuendum sit enarratis precibus Vicariorum Capitularium seu Apostolicorum Ecclesiarum praesertim ab anno et ultra vacantium?*

Sac. Congregatio die 22 Septembris 1710 respondit: *Negative ad utrumque.*

30.

1710 17 Novembris. Secundum altare privilegiatum.

Anconitan. Capitulum et Canonici Cathedralis Anconae humiliter exponunt, in sua ecclesia ad altare privilegiatum S. Cyriaci quingentas et quadraginta quinque Missas esse quotannis celebrandas; praedictumque onus ab anno 1698 usque in praesens nullatenus fuisse adimpletum; addunt insuper pro aliis septem mille et octingentis Missis ad supradictum altare celebrandis, eleemosynas suscepisse, hasque omnes in arca depositorum asservari. Quapropter ne diutius tot onerum satisfactio differatur, humillime supplicarunt Sanctitati Suae, ut etiam altare SS. Crucifixi in eadem ecclesia positum simili privilegio ad triennium dumtaxat decoraretur.

Quaeritur igitur:

An et quomodo sit annuendum?

Sac. Congregatio die 17 Novembris 1710 respondit:

Quoad primam partem: *Negative.*

Quoad secundam partem: *Provisum in prima, facto verbo cum SSmo circa modum satisfaciendi tot oneribus Missarum, quae adhuc supersunt celebrandae in altari privilegiato.*

Facta autem relatione SSmo D. N. Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sententiam ratam habuit, et tantum con-

cessit, ut Missae, pro quibus eleemosynae sunt receptae (et non aliae), quae celebrabuntur in altaribus Cathedralis Anconae, suffragentur perinde ac si celebrarentur ad altare S. Cyriaci, et pars Missarum distribuatur ad altaria privilegiata aliarum ecclesiarum Anconae.

31.

1710 22 Decembris. De aggregatione Confraternitatis.

Romana. Exstat in nobili Collegio Clementino de Urbe quaedam Congregatio sub invocatione SS. Nominis Mariae et S. Joseph canonice erecta, cui adscribuntur tum Religiosi, tum convictores aliique in praedicto Collegio commorantes. Hi omnes, ut indulgentias lucrarentur, quibus fruuntur confratres venerabilis Archiconfraternitatis SS. Nominis Mariae positae in ecclesia S. Bernardi ad Columnam Trajanam, eidem Archiconfraternitati aggregari obtinuerunt. Verum post assecutam aggregationem non levis dubitatio orta est, an praefatas indulgentias obtinere valeant; siquidem aggregandi facultas a s. m. Innocentio XI Archiconfraternitati concessa illas dumtaxat respicere videtur Confraternitates, quae extra Urbem reperiuntur. Verba Brevis sunt haec: *ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectae officialibus et confratribus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem instituti extra Urbem praedictam ubicumque locorum exsistentes eidem Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis Papae VIII, Praedecessoris Nostri, desuper edita, aggregare illisque omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones communicare libere et licite possint, etc.*

Quaeritur ergo:

An ven. Societas in Collegio Clementino erecta obtinere valeat indulgentias, quibus gaudet Archiconfraternitas SS. Nominis Mariae ecclesiae S. Bernardi?

Et quatenus negative,

An et qua ratione provideri possit, ut illas in posterum lucretur?

Sac. Congregatio die 22 Decembris 1710 respondit:

Quoad primam partem: *Negative, et aggregationem non sustineri.*

Quoad secundam: *Dilata.*[1])

32.

1710 22 Decembris. De numismatibus duplicem imaginem habentibus.

Romana. Saepius a nonnullis dubitatum fuit, an sacris numismatibus, vulgo *medaglie,* in quibus una ex parte alicujus Sancti, ex altera parte alicujus Beati imago exprimitur, illae a Summo Pontifice indulgentiae concedantur, quas numismatibus, in quibus Sanctorum, non autem Beatorum imago exstat, elargiri solet. Dubii causam dedere verba aliqua, quae reperiuntur in formula expressa indulgentiarum, quas SSmus D. N. praefatis numismatibus concedit. In ea siquidem declaratur, ut numismata Sanctos canonizatos vel in Martyrologio Romano relatos repraesentent. Verba haec sunt: *Imagines autem sint, ut vult Sanctitas Sua, non cartaceae, sed ex auro confectae, aut ex argento, aliove metallo, quae Sanctos repraesentent vel canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.*

Quaeritur itaque:

1° *An attentis verbis expressis in formula indulgentiarum, quas SSmus D. N. numismatibus concedit, praedictae indulgentiae applicentur illis numismatibus, quae duplicem imaginem, Sancti videlicet et Beati prae se ferunt?*

Et quatenus negative,

2° *Qua ratione in posterum sit consulendum, ne ullus hac in re abusus possit irrepere?*

Sac. Congregatio die 22 Decembris 1710 respondit:

Quoad 1m: *Affirmative.*

Quoad 2m: *Provisum in primo.*

33.

1711 23 Februarii. Indulgentiae non apocryphae.

Veronen. Cum dubitatum fuerit, an quaedam indulgentia capellae S. Mariae de Campanea ecclesiae S. Michaelis extra

---

[1]) Vide decretum *Romana* diei 21 Augusti 1711, infra, pag. 28.

muros Veronae a s. m. Pio IV, ut asseritur, concessa, apocrypha sit vel revocata; hujusque causae decisio ad hoc sacrum tribunal devenerit, ad Episcopum Veronensem litteras dari EE. PP. jusserunt, ut ea de re Sacram Congregationem plenius instructam redderet. Quibus mandatis obtemperans praedictus Episcopus humiliter retulit, Breve ipsum a s. m. Pio IV, Summo Pontifice editum aut temporis injuria, aut hominum incuria deperditum nullatenus reperiri, exstare tamen ejusdem Brevis exemplar authenticum.

Quaeritur itaque:

Quale judicium de praedicta indulgentia ferendum sit?

Sac. Congregatio die 23 Februarii 1711 respondit:

Posse permitti, circa vero modum, quo intelligenda sit facultas absolvendi a casibus reservatis, ad Sacram Congregationem Concilii.

34.

1711 23 Februarii. Numismata benedicta alteri ne tradantur.

Romana. Solent nonnulli in his Urbis locis, in quae rustici plerique operam locaturi turmatim conveniunt, christianae fidei rudimenta tradere; inter alia vero, quibus homines ad pias cohortationes audiendas divinorumque praeceptorum explicationem percipiendam alliciunt, sacris quibusdam munusculis utuntur; frequentissime vero numismata illa distribuunt, quibus SSmus D. N. Pontificiam benedictionem impertitus est. Non raro autem accidit, ut rustici, qui semel sacrum numisma susceperunt, concionibus deinde adesse recusent, id in causam afferentes, quod datum sibi numisma sufficiat, nec alia, quae sibi tradenda essent, distribuere valeant; norunt enim, quod, si praedictum numisma ab alio acceptum alteri tradatur, indulgentia careat. Quapropter illi, quibus maxime cordi est catechismi opus uberrimo sane animarum fructu susceptum, in dies magis magisque prosequi, aegre ferentes, plures ea de causa christianae doctrinae pabulo destitui, humiliter petunt ab hac Sacra Congregatione declarari, *an ratione aliqua fieri possit, quod rustici, quibus ab Oratoribus numismata traduntur, eadem suis aut consanguineis aut amicis absque indulgentiae detrimento deferre valeant?*

Verba formulae, quibus statuitur, ut numismata aliis tradita indulgentiis careant, sunt quae sequuntur: *In distribuendis hujusmodi coronis, crucibusque etc. eorumque usu SSmus servari jubet decretum fel. rec. Alexandri VII editum sub die 6 Februarii 1657, nimirum, ut coronae, cruces, rosaria, numismata, quae vulgo medaglie nuncupantur, et sanctae imagines cum praefatis indulgentiis benedictae, non transeant personam illorum, quibus a Sanctitate Sua concessae sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur, neque commodari aut precario dari possunt, alioquin careant indulgentiis jam concessis.*

Sacra Congregatio propositae quaestioni:

Quid humillimae Oratorum petitioni respondendum sit?

Die 19 Januarii 1711 respondit:

Servetur formula decreti fel. rec. Alexandri PP. VII.

Eadem re iterum proposita Sac. Congregatio die 23 Februarii 1711 respondit:

Negative.

35.

1711 23 Martii. — De aggregatione Confraternitatum Doctrinae Christianae.

Cum venerabilis Archiconfraternitas Doctrinae Christianae posita in ecclesia S. Martini de Urbe, Sacrae Congregationi Indulgentiarum humiliter exposuerit, saepius a nonnullis dubitatum fuisse, an attenta Bulla a s. m. Paulo V edita, quae incipit *Ex credito*, satis sit, ut una Confraternitas ejusdem instituti in aliqua civitate aggregetur, ad hoc, ut cunctae aliae similes Confraternitates ab Ordinario loci erectae seu erigendae, aggregatae pariter censeantur, vel potius insuper requiratur, ut singulae Confraternitates, quae in tota dioecesi eriguntur, ab Archiconfraternitate seorsim aggregationem suscipiant; cumque pariter supplices preces porrexerit, ut EE. PP. ea de re suum oraculum proferre dignarentur, eadem Sacra Congregatio, etiamsi verba praedictae Bullae satis clara viderentur, tamen, ne ullus in posterum dubii locus superesset, die 23 Martii 1711 declaravit, *sufficere, ut aliqua Confraternitas Doctrinae Christianae in una civitate Archiconfraternitati aggregata sit, ad hoc, ut cunctae aliae ab Ordinario loci in tota dioecesi erectae*

seu erigendae, aggregatae censeantur, et omnium spiritualium gratiarum et indulgentiarum, quibus dicta Archiconfraternitas fruitur, participes sint.

J. M. Card. **Gabriellius** Praef.
Raphael Cosmus de **Hieronymis** Secret.

36.

1711 22 Aprilis. Moniales sub gubernium Ordinarii translatae.

Licet ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita non semel declaratum fuerit, nonnulla sanctimonialium monasteria, quae antea sub gubernio Fratrum sui Ordinis degebant, per hoc, quod Episcopo loci subjecta deinde fuerint, privilegia et indulgentias, quibus antea fruebantur, nullatenus amisisse; tamen cum saepius alia etiam monasteria, quae simili modo sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, idem ab Apostolica Sede declarari humiliter postulaverint; ut nulla in posterum dubitandi ratio supersit, eadem Sacra Congregatio, re mature discussa, die 20 Aprilis 1711 declaravit, monasteria omnia sanctimonialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt, seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore, sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu exsisterent. Quam Sacrae Congregationis sententiam SSmus D. N. die 22 ejusdem mensis approbavit.

L. Card. **Picus** Praef.
Raphael Cosmus de **Hieronymis** Secret.

37.

1711 20 Maji. De clausula „Praesentibus ad septennium valituris."

Discusso dubio in Sacra Indulgentiarum Congregatione: *An attentis verbis, quae in Brevibus indulgentiarum apponi solent:* „praesentibus ad septennium valituris," *septennii initium a die publicationis Brevis desumendum sit?* eadem Sacra Congregatio sub die 18 Maji 1711 declaravit: *Non a*

die publicationis, sed a die Datae Brevis septennii tempus incipere.

Et facta relatione SSmo D. N. per me infrascriptum Secretarium die 20 ejusdem mensis Sanctitas Sua Congregationis sententiam approbavit.

J. M. Card. **Gabriellius** Praef.
Raphael Cosmus de **Hieronymis** Secret.

38.

1711 24 Augusti. Denegatur plen. indulg. pro osculo iconis.

Cubana. Havanae in ecclesia PP. Eremitarum S. Augustini Christi Reparatoris imago signis assiduis clarissima summa pietate ac religione asservatur. Jam dudum consuetudo inolevit, ut populi undequaque affluentes die sexta Augusti quotannis pedem Sanctissimae imaginis osculis venerentur. Postularunt itaque PP. S. Augustini, ut cunctis fidelibus, qui post suscepta Confessionis et Eucharistiae Sacramenta praedictum religionis opus exercent, plenaria indulgentia concedatur. Inspectis igitur loci aliisve piae hujus consuetudinis circumstantiis quaeritur:

An petita indulgentia concedenda sit?

Sac. Congregatio die 24 Augusti 1711 respondit:

Negative.

39.

1711 24 Augusti. De aggregatione Confraternitatis.

Romana. Discusso dubio in hac Sacra Congregatione die 22 Decembris anni proxime elapsi: *an Societas in nobili collegio Clementino de Urbe erecta et Archiconfraternitati SS. Nominis Mariae aggregata eas obtinere valeret indulgentias, quibus Archiconfraternitas fruitur,* et ea de causa ipsâ in primis aggregatione in examen deductâ, unanimi consensu responsum fuit: *aggregationem non sustineri.* Quapropter praedicti Collegii convictores aliique tum religiosi, tum laici in eodem commorantes SSmo D. N. supplicem libellum porrexere, quo exposuerunt, se in posterum curaturos, ut ab eadem Archiconfraternitate singuli in praedicto Collegio degentes in albo confratrum describantur, ut tanquam veri

confratres indulgentiarum participes fieri possint. Verum quia Sacramentis refici et divina officia celebrare tenentur in privato Collegii oratorio, humiliter postularunt, ut SSmus D. N. clementer indulgeat, ipsos praefatum oratorium invisentes, ibique recitationi Officii B. M. V. aliisque precibus vacantes, eas lucrari indulgentias, quas confratres eadem exercitia in ecclesia S. Bernardi ad Columnam Trajanam peragentes consequuntur, insuper asserentes, se identidem missuros certum convictorum numerum, qui publicis functionibus ab Archiconfraternitate faciendis sacco superinduti totius Collegii nomine intersint.

Quaeritur itaque:

An Oratorum precibus sit annuendum?

Sac. Congregatio die 24 Augusti 1711 respondit:

Negative.

40.

1711 28 Septembris. Moniales quoad absolut. general.

Solet in ecclesiis sacri Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum statis diebus, verbisque ab Apostolica sede designatis generalis quaedam absolutio, sive benedictio impertiri, qua adstantibus confratribus et consororibus nonnullae indulgentiae praefato Ordini concessae communicantur, ut patet ex Constitutione 4 Clementis VIII, quae incipit *Infirma*, et Constitutione 79, quae incipit: *Cum nos* (Bull. tom. 3). Quia vero tum in Galliis, tum in Hispaniis quamplurimae sanctimoniales inter consorores adscriptae, et B. Virginis scapulare ejusdem Instituti insigne collo gestantes, clausura, quam vovent, praedictis ecclesiis interesse prohibentur; ideo Procurator Generalis memorati Ordinis supplicem libellum SSmo D. N. porrexit, ut Moniales etiam praedictarum indulgentiarum participes esse possint.

Quaeritur igitur:

An Monialibus praedictis concedi debeant indulgentiae, quas lucrantur consorores, quae praesentes sunt in ecclesiis Ordinis de Mercede, quando solemnis benedictio impertitur?

Sac. Congregatio die 28 Septembris 1711 respondit:

Negative.

41.

1711 16 Novembris. **Onera perpetua pro alt. priv. ne recipiantur.**

Panormitana. Relatis in hac Sacra Congregatione habita die 22 Junii labentis anni 1711 precibus Capituli Panormitani confirmationem secundi altaris privilegiati humiliter postulantis, antequam ea de re EE. PP. quidquam decernerent, Panormi Archiepiscopo injungendum duxerunt, ut distincte referret numerum Missarum, quae ad altare privilegiatum B. Virginis Liberatricis ex perpetuo onere quotidie sunt celebrandae; atque interim districte prohiberet, ne aliae eleemosynae pro Sacris in eo faciendis reciperentur. Quoad onera vero, quae adimplenda supersunt, SSmus D. N. clementer indulsit, ut Missae, quae ad praedictum altare celebrari debuissent, ad quaecumque alia altaria ejusdem ecclesiae celebrari possint, et perinde suffragentur, ac si ad altare B. Virginis Liberatricis celebratae essent. Litteris ad Sacram Congregationem datis Panormi Archiepiscopus se cuncta exsecutioni demandasse testatur; Missas vero, quae ad saepedictum altare privilegiatum ex injuncto perpetuo onere singulis diebus celebrari debent, duas supra viginti esse significat, additque, numerum eleemosynarum, quae ea lege tribuuntur, ut ad altare privilegiatum Sacra habeantur, adeo magnum esse, ut fere sexaginta Missae quotidie celebrari debeant.

Quaeritur igitur:

An Breve secundi altaris privilegiati ad aliud septennium confirmari debeat?

Sac. Congregatio die 16 Novembris 1711 respondit:

Pro confirmatione, et mandavit, *quod in posterum non recipiantur onera perpetua pro altaribus privilegiatis, et quod non recipiantur Missae adventitiae praeter numerum, cui commode satisfieri possit. Insuper in primo altari privilegiato praeferantur onera antiquiora.*

42.

1712 24 Februarii. **Indulgentiae apocryphae.**

Praecipuas inter curas, quibus Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita sedulo incumbit, ea est,

ut indulgentias, quae a nonnullis interdum temere evulgantur, mature expendat, et quas aut revocatas, aut falsas et apocryphas esse deprehenderit, ne fideles illarum assequendarum spe decipiantur, palam detegat atque prohibeat.

Cum itaque Sacrae Congregationi delatum fuerit, in libello quodam Veronae impresso anno 1711, cui titulus *Breve Notizia del santo abitino che si dispensa da' PP. Teatini ad onore dell' Immacolata Concezione di Maria Vergine in virtù d' un Breve Apostolico di Clemente X, confermato con altro del Regnante Sommo Pontefice in data delli 12 Maggio 1710 con le Indulgenze proprie e dell' aggregazione alla loro Religione etc.*, plurimas indulgentias falsas contineri, veluti a Summis Pontificibus concessas, aut quoquomodo communicatas gestantibus scapulare parvum coerulei coloris, quod vocant Conceptionis Beatissimae Virginis immaculatae, ideo re mature perpensa die 22 Februarii 1712 declaravit, nullas alias indulgentias pro gestatione praedicti scapularis acquiri, nisi illas, quas SSmus D. N. litteris in forma Brevis desuper editis die 12 Maji anno 1710 clementer concessit his verbis: „Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quibus scapularia benedicta hujusmodi, ut praefertur, in posterum distribuentur, die, quo illa primum susceperint, si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; necnon eisdem in cujuslibet eorum mortis articulo, si etiam vere poenitentes et confessi et Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, itidem plenariam; ac ipsis pariter vere poenitentibus et confessis, ac eadem S. Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Congregationis, vel capellam, sive oratorium die festo ejusdem Conceptionis B. Mariae Virginis immaculatae a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum etc. preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper praedictis Christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis ecclesiam,

vel capellam seu oratorium hujusmodi in aliis ejusdem B. Mariae Virginis festis diebus, ut praefertur, visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus etc."

Cumque pariter Sacrae Congregationi innotuerit, in alio libello Bononiae impresso anno 1707, qui inscribitur: *Sacro Diario delle Grazie e Indulgenze concesse alla Compagnia della Cintura detta di S. Agostino, e di S. Monica* etc., multas pro Cincturatis referri indulgentias, quarum aliquae aut revocatae aut falsae omnino sunt, ideo Sacra eadem Congregatio praedicta die 22 Februarii 1712 similiter declaravit, Cincturatos nullas alias indulgentias pro gestatione cincturae lucrari posse, nisi illas, quae expresse continentur in Brevi a s. m. Clemente X desuper-edito, quod incipit: *Ex injuncto Nobis coelitus* etc. dato die 27 Martii 1675.

Et ut omnis in posterum erroris ac deceptionis occasio auferatur, districte prohibuit, ne aliae indulgentiae voce aut scripto publicentur pro gestatione suprammemorati parvi scapularis, aut praedictae cincturae, praeter eas, quae in supradictis Brevibus SSmi D. N. Clementis XI, et s. m. Clementis X respective continentur. Ac insuper recensitos libellos, alterum Veronae, alterum Bononiae impressum proscribendos censuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. relatis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sententiam approbavit, et in omnibus servari jussit.

Datum Romae die 24 Februarii 1712.

F. **Thomas Ma.** Card. S. Clementis.
Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

43.

1712 18 Julii. — Altare privilegiatum quando altaris titulus mutatur.

Constantien. Ad preces Colonnelli Amae, qui sacra Hierosolymorum peregrinatione suscepta Christi Domini se-

pulchrum inviserat, ac deinde in ejusdem sancti sepulchri honorem simile quoddam monumentum prope altare S. Francisci in ecclesia PP. Capucinorum loci Stanz magnifice exstruxerat, s. m. Clemens VIII praedictum altare S. Francisci perpetuo privilegio decoravit. Verum quia eadem ecclesia vel soli vitio, vel temporis injuria funditus eversa, alia de novo a fundamentis erecta fuit, et pro capella S. Francisci, quae in veteri ecclesia includebatur, capella B. M. Virginis exstructa est, quae quamvis novae ecclesiae proxima sit, in hac tamen minime continetur; ideo Minister Provincialis Capucinorum Provinciae Helveticae supplicem libellum porrexit, ut Sacra haec Congregatio declaret, an altare saepedictae capellae B. Virginis eodem privilegio fruatur, quod altari S. Francisci Summus Pontifex Clemens VIII concesserat, vel saltem simili perpetuo privilegio supramemoratum altare B. Virginis decorare dignetur, cum populorum devotio ac frequentia aucta fuerit.

Quaeritur igitur:

1° *An altare capellae B. Virginis idem privilegium retineat, quod habuit altare S. Francisci?*

Et quatenus negative,

2° *An praedicto altari capellae B. Virginis privilegium perpetuum concedendum sit?*

Sac. Congregatio die 18 Julii 1712 respondit:

Negative ad utrumque.

44.

1712 22 Augusti. **Stationes Viae Crucis in 13 capellis erectae.**

Nullius. Altamurae civitas in quadam planitie posita ad ortum solis lenem collem habet, ad laevam vero montem asperum rupibus. In eo tredecim capellae reperiuntur mysteria Passionis Servatoris nostri repraesentantes a Crucis bajulatione usque ad sepulchrum. Locus dicitur natura efformatus ad instar Calvariae montis Hierusalem; illum cives religiose frequentant clivum ascendendo pieque ad capellas accedendo omnibus feriis sextis, praesertim vero mensis Martii et tertia feria post Pascha Resurrectionis, quibus diebus de-

misse postulant, ut praedictas capellas invisentes plenariam indulgentiam consequi possint.

Quaeritur igitur:

An et quae indulgentiae concedi debeant?

Sac. Congregatio die 22 Augusti 1712 respondit:

Dilata et ad mentem. Mens est, quod doceatur, an adsit aliqua ecclesia principalis.

45.

1712 21 Novembris. Reliquiae.

Placentina. Sacrae quaedam sanctarum Ursulae et Sociarum Reliquiae, quae in privato oratorio Comitis Bavaterii in Placentina civitate asservantur, singulis annis in pervigilio festivitatis earumdem Sanctarum ad ecclesiam parochialem SS. Nazarii et Celsi solemni supplicatione transferri, sequenti vero die ad praefatum oratorium reduci consueverunt, ut refert Petrus M. Campi in Hist. ecclesiast. Placentin. eccles. part. 3 ad annum 1343. Processionem hujusmodi devote comitantibus SSmus D. N. plenariam indulgentiam pro unica vice alias concessit, et cum pro simili concessione supplicatum fuerit, litterae ad Episcopum datae sunt. Hic autem summam populorum frequentiam ac religionem testatus, quoad Reliquiarum identitatem haec habet: „Identitas tamen praedictarum Reliquiarum aegre potest justificari alio titulo, quam antiquissimi cultus, in cujus possessione sunt ab immemorabili tempore; eas e Colonia Agrippina ad hanc urbem translatas fuisse memorant quaedam informes schedulae veteri charactere conscriptae." Tandem subdit, se valde rationi ac pietati consonum existimare, ut civium pietas optato indulgentiae munere magis magisque excitetur.

Quaeritur ergo:

An pro comitantibus praedictam processionem indulgentia plenaria pro unica vice concedi debeat?

Sac. Congregatio die 21 Novembris 1712 respondit:

Pro gratia, pro unica vice, absque ulla expressione Reliquiarum.

46.

1712 21 Novembris. Translatio indulgentiarum.

Visitantibus ecclesias Ord. B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, aut publica oratoria Confraternitatum eidem Ordini subjectarum Dominica proximiore kal. Augusti, quo die festum B. M. de Mercede olim agebatur, nonnulli Summi Pontifices plenariam indulgentiam perpetuam concesserunt. Verum quia s. m. Innocentius XII praedictam celebritatem in diem vigesimam quartam Septembris transferri jussit, nec translato festo indulgentiae transferuntur, ideo Procurator Generalis dicti Ordinis SSmo D. N. supplicem libellum porrexit, ut suis et suarum Confraternitatum ecclesiis pro eadem die vigesima quarta Septembris plenariam indulgentiam perpetuis futuris temporibus duraturam, absque revocatione indulgentiae alias obtentae pro Dominica proximiori kalendis Augusti concedere dignetur.

Quaeritur igitur:

An sit annuendum?

Sac. Congregatio die 21 Novembris 1712 respondit:

Pro translatione indulgentiae tantum.

47.

1713 9 Januarii. Ecclesia Regularium quoad indulg.

Januen. Pro Sacramentorum administratione aliisque ad salutem animarum spectantibus duodecim Fratres Capucini in hospitali incurabilium civitatis Januae assiduo deserviunt; quapropter summis precibus postulant, ut ecclesia sub invocatione S. Columbani praedicti hospitalis iis omnibus indulgentiis decoretur, quae in cunctis sui Ordinis ecclesiis a Summis Pontificibus concessae reperiuntur.

Quaeritur igitur:

An praedictae indulgentiae concedi debeant?

Sac. Congregatio die 9 Januarii 1713 respondit:

Negative.

48.

1713 8 Maji. Congregatio Prima-Primaria.

Romana. Congregationem sub titulo S. Mariae de Pietate in Romano Collegio erectam Pater tunc temporis Praepositus Generalis Soc. Jesu in vim facultatum, quas Summi

Pontifices Gregorius XIII et Sixtus V indulserant, Congregationi Primariae ejusdem Collegii aggregavit. Praedictam Congregationem S. Mariae de Pietate Summus Pontifex Paulus V pluribus indulgentiis decoravit ob susceptum ab illa institutum coadjuvandi PP. Societatis in opere Communionis generalis quolibet mense in Urbe institui solitae, hac tamen in Brevi addita clausula: *Si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae Litterae Apostolicae illi nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.* Post haec iterum eadem Confraternitas de Pietate supramemoratae Congregationi per alium Praepositum Generalem ejusdem Societatis fuit aggregata, et, in Summarium redactis tum indulgentiis a Paulo V illi concessis, tum aliis ob sequutam aggregationem communicatis, in porticu oratorii earum series hucusque affixa permansit. Nuper vero sacerdos Soc. Jesu, qui eidem Congregationi praeest, non immerito dubitavit, an tum Breve a Paulo V concessum, tum etiam indulgentiae in vim aggregationis communicatae validae sint. Siquidem obstare videntur tum supra relata clausula in Brevi Pauli V apposita, tum quod Praepositus Generalis Soc. Jesu facultatem non habet aggregandi Confraternitates, in quibus utriusque sexus Christifideles describantur, tum denique quod indulgentiae, quas Paulus V indulsit, viris tantum, non autem mulieribus concessae fuerint. Quamobrem supplex libellus SSmo D. N. porrectus fuit, ut si aliqua praedictis indulgentiis dubietas inesset, idem Sanctissimus ejusdem Confraternitatis confratribus et consororibus denuo concederet eas omnes indulgentias, quas in suo Brevi Paulus V concesserat, additis ulterius pro confratribus tantum iis indulgentiis, quas iidem ob aggregationem praedictae Congregationi Primariae Collegii Romani obtinere possent.

Quaeritur igitur:

An omnes indulgentiae supramemoratae validae sint?

Et quatenus negative,

An et quales indulgentiae concedi debeant?

Sac. Congregatio die 8 Maji 1713 respondit:

Gaudere indulgentiis concessis a Gregorio XIII Congregationi Primariae Collegii Romani, et ipsi in vim aggregationis communicatis.

49.

1713 19 Junii. An Bulla *Romanus Pontifex* comprehendat Canonicos Lateranenses.

Ordinis Canonicorum Regularium Lateranen. Ad tollendas quamplurimas difficultates, quae circa indulgentias Regularibus antea concessas oriebantur, s. m. Paulus V dictis indulgentiis revocatis, pro majori eorumdem Regularium securitate ac beneficio, novas illis indulgentias concessit Bulla 21, quae incipit: *Romanus Pontifex.* Verum quia in praefata Constitutione §. 18 legitur: *Volumus autem, ut omnes supradictae indulgentiae et gratiae Regularibus cujusvis Ordinis tam monastici, quam mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae* etc., ideo Abbas Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium declarari humiliter postulavit, ut, quamvis Canonici Regulares Lateranenses nec monachorum, nec mendicantium nominibus fortasse designentur, in hac tamen indulgentiarum concessione comprehendi censeantur. Idem pariter Orator exposuit, omnibus et singulis sibi subjectis demandasse, ut semel in anno spiritualibus exercitiis per octiduum incumbant, summisque precibus postulat, ut eadem exercitia ita peragentibus plenaria indulgentia concedatur, etiamsi in saepedicta Constitutione similis indulgentia concessa fuerit illis dumtaxat Regularibus, qui decem dierum spatio spiritualibus exercitiis vacaverint.

Quaeritur itaque:

1° *An in supradicta Bulla Canonici Regulares Lateranenses comprehendantur?*

2° *An consulendum sit SSmo D. N. pro extensione Bullae etiam favore eorumdem Canonicorum?*

3° *An praedictis Canonicis spiritualia exercitia semel in anno per octiduum agentibus plenaria indulgentia concedenda sit?*

Sac. Congregatio die 8 Maji 1713 respondit:

Ad 1m: *Esse comprehensos.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

Ad 3m: *Pro gratia ad septennium.*

50.

1713 25 Septembris. Reliquia S. Catharinae Bononien.

Ferrarien. Cupientibus Monialibus monasterii Sanctissimi Corporis Christi civitatis Ferrariensis assertam tunicam S. Catharinae de Bononia in earum monasterio asservatam nedum in sua ecclesia publicae fidelium venerationi proponi, verum etiam per urbem solemni supplicatione circumferri, Eminentissimus Episcopus Ferrariensis non statim annuendum censuit. Quapropter ea de re supplices preces huic Sacrae Congregationi praefatae Moniales porrexerunt, quibus pro informatione, ut par erat, dicto Eminentissimo Episcopo remissis, hic processum desuper confectum, ad hanc Sacram Congregationem transmisit.

Quaeritur itaque:

An asserta tunica S. Catharinae de Bononia in Conventu Monialium SSmi Corporis Christi asservata in earum ecclesia expōni et in solemni supplicatione gestari possit?

Sac. Congregatio die 25 Septembris 1713 respondit:

Quoad processionem nihil, in reliquis ad Eminentissimum Episcopum.

51.

1713 25 Septembris. Moniales SS. Trinitatis quoad indulg. Stationum Urbis.

Bononien. Monialibus Jesuatis tunc temporis in Italia exsistentibus s. m. Sixtus IV indulsit, ut *locum communis oratorii sive ecclesiam* visitantes, indulgentias Stationum Urbis lucrarentur. Postquam vero s. m. Clemens IX Jesuatorum religionem suppressit, in monasterio Monialium antedictarum civitatis Bononiensis sanctimoniales sanctissimae Trinitatis nuncupatae successere, quae sibi suadentes, nedum in illarum locum suffectas esse, verum etiam earumdem gratiis ac privilegiis frui posse, dubitarunt, num vetustiori ecclesiâ jam dirutâ, ac nova in ampliorem atque elegantiorem formam constructa, valeant hanc invisentes praefatis Stationum indulgentiis gaudere: si vero, vel ob ecclesiae mutationem vel alia quavis de causa privilegium a s. m. Sixto IV Monialibus Jesuatis concessum Oratricibus minime suffragetur, pro nova earumdem indulgentiarum concessione supplicarunt.

Quaeritur itaque:

1° *An Moniales sanctissimae Trinitatis ex vi dictae concessionis s. m. Sixt. IV indulgentias Stationum Urbis lucrari valeant?*

Et quatenus negative,

2° *An similes indulgentiae Oratricibus concedendae sint?*

Sac. Congregatio die 25 Septembris 1713 respondit:

Negative ad utrumque, et gaudeant indulgentiis concessis a Paulo V.

52.

1714 23 Aprilis. **Altare privilegiatum ecclesiae dirutae.**

Pisana. Altare quoddam ecclesiae primatialis Pisarum divo Silvestro Papae dicatum anno 1576 s. m. Gregorius XIII privilegio quotidiano perpetuo insignivit, ut ex antiquo lapide parieti ejusdem ecclesiae apposito et his verbis insculpto dignoscitur: *Gregorius XIII P. M. precibus Reverendissimi Bartholomaei Junii, Archiepiscopi Pisani, concessit, ut Missae supra hoc altare divi Silvestri celebratae animabus defunctorum suffragentur ad instar altaris ecclesiae S. Gregorii de Urbe ad id deputatae sub data Romae die 5 Maji 1576.* Cum vero anno 1595 memorata ecclesia inopinato incendio conflagraverit, et loco altarium, quae ignis absumpserat, alia iterum exstrui contigerit, sacello, quod divo Silvestro sacrum fuerat, tabula, in qua chorus sanctarum Virginum depictus exhibetur, imposita est. Ab eo usque tempore per integrum elapsi saeculi cursum Missae ad altare privilegiatum celebrandae in altari, ut supra, sanctis Virginibus dicato celebratae sunt. Verum cum modernus Archiepiscopus in postrema visitatione habita minus consonum arbitraretur, altare, in quo solum sanctae Virgines depictae conspiciuntur, eo privilegio uti, quod altari S. Silvestri jam antea concessum fuerat; ideo ejusdem ecclesiae Canonici, suae conscientiae securitati consulere cupientes, preces huic Sacrae Congregationi porrexerunt, ut eadem declarare dignetur:

1° *An altare sanctis Virginibus dicatum supra relato privilegio a s. m. Gregorio XIII concesso frui possit?*

Et quatenus negative,

2° *An novum privilegium eidem altari concedi debeat?*

Sac. Congregatio die 23 Aprilis 1714 respondit:

Ad 1m: *Providebitur in secundo.*

Ad 2m: *Consulendum SSmo pro concessione altaris privilegiati quotidiani perpetui.*

Qua Sacrae Congregationis sententia SSmo D. N. relata, Sanctitas Sua mandavit expediri decretum.

53.

1714 18 Decembris. De sensu Bullae *Romanus Pontifex* quoad canonichissas.

Catalaunen. Eas omnes indulgentias, quas s. m. Paulus V in sua Bulla 21, quae incipit: *Romanus Pontifex*, viris Regularibus cujusvis Ordinis monastici seu mendicantis concesserat, idem Summus Pontifex §. 18 extendit etiam ad Moniales perpetuam clausuram servantes per haec verba: *Volumus autem, ut omnes supradictae indulgentiae et gratiae religiosis regularibus cujusvis Ordinis tam monastici quam mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae, etiam omnibus Monialibus cujusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus, tam Ordinariis locorum, quam etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, regulae et instituti subjectis suffragentur.* Nuper canonichissae regulares Congregationis S. Mariae in civitate Catalaunensi a ven. Servo Dei Petro Forerio institutae dubitarunt, num indulgentiis in dicta Bulla concessis frui possint, ea ratione, quod ipsae, etiamsi solemnium votorum vinculis obstrictae, perpetuam clausuram servent, attamen non Moniales, sed canonichissae nuncupentur; quapropter supplicem libellum huic Sacrae Congregationi porrexerunt, simulque exposuerunt, s. m. Innocentium XII per Breve perpetuum indulgentiam plenariam concessisse in omnibus ecclesiis Canonicorum Regularium et Monialium Congregationis Lateranensis festis diebus S. Augustini, S. Monicae, SS. Patritii, Frigdiani et Ubaldi Episcoporum, necnon die quinta mensis Martii, qua omnium Sanctorum Ordinis S. Augustini memoria recolitur; ac proinde cum saepedictae canonichissae regulam S. Patris Augustini sectentur, earumdem indulgentiarum extensionem etiam ad ecclesiam sui monasterii enixe postularunt.

Quaeritur ergo:

1° *An canonichissae regulares Congregationis S. Mariae gaudeant indulgentiis concessis in Constitutione 21 Pauli V?*

2° *An petitae extensioni indulgentiarum sit annuendum?*

Sac. Congregatio die 18 Decembris 1714 respondit:

Ad 1m: *Gaudere.*

Ad 2m: *Negative.*

54.

1714 18 Decembris. **Secundum altare privilegiatum.**

Gallipolitana. Quamvis constanti traditione totius civitatis Gallipolitanae pro certo habeatur, altare S. Mariae de Populo situm in ecclesia cathedrali privilegio quotidiano perpetuo esse insignitum, attamen nullum aliud authenticum hujusce concessionis documentum reperiri potuit, nisi quod in visitationibus per Episcopos peractis altare illud perpetuo privilegiatum descriptum fuerit, et pia legata quamplurima saepe saepius relicta fuerint in eodem altari utpote privilegiato persolvenda, quae non satis rem extra dubitationis aleam ponere nonnullis visa sunt. Ut itaque animarum purgantium suffragiis, et fidelium eleemosynas offerentium pietati Canonici et Clerus memoratae ecclesiae tutius consulerent, preces huic Sacrae Congregationi porrexerunt, ut nova Brevis expeditione supra relatum privilegium quotidianum confirmetur.

Quaeritur igitur:

An assertum privilegium perpetuum in altari S. Mariae de Populo confirmari debeat?

Sac. Congregatio die 18 Decembris 1714 respondit:

Pro confirmatione, et quatenus opus sit, pro nova concessione altaris privilegiati quotidiani perpetui.

55.

1715 12 Februarii. **De nonnullis Clausulis.**

Florentina. Ecclesiam collegiatam S. Laurentii, civitatis Florentiae, pie invisentibus, eidemque eleemosynas offerentibus diebus festis S. Laurentii, et SS. Cosmae et Damiani s. m. Leo X anno 1514 plenariam indulgentiam in perpe-

tuum concessit, addita facultate absolvendi a casibus reservatis, atque insuper indulgentiam centum annorum, ac totidem Quadragenarum impertitus est iis, qui in eadem ecclesia singulis feriis quartis totius anni quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitarent; subinde vero, nempe anno 1516, idem Summus Pontifex concessam indulgentiam pro feriis quartis ad ducentos annos extendit, et aliam plenariam indulgentiam pariter in perpetuum concessit pro prima Dominica Adventus. Verum cum praedictae omnes indulgentiae, utpote manus adjutrices porrigentibus concessae, a S. Pio V revocatae fuerint, in supramemorata ecclesia solummodo exstat plenaria indulgentia pro die Paschatis Resurrectionis, quo insignes Sanctorum Reliquiae, quas s. m. Clemens VIII saepedictae ecclesiae dono dedit, solemni celebritate ostenduntur. Prior et Canonici ejusdem ecclesiae supplices preces SSmo D. N. porrexerunt pro confirmatione omnium indulgentiarum, quibus ante supradictam revocationem fruebantur, dempta tamen conditione manus adjutrices porrigendi, vel saltem pro nova concessione indulgentiae plenariae die festo S. Laurentii, et alterius indulgentiae pro singulis feriis quartis totius anni, cum ea die S. Laurentium martyrii palmam obtinuisse nonnulli putent; quod expresse legitur in quodam sermone, qui D. Ambrosio tribuitur, incipiente. „Gloriosa memoria sanctissimorum Martyrum Stephani et Laurentii,“ et refertur in antiquissimo codice, qui in archivio ecclesiae S. Laurentii extra muros Urbis asservatur.

Quaeritur itaque:

An, et quomodo Oratoribus sit annuendum?

Sac. Congregatio die 12 Februarii 1715 respondit:

Indulgentia plenaria pro festo S. Laurentii Martyris ad septennium cum clausula, quod non adsit nisi unica alia plenaria; in reliquis nihil.

56.

1715 12 Februarii. De indulgentiis Confraternitatum.

Ordinis S. Benedicti Congregationis Lusitanae.

S. m. Gregorius XIII Patri Generali Ordinis S. Benedicti Con-

gregationis Lusitanae anno 1580 indulsit, ut utriusque sexus Christifideles in confratres et consorores ejusdem Congregationis recipere posset, eosque participes efficere suffragiorum, aliorumque bonorum operum, quae in praefata Congregatione peraguntur; iisdem confratribus et consororibus supradictus Summus Pontifex alia etiam indulgentiarum munera impertitus est; concessit nempe, ut semel in mense confessi ac sacra Synaxi refecti ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitantes plenariam indulgentiam consequerentur, quam etiam indulgentiam lucrarentur, si in mortis articulo constituti ter ore vel corde sanctissimum nomen Jesu invocarent. Quoties vero peccatorum dolore concepto propositum confitendi haberent, itidem Oratione Dominica et Salutatione Angelica ter recitatis unum annum et unam Quadragenam indulgentiarum concessit; addito tandem, quod ter oblato sacrosancto Missae sacrificio pro anima cujuscumque confratris aut consororis, ipsa e purgatorio igne liberaretur. Verum cum modo P. Generalis praedicti Ordinis eas omnes indulgentias nullas esse suspicetur, attento decreto hujus Sacrae Congregationis edito die 7 Martii 1678, in quo inter caetera haec habentur: *Ac demum omnes indulgentias concessas . . . . vel ante Constitutionem 115 Clementis VIII, cujus initium Quaecumque etc. et 68 Pauli V incipientem Quae salubriter etc. habitas per aggregationem vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate, etiam Jesu, Capitulo, vel coetu quocumque, vel ab eorum officialibus, superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis et individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatae aut confirmatae, nullius esse roboris et momenti pariter declarat;* ideo supplicem libellum huic Sacrae Congregationi porrexit, ut declarare dignetur, an suprarelatae indulgentiae, quas s. m. Gregorius XIII concessit, validae sint; si vero eas in memorato decreto comprehendi arbitrata fuerit, novam earumdem indulgentiarum concessionem humillime postulat.

Quaeritur ergo:

1° *An in Decreto hujus Sacrae Congregationis anni 1678 comprehendantur indulgentiae concessae a s. m. Gregorio XIII confratribus et consororibus Ordinis S. Benedicti Congregationis Lusitanae?*

Et quatenus comprehensae sint,

2° *An eaedem indulgentiae denuo concedi debeant?*

Sac. Congregatio die 12 Februarii 1715 respondit:

Ad 1^m^: *Indulgentias, de quibus agitur, non esse comprehensas.*

Ad 2^m^: *Provisum in primo.*

57.

1715 20 Februarii. Indulgentiae Regularium quoad moniales et novitios.

Ordinis Minorum Observant. S. Francisci. Sanctitati D. N. Clementis PP. XI feliciter regnantis sub die 16 Oct. 1713 singulis utriusque sexus Ordinis Divi Francisci, Minorum Observantium et Reformatorum Religiosis determinatum numerum indulgentiarum concedere placuit, quae coronis ac numismatibus applicari, eorumdemque benefactoribus, amicis spiritualibus, praefataeque Religionis devotis dispensari valerent, uti ex annexo exemplari [1]) apparet. Quia vero, postquam praedicta gratia publice innotuit, nonnulla dubia exorta sunt, circa quorum decisionem nequaquam Religiosi non-

[1]) Beatissime Pater! Cum in Canonizationibus Sanctorum Religionis Seraphicae dignati sint Summi Pontifices, Praedecessores Sanctitatis Vestrae, nonnullas indulgentias concedere tam Praelatis, quam Fratribus et Monialibus ejusdem Religionis, ut ad eorum beneplacitum illas inter personas devotas et amicos spirituales distribuerent, qualiter illas concesserunt s. m. Clemens IX in canonizatione S. Petri de Alcantara, et fel. record. Alexander VIII in canonizatione SS. Joannis a Capistrano, et Paschalis Baylon, ideo Procurator Generalis ejusdem Ordinis Sanctitatis Vestrae humillimus Orator de ordine expresso et nomine sui Ministri Generalis supplicat Sanctitati Vestrae, quatenus dignetur, easdem indulgentias benigniter eisdem Praelatis, fratribus et monialibus dicti Ordinis impertiri pro canonizatione S. Catharinae Bononiensis, quae in eadem Religione, sub regimine Fratrum Observantiae, quoad vixit, educata est. Et pro gratia etc.

Die 16 Octobris 1713. SSmus D. N. concedit Patribus, Ministro Generali, Vice-Commissariis Generalibus, Commissario Generali Indiorum, aliisque Officialibus Curiae Romanae, quingentas indulgentias pro unoquoque applicandas coronis aut numismatibus juxta formam publicatam occasione canonizationis Quatuor Sanctorum, PP. Provincialibus quadringentas pro unoquoque, et tandem reliquis omnibus Religiosis et Monialibus Ordinis centum indulgentias pro unoquoque et pro unaquaque respective, ut supra.

A. Card Albani.

nulli in re tanti momenti Doctorum opinionibus in diversa tendentibus fidere audent; idcirco rogant humillime, ut sequentia dubia declarentur ac dirimantur.

1m: *An praefata concessio ad Moniales Ordinis Divi Francisci Ministro Generali Minorum Observantium et Reformatorum minime subjectas extendatur? Et ex quo Novitii ejusdem Ordinis et Tertiarii omnes, sive collegialiter viventes, sive domi vitam caelibem ducentes, sive tertiam Regulam profitentes, aliquo pacto Religiosi, et directioni ac obedientiae praedicti Ministri Generalis subjecti dici possunt, an eodem privilegio fruantur?*

Et quatenus Negative,

2m: *An Fratres neoprofessi, ante publicationem tamen in Provinciis factam, possint numismata, cruces etc. distribuere cum indulgentiis occasione canonizationis S. Catharinae de Bononia concessis, an vero tantum hac gratia gaudeant illi professi, qui tunc erant, dum Sanctissimus dictas indulgentias concessit, aut saltem illi, qui ante solemnitatem canonizationis in Provinciis factam jam professionem emiserant?*

3m: *Cum a die concessionis ad publicationis diem ob electionem novi Ministri Provincialis mutatio aliqua secuta fuerit, quinam ex duobus istis Ministris Provincialibus praedicto indulto gaudere debeat, ille nimirum, qui Provinciam, cum indulgentia concessa fuit, gubernabat, vel potius ille, qui in ejusdem regimine isti successit, et quidem eo tempore, quo praefatae concessionis publica notitia habita est?*

Sacra eadem Congregatio Indulgentiarum habita die 12 mensis Februarii anni 1715 suprascriptis dubiis ita respondendum censuit:

Ad primum: *Concessionem extendi etiam ad Moniales Superioribus Regularibus non subjectas. Extendi quoque ad novitios, dummodo ingressi essent novitiatum ante diem concessionis facultatis distribuendi indulgentias, nempe ante diem 16 Octobris 1713.* In reliquis *audiendum esse oraculum SSmi.*

Die vero 20 Februarii 1715 Sanctitas Sua, praevia approbatione declarationis, ut supra factae a Sacra Congregatione, declaravit insuper, concessionem a se factam nullo modo extendi ad Tertiarios. Itidem Fratres neoprofessos posse distribuere indulgentias in supplici libello concessas, dum-

modo, ut supra, ingressi essent novitiatum ante diem concessionis. Ac tandem posse distribuere majorem numerum indulgentiarum illos, qui actu erant Ministri Provinciales aut Officiales tempore concessionis, non vero illos, qui erant tempore publicationis.

In quorum etc.

Datum Romae die 23 Februarii 1715.

L. Card. **Picus** Praefectus.
Cosmas de **Hieronymis** Secretarius.

58.

1716 28 Januarii. Moniales quoad indulgentias illius Ordinis, cujus regulam profitentur.

Conimbricen. Sacra haec Congregatio decreto edito die 20 Aprilis 1711 declaravit, sanctimonialium monasteria, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcopi translata sunt, seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse aut amissura fore. Verum nonnulla monasteria reperiuntur, quae, licet regulare aliquod institutum sectentur, numquam tamen regimini Religiosorum ejusdem instituti, sed ab ipsa fundatione ad haec usque tempora vel S. Sedi, vel locorum Ordinariis immediate subjecta exstiterunt. Hujusmodi est monasterium SS. Sacramenti oppidi Lourical, quod quamvis S. Francisci regulam profiteatur, tamen sub immediata jurisdictione Episcopi Conimbricensis erectum fuit; ideo Abbatissa et Moniales ejusdem monasterii declarari humillime postulant:

1° *An memoratum hujus S. Congregationis Decretum suum etiam monasterium comprehendat?*

Et quatenus Negative,

2° *An ad illud extendi debeat?*

Sac. Congregatio die 28 Januarii 1716 respondit:

Consulendum Sanctissimo pro concessione omnium indulgentiarum, quibus gaudent alia monasteria Ordinis S. Francisci.

59.

1716 28 Aprilis. Moniales quoad indulgentias.

Post relatum in Sacra Congregatione habita die 28 mensis Januarii labentis anni supplicem libellum Monialium mona-

sterii oppidi Lourical Conimbricen. dioecesis, humiliter postulantium, ut EE. PP. declarare dignarentur, quod hujusmodi monasterium, quamvis ab ipsa fundatione sub immediata jurisdictione Episcopi semper exstiterit, tamen iisdem gauderet indulgentiis, quibus gaudent monasteria, quae semper sub gubernio Superiorum Regularium exstitere, placuit Eminentissimis Patribus respondere: *supplicandum SSmo pro petita declaratione, et, quatenus opus sit, pro nova concessione omnium indulgentiarum, quibus fruuntur ceterae Moniales Ordinis S. Francisci sub immediata jurisdictione Superiorum Regularium degentes.* Quibus SSmo D. N. relatis, Sanctitas Sua, juxta votum hujus Sacrae Congregationis benigne annuit. Verum similibus precibus a Monialibus Ordinis S. Augustini Barensis civitatis subinde SSmo D. N. expositis, Sanctitas Sua mandavit, ut dubium generale proponeretur pro cunctis Monialibus idem postulantibus.

Quaeritur igitur:

An cuncta monasteria Monialium, quae numquam sub gubernio Superiorum sui Ordinis fuere, iisdem indulgentiis fruantur, quibus gaudent Moniales, quae actu degunt, vel saltem aliquando exstitere sub immediata jurisdictione Superiorum Regularium sui Ordinis?

Sac. Congregatio die 28 Aprilis 1716 respondit:

Supplicandum SSmo pro declaratione, quod Moniales cujuscumque Ordinis Regularis, quamvis actu non degant, nec umquam exstiterint sub gubernio Regularium, gaudeant omnibus indulgentiis, quibus fruuntur ceterae Moniales, quae sub gubernio Fratrum sui Ordinis exsistunt, et quatenus opus sit, pro nova concessione earumdem indulgentiarum.

60.

1716 28 Aprilis. De Confraternitate SS. Trinitatis Redemptionis captivorum.

In Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis Praeposita habita die 28 Aprilis labentis anni 1716 relatis precibus P. Joannis a S. Francisco, Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae humiliter postulantis declarari:

An sodales Confraternitatum sui Ordinis loco scapularis, quod plerique gestare solent, exiguum panni albi frustulum, cui

parvula crux rubri et coerulei coloris acu intexta est, vesti assutum deferentes lucrari valeant indulgentias concessas iis, qui scapulare deferunt? EE. PP. declararunt: *Non lucrari.*

Datum Romae die 29 Aprilis 1716.

L. Card. Picus Praefectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secretarius.

61.

1716 28 Aprilis. De indulgentiis feriarum sextarum mensis Martii.

Ut in concedendis indulgentiis juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem debita moderatio adhibeatur, cum de novis indulgentiis concedendis agitur, praeter alias facti circumstantias, quae prudenter expenduntur, inspici etiam solet, an aliae indulgentiae pro ea ecclesia, pro qua novae petuntur, antea concessae fuerint, ne, illarum numero nimis aucto, ecclesiastica disciplina enervetur. Hinc est, ut saepe saepius in Brevibus apponi soleat clausula illa: *Volumus autem, ut, si alias Christifidelibus dictam ecclesiam qualibet anni die visitantibus alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint.* Ex quo sane consequitur, ut, si pro ecclesia, exempli gratia parochiali, pro qua duae indulgentiae concedi solent, una scilicet plenaria, altera vero septem annorum et totidem Quadragenarum, indulgentia alia plenaria, nulla facta mentione de priori jam obtenta, concederetur, ea, quae ultimo loco concessa esset, nulla foret. Interdum tamen accidit, ut indulgentia aliqua antea concessa reperiatur non simpliciter pro visitantibus ecclesiam, sed ad certum opus, puta pro Communione generali, vel pro expositione Venerabilis in forma 40 horarum in ea ecclesia facienda. Hujusmodi autem indulgentias ad certum opus concessas aliis simpliciter pro visitantibus ecclesiam concedendis minime obstare tum ex decreto hujus Sacrae Congregationis, diei 18 Martii 1677, tum etiam ex inconcussa praxi hucusque retenta satis dignoscitur. Non levis tamen difficultas est, an obstent indulgentiae, quae conceduntur pro feriis sextis mensis Martii, quas alii obstare, alii vero minime obstare credunt. Neque ex praxi aliquid certum tutumque colligi

potest. Tenor Brevis, quo indulgentiae feriarum sextarum mensis Martii conceduntur, est hujusmodi: *Universis etc. . . Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam . . . . . in una ex sextis feriis mensis Martii per Ordinarium designandam ab ortu usque ad occasum solis feriae hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis praedictam ecclesiam in reliquis feriis sextis ejusdem mensis Martii, ut supra, visitantibus et ibidem orantibus, qua feria praedictarum id egerint, septem annos et totidem Quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris etc.*

Quaeritur igitur:

An indulgentiae feriarum sextarum mensis Martii, quae in aliqua ecclesia concessae reperiuntur, efficiant, ut, si quae postea novae indulgentiae concedantur cum clausula Volumus autem, ut si alias etc. *(supra relata), quae de novo conceduntur, nullae sint?*

Sac. Congregatio die 28 Aprilis 1716 respondit:

Affirmative et ad mentem. Et mens est, ut in Sacra Congregatione expendatur, quid in posterum hac in re agendum sit.

62.

1716 11 Septembr. Clausula *Volumus autem ut si alias.*

Ne contra veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem indulgentiarum numero nimis aucto, ecclesiastica disciplina enervetur, saepius in Brevibus apponi consuevit clausula illa „*Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam ecclesiam quolibet anni die visitantibus alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint.*“ Cum autem alias pro ejusdem clausulae

explicatione supplicatum fuerit, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit, *ea nullatenus comprehendi altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasque hujusmodi recitantibus, ac iis, qui christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, et qui SS. Eucharistiae Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis et septem altarium indulgentias ad instar septem altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Ceterum si alia indulgentia sive plenaria sive non plenaria in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus ecclesiam vel aliquod ejus altare, seu capellam visitantibus eodem die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apostolicis mentio, has Litteras ob dictam clausulam esse prorsus irritas ac nullas,* ut expresse habetur in decreto ab eadem Sacra Congregatione desuper edito die 23 Junii anni 1676. Postea tamen eidem Sacrae Congregationi delatum fuit, non paucos esse, qui, praedictum decretum non recte intelligentes, sibi suadent, quod si in aliqua ecclesia jam concessae reperiantur indulgentiae, quae pro feriis sextis mensis Martii dari solent, et postea in eadem ecclesia alia indulgentia concedatur cum appositione in Brevi supra memoratae clausulae: *Volumus autem* etc., indulgentia, quae postremo loco data est, valida sit; quapropter ut omnis in posterum erroris occasio auferatur, eadem Sacra Congregatio habita die 18 Aprilis anni 1716 declaravit, indulgentiam ultimo loco ita concessam ob saepe dictam clausulam *Volumus autem* etc. Litteris Apostolicis insertam, esse nullam.

Datum Romae die 11 Septembris 1716.

L. Card. Picus Praef.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

63.

1716 28 Septembr. — Altare privilegiatum.

Senogallien. Cum de altaribus privilegio decorandis agitur, in primis inspici solet numerus Missarum, quae in

ecclesia, in qua altaria reperiuntur, quotidie celebrantur, adeo ut, si septem dumtaxat Missae quotidianae habeantur, privilegium pro una tantum feria in hebdomada concedi consueverit. Interdum tamen pro loci aliarumque circumstantiarum varietate cum minori etiam Missarum numero privilegium ex Apostolicae Sedis benignitate conceditur. Tria itaque sunt in Senogalliensi dioecesi oppida inter se parum distantia, nempe Ripa, Tumba et Mons Radius; in nullo autem, propter exiguum Missarum numerum altare privilegiatum reperitur. Qua de causa incolae pro concessione altaris privilegiati saltem in uno eorumdem locorum humillime supplicarunt, votisque annui posse censuit Eminentissimus Episcopus litteris ad hanc Sacram Congregationem datis.

Quaeritur igitur:

An in aliqua ecclesia unius saltem ex praedictis oppidis concedi debeat altare privilegiatum, absque eo quod certus numerus Missarum requiratur?

Sac. Congregatio die 28 Septembris 1716 respondit:

Negative.

64.

1717 12 Januarii. De vi clausulae *Volumus autem etc.*

Toletana. Post obtentas a s. m. Alexandro VII. nonnullas perpetuas indulgentias pia Sodalitas oppidi Madriti sub denominatione SS. Crucifixi de Burgos, ut alias lucraretur indulgentias, Archihospitali SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe aggregata fuit, et alias tandem perpetuas indulgentias obtinuit a SSmo D. N. Litteris in forma Brevis emanatis die 12 Octobris anni 1703. Verum quia in Brevibus tum Sanctitatis Suae, tum s. m. Alexandri VII. legitur clausula: *Volumus autem, quod, si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint, utque, si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae Litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae*

sint. Ideo supramemoratae Confraternitatis officiales hactenus obtentas indulgentias nullitate laborare suspicantes, humiliter petunt denuo et ex integro sibi ex Apostolicae Sedis benignitate concedi easdem indulgentias, quas s. m. Alexander VII. in supramemorato Brevi concessit.

Quapropter inquiritur:

An praedictae indulgentiae denuo concedi debeant?

Sac. Congregatio die 12 Januarii 1717 respondit:

Praevia revocatione aliarum indulgentiarum de novo concedendas esse indulgentias perpetuas a s. m. Alexandro VII. concessas.

65.

1717 6 April. Denegatur indulg. pro festo S. Eliae.

Ordinis Carmelitarum. In cunctis Ordinis Carmelitarum ecclesiis die 20 Julii festum de S. Propheta Elia tamquam ejusdem Ordinis Patrono solemni pompa celebratur; Missam de eo habent propriam et Officium cum octava sub ritu primae classis. Procurator Generalis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispanicae modo humiliter postulat, ut ecclesiis totius praedicti Ordinis, aut saltem ecclesiis provinciae Hispaniarum pro dicta die 20 Julii plenaria indulgentia in perpetuum vel ad septennium concedatur. Et quamvis pro festis dumtaxat novi Testamenti indulgentiae concedi consueverunt, tamen ex rationibus in supplici libello seorsim dando lato calamo expositis, voti compotem se fieri posse confidit.

Quaeritur igitur:

An precibus sit annuendum?

Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1717 respondit:

Negative.

66.

1717 6 Aprilis. Confratres de Cinctura et benefactores Ord. S. Aug. quoad participationem indulg. et bonorum spiritualium.

Excitatis in Belgio nonnullis dubiis tum inter confratres, quos Cincturatos vocant, tum inter benefactores Ordinis S. Augustini, qui affiliationem, ut aiunt, ejusdem Ordinis obti-

nuerunt, ac in diversa theologorum sententiis desuper abeuntibus, ut certum aliquid firmumque haberetur, Sacram hanc Congregationem consulendam nonnulli supramemorati Ordinis Fratres censuerunt. Dubia autem proposita sunt quae sequuntur:

1° *An Benefactores Ordinis S. Augustini gaudentes aggregatione per affiliationem ejusdem Ordinis, et confratres cincturati, etsi non dicant quinque Pater et Ave, participent omnes et singulas indulgentias aliaque bona spiritualia Ordinis S. Augustini?*

2° *An visitatio altarium suppleri possit a confratribus in aliena ecclesia, praecipue quando sunt in locis, in quibus non est ecclesia Ordinis S. Augustini, aut non est erecta Confraternitas Cincturatorum; et an Principes in ecclesia aulica lucrari possint indulgentias visitationis altarium?*

3° *An sufficiat cingulum quomodocumque deferre?*

4° *An per communicationem privilegiorum et gratiarum, cum Ordine S. Augustini et cum aliis Ordinibus, Cincturati participent omnia opera bona totius militantis Ecclesiae?*

Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1717 respondit:

Ad 1m: *Benefactores gaudentes affiliatione Ordinis S. Augustini participes esse bonorum operum, quae fiunt in eodem Ordine, etsi quinque Pater et Ave non recitent, et confratres non gaudere indulgentiis, nisi recitent quinque Pater et Ave.*

Ad 2m: *Negative ad utramque partem.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Quemlibet fidelem exsistentem in gratia participare de bonis operibus militantis Ecclesiae.*

67.

1717 14 Decemb. De indulgentia pro via Captivitatis Christi.

Wladislavien. Cum de validitate nonnullarum indulgentiarum, quas s. m. Innocentius XI. Conventui FF. Minorum de Observantia nuncupatorum Wejeropolis concesserat, a nonnullis dubitatum fuerit, placuit EE. PP. die 6 Julii labentis anni 1717 rescribere: *Constare de indulgentiis a s. m. Innocentio XI. concessis die 12 Martii anno 1678.*

Verum cum insuper declarandum superesset, an fideles, attento Brevi concessionis, easdem indulgentias saepius eodem die lucrari valeant, rescriptum pariter fuit: *in reliquis dilata, et ponatur in folio.* Verba itaque in praefato Brevi contenta, quae in praesenti expendi debent, sunt quae sequuntur:

Ac etiam illis, qui similiter vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti Viam Captivitatis Christi nuncupatam, quae ibidem ad dimensionem Hierosolymitanam (ut etiam accepimus) aptata est, peregerint, in illaque Via diversa sacella, in quibus mysteria Passionis D. N. J. Ch. repraesentantur, itidem devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer concedimus.

Ex quibus orta est quaestio:

An illi, qui saepius eodem die Viam Captivitatis Christi nuncupatam peregerint, necnon praefata sacella visitaverint, non unam sed plures indulgentias plenarias eodem die lucrari valeant?

Et Sac. Congregatio die 14 Decembris 1717 declaravit:

Illos, qui praefata peregerint, unicam dumtaxat in die indulgentiam plenariam lucrari posse.

68.

1718 17 Februarii. Dubia de Confraternitatibus.

Zagabrien. Post erectam in ecclesia S. Michaelis loci Josephburgi Berg Confraternitatem sub invocatione ejusdem S. Michaelis Archangeli s. m. Innocentius XII. indulgentias similibus Confraternitatibus in perpetuum dari solitas, eidem benigne concessit die 29 Maji 1695. Cum autem Episcopus Zagabriensis humillime postulaverit, ut Eminentissimi Patres nonnulla dubia desuper exorta declarare dignarentur, audito voto unius ex Sacrae hujus Congregationis Consultoribus, rescriptum fuit: *Iterum proponatur.* Dubia autem, quae praedictus Episcopus Zagabriensis proposuit, sunt haec:

1° *An haec Confraternitas sit restricta solum ad capellam S. Michaelis Josephburgi, vel etiam, attentis illis verbis, quae habentur in Brevi, nempe* congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, *sit extensibilis non solum ad dioecesim Frisingensem, sed etiam*

ad alias dioeceses, in quibus hujusmodi Confraternitates dependenter a matrice et principali capella Josephburgi erectae reperiuntur?

Et quatenus sit extensibilis,

2° *An hujusmodi erectioni aut quasi filiationi Confraternitatum obstent verba Brevis:* utque si dicta Confraternitas etc.?

3° *An confratres et consorores alibi existentes lucrari possint indulgentiam plenariam concessam pro festo S. Michaelis, visitando alias ecclesias ab Ordinario designatas, seu potius praedicta indulgentia intelligi debeat solum concessa capellae Josephburgi?*

4° *An non obstante clausula Brevis* Volumus autem, ut alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus etc. *confratres et consorores dictae Confraternitatis, si alteri Confraternitati adscribantur, lucrari possint indulgentias aliis Confraternitatibus concessas, aut super numismatibus a SSmo D. N. dari solitas vel alias similes?*

Sac. Congregatio die 17 Februarii 1717 respondit:

Ad 1m: *Quoad primam partem Affirmative, quoad secundam Negative.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

Ad 3m: *Quoad primam partem Negative, quoad secundam Affirmative.*

Ad 4m: *Affirmative.*

69.

1718 17 Februarii. De participatione indulgentiarum.

Ordinis Canonicorum Regularium Congregationis Windesimensis. Saepius relatae fuerunt preces Praepositi Generalis Congregationis Windesimensis humiliter postulantis, declarari, eamdem Congregationem participem esse omnium indulgentiarum, quibus fruitur Congregatio Canonicorum Lateranensium. Id colligi Orator existimat ex quodam Brevi s. m. Urbani VIII, quo declaratur dicta Congregatio Windesimensis particeps omnium privilegiorum et gratiarum Congregationis Lateranensis, et ex alio Brevi s. m. Innocentii XII, quo nonnullae indulgentiae Congregationi Lateranensi conceduntur; neque etenim desunt auctores, qui putent, communicatione privilegiorum et gratiarum etiam

indulgentias comprehendi, quamvis alii secus opinentur. Audito igitur voto Procuratoris Generalis Congregationis Lateranensis, ad dubium:

An ecclesiae Canonicorum et Canonichissarum Congregationis Windesimensis ubique exsistentes participes sint omnium indulgentiarum, quibus gaudet Congregatio Canonicorum Lateranensium?

Sac. Congregatio die 17 Februarii 1718 respondit:

Affirmative.

70.

1718 11 Julii. De ecclesiis Regularium quoad indulgentias.

Malacitana. Paucis abhinc annis FF. Tertii Ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati Provinciae Baeticae introducti fuerunt in quoddam hospitium oppidi Estepona, Malacitanae dioecesis, illisque simul commissa fuit administratio ecclesiae eidem hospitio adnexae, ut spirituale pasculum hominibus dicti loci praeberent. Aucto proinde fidelium concursu, qui in supramemorata ecclesia Sacramentis reficiuntur, humiliter petunt, ut eadem ecclesia, quamvis jurisdictioni Episcopi adhuc subjaceat, omnibus et singulis indulgentiis decoretur, quibus gaudent ecclesiae Ordinis S. Francisci, signanter vero Indulgentia, quam vocant Portiunculae, die 2 mensis Augusti.

Quaeritur igitur:

An oratoribus sit annuendum?

Sac. Congregatio die 11 Julii 1718 respondit:

Pro oratoribus commorantibus in hospitio et visitantibus ecclesiam eidem hospitio adnexam indulgentiae, quae lucrarentur, si visitarent ecclesiam sui Ordinis, ad septennium.

71.

1718 5 Decembris. Altare privilegiatum.

Mediolanen. S. m. Gregorius XIII altare S. Mariae in ecclesia collegiata S. Stephani, civitatis Mediolani, perpetuo privilegio decoravit pro sacerdotibus ejusdem ecclesiae. Quia vero in Brevi legitur: *Ut in ecclesia S. Stephani in Brolio Mediolani, Praeposito et decem et octo Canonicis or-*

nata. et modo in eadem ecclesia quindecim duintaxat Canonici et tres capellani reperiuntur, ideo dubitarunt, an privilegium amiserint, humilesque preces obtulere pro declaratione praedicti dubii, et, quatenus opus sit, pro nova concessione privilegii.

Quaeritur igitur:

1° *An privilegium a s. m. Gregorio XIII concessum perseveret, non obstante defectu trium Canonicorum?*

Et quatenus Negative.

2° *An idem privilegium denuo concedendum sit?*

Sac. Congregatio die 5 Decembris 1718 respondit:

Ad 1m: *Providebitur in secundo.*

Ad 2m: *Affirmative.*

72.

1718 22 Decembris. **Indulgentiae Apocryphae.**

Decet Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam, indulgentias aut revocatas, aut falsas, et apocryphas detegere atque prohibere, ut quae verae sunt, a fidelibus dignoscantur, et circumspecte prospicere, ut omnis in re tam sacra turpis quaestus prorsus eliminetur.

Mature itaque perpenso Summario quodam indulgentiarum, quod inscribitur „*Breve Sommario delle principali Grazie, e Indulgenze concesse ai Religiosi dell'Ordine della Santissima Trinità della Redenzione degli Schiavi cristiani, delle quali godono tutti quelli che portano lo Scapulario ovvero Abitino, e visiteranno le Chiese o Capelle di detto Ordine, le quali Indulgenze sono state approvate da' Sommi Pontefici e di nuovo dalla fel. mem. di Papa Innocenzo XII, come si vede nella Bolla spedita l'anno* 1693, et explicit „*Saranno privi di guadagnare le predette Indulgenze,*“ impresso Neapoli anno 1716, in quo Summario, nedum quamplurimae indulgentiae falsae continentur, verum etiam contra Apostolica decreta pro earumdem indulgentiarum assecutione pecuniae solutio praescribitur; Sacra eadem Congregatio die 20 Decembris anni 1718 dicti Summarii Neapoli, ut supra, impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illudque pro-

hibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis: insuper declarando, nullis aliis indulgentiis frui posse Confraternitates erectas, seu in posterum erigendas sub titulo SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, nisi illis, quae habentur in Summario alias Romae impresso, et ab eadem Sacra Congregatione approbato die 31 Januarii 1675.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. relatis Sanctitas Sua sententiam Sac. Congregationis approbavit.

Datum Romae die 22 Decembris 1718.

J. D. Card. **Parracianus** Praef.
Raphael Cosmus de **Hieronymis** Secret.

73.

1719 5 Maji. Indulgentiae Monialium non conceduntur puellis, quae ab ipsis educantur.

Bononien. In hospitali expositorum Bononiae centum sexaginta circiter puellae asservantur, quibus numquam facultas datur aedes sibi constitutas egrediendi. Hac de causa cum ad ecclesias ejusdem civitatis pro lucrandis indulgentiis accedere minime valeant, ideo humiliter supplicant, ut sibi aliisque nonnullis mulieribus in eodem loco pro illarum educatione commorantibus benigne concedantur indulgentiae, quae Monialibus dari consueverunt.

Quaeritur ergo:

An praedictis puellis concedendae sint indulgentiae, quae dantur Monialibus?

Sac. Congregatio die 5 Maji 1719 respondit:

Negative.

74.

1720 29 Januarii. Confraternitas SS. Nominis Jesu.

Ordinis FF. Praedicatorum. Alias Magister Generalis Ordinis Praedicatorum exposuit, quod ultra montes diversis in locis, in quibus extra ecclesias sui Ordinis Confraternitas Rosarii canonice instituta est, erronee supponatur, vi ejusdem institutionis etiam esse institutam alteram Confraternitatem SSmi Nominis Jesu, fratresque et sorores Rosarii solitas functiones alterius Confraternitatis Sanctissimi

Nominis Jesu devote exercentes credant, se consequi illas indulgentias, quas s. m. Paulus V. confratribus et consororibus dictae Confraternitatis SSmi Nominis Jesu liberaliter concessit. Et ad hujusmodi errorem in posterum tollendum humillime supplicavit, ut quemadmodum s. m. Innocentius XI. ad supplicem instantiam Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum omnes et singulas Confraternitates sub invocatione SSmi Nominis Jesu in ecclesiis Fratrum dicti Ordinis dumtaxat, de quarum canonica erectione non constabat, confirmavit, easque in statu valido esse et fore in omnibus et per omnia decrevit et declaravit, perinde ac si illae omnes et singulae ab initio canonice erectae et institutae fuissent, eisque, ut omnibus et singulis indulgentiis a praefato s. m. Paulo V. concessis fruerentur, indulsit; ita nunc simili remedio primo loco enuntiatis Confraternitatibus apostolica benignitate provideatur. Precibus hujusmodi in Congregatione habita die 4 Decembris 1719 responsum fuit: „*Orator utatur jure suo.*“ Verum idem Magister Generalis Ordinis Praedicatorum sibi suadens, quod nova institutio supradictarum Confraternitatum SSmi Nominis Jesu in locis ultra montes valde copiosis et nimium extensis, quorum multa haereticis aut vicina aut permixta reperiuntur, sine indubitato sacrorum nostrorum rituum ludibrio et devotorum Christifidelium manifesta confusione exsecutioni mandari non possit, ideo novas preces porrexit, ut praeassertae Confraternitates SSmi Nominis Jesu, quas in illis partibus legitime esse institutas fideles erronee supponunt, auctoritate Apostolica sanentur.

Quaeritur itaque:

An Oratori sit annuendum?

Sac. Congregatio die 29 Januarii 1720 respondit:

Orator per PP. Provinciales injungat Prioribus Conventuum sui Ordinis in Germania exsistentium, ut de novo erigant Confraternitates SSmi Nominis Jesu in locis, in quibus erectae sunt Confraternitates SSmi Rosarii.

75.

1720 31 Januarii. Indulg. apocryphae.

Cum Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, re mature perpensa, deprehenderit, nonnullas indulgentias falsas, apocryphas aut ab Apostolica Sede revocatas contineri in libello impresso per Carolum Josephum Astorinum anno 1712 Papiae et Laude Pompeja, cui titulus: *Compendio della Regola del Terz' Ordine de' Penitenti del Serafico Padre S. Francesco confermata da Papa Niccolò IV nuovamente per comodità dei Terziarii e Terziarie, che oggidì si trovano sotto la protezione del medesimo S. Padre, ristampato ad istanza dei Fratelli e Sorelle di detto Ordine eretto nell' Insigne Chiesa di S. Francesco di questa Città di Lodi, con l' aggiunta di una breve Notizia delle Indulgenze, Favori e Privilegi più cospicui concessi da' Sommi Pontefici a quest' Ordine* etc. [1]), et in quodam Summario indulgentiarum edito Ulyssipone anno 1681 typis Antonii Craesbecch de Melo, quod inscribitur: *Summario do Thesauro Celestial das Indulgencias, graças, faculdades e privilegios concedidos por muitos Romanos Pontifices ao Sagrado, Apostolico Hospital de Santo Spirito em Saxia da Cidade de Roma, confirmadas ora novamente pelo Sanctissimo Papa Gregorio XIII nosso Senhor: as quaes se concedem pelos Commissarios Còllectores Deputados por este Sancto Officio a todos e cada hum dos Fieis Christaos, que quizerem entrar na Santissima Confraria da Casa e Hospital de nossa Senhora da Victoria desta Citade de Lisboa.* [2])

Eadem Sacra Congregatio die 29 Januarii anni 1720 censuit, libellum supra enuntiatum, praedictumque Sum-

---

[1]) Compendium Regulae tertii Ordinis Poenitentium Seraphici Patris S. Francisci confirmatae a Summo Pontifice Nicolao IV, recenter pro commoditate Tertiariorum et Tertiariarum, qui hodie subsunt protectioni ejusdem Summi Pontificis iteratis typis edita ad instantiam Fratrum et Sororum dicti Ordinis erecti in insigni ecclesia S. Francisci hujus civitatis Laudensis; addita brevi notitia indulgentiarum, favorum et privilegiorum magis conspicuorum a Summis Pontificibus huic ordini concessorum.

[2]) Summarium coelestis thesauri indulgentiarum, gratiarum, facultatum et privilegiorum a multis Romanis Pontificibus concessorum Sacro et Apostolico Hospitali Sancti Spiritus in Saxia Urbis Romae, nunc recenter a SS. D. N. Papa Gregorio XIII confirmatorum, quae conceduntur a commissariis, collectoribus deputatis, ab hoc Sancto Officio omnibus et singulis fidelibus christianis nomen dare volentibus Sanctissimae Confraternitati domus et hospitalis nostrae Dominae *de Victoria* hujus civitatis Ulyssiponensis.

marium prohiberi, illorumque usum interdici debere sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Quam Sacrae Congregationis sententiam per me Secretarium SSmo D. N. relatam, Sanctitas Sua approbavit die 31 ejusdem mensis.

Datum Romae die 14 Februarii 1720.

J. D. Card. **Paraccianus**

Raphael Cosmus de **Hieronymis** Secret.

76.

1720 10 Aprilis. De expensis pro aggregatione Archiconfraternitatibus.

Ad tollendos nonnullos abusus, qui in expediendis litteris patentibus aggregationum Archiconfraternitatibus Almae Urbis retroactis temporibus irrepserant, Sacra Congregatio Indulgentiarum decreto edito die 6 Martii 1608, approbante s. m. Paulo V, statuit atque decrevit, ut pro expeditione praedictarum litterarum aggregationum, seu potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena, scriptura, sigillo, capsulis, cordulis, cera, secretarii notariique labore, vel mercede, aliisque omnibus quibuscumque, nihil omnino ultra scutatum unum aureum pro omni aggregatione, institutione, vel confirmatione quovis praetextu, aut colore etiam merae eleemosynae exigi, aut recipi valeat, sub poena ipso facto incurrenda nullitatis aggregationis, omniumque indulgentiarum et spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, cum privatione etiam facultatis aggregandi, et privatione pariter officiorum et inhabilitate ad eadem officia in posterum obtinenda pro ministris, superioribus, officialibus, aliisque contra praedictum decretum facere praesumentibus; quae a nullo alio, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente remitti valeat, aliisque etiam sub gravioribus poenis, arbitrio ejusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis imponendis. Ne autem longo temporis decursu praedicti decreti oblivio induci, ac denuo abusus irrepere possint, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita habita die 9 Aprilis 1720 decrevit atque mandavit singulis Ordinibus, Religionibus, Institutis et Archiconfraternitatibus, eorumque superioribus, ministris atque officialibus quocumque no-

mine nuncupatis, ut pro expediendis litteris patentibus aggregationum, seu potius pro illarum expensis quibuscumque nihil ultra unum scutatum aureum sub quovis praetextu, aut quaesito colore, etiam a sponte dantibus, aut titulo eleemosynae recipere audeant, aut recipi permittant sub iisdem poenis contentis in supra memorato decreto edito die 6 Martii 1608, ne Confraternitates aggregandae sumptibus nimium graventur, et ut omnes intelligant, coelestes Ecclesiae thesauros non quaestus aut alicujus lucri causa, sed ad pietatem fidelium excitandam ex Apostolicae Sedis benignitate aperiri.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. Clementi XI relatis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis decretum approbavit, et in omnibus exsecutioni mandari jussit.

Datum Romae die 10 Aprilis 1720.

J. D. Card. **Paraccianus**
Raphael Cosmus de **Hieronymis** Secret.

77.

1720 18 Junii. Altare privilegiatum.

Mutinen. Cum nuper ecclesia collegii S. Caroli civitatis Mutinensis altari pro singulis hebdomadae diebus privilegiato ad septennium illustrata fuerit, ea tamen lege, ut in dicta ecclesia triginta Missae quotidie celebrentur, experientia compertum est, aestivo anni tempore in tantum sacerdotum numerum imminui, ut per tres aut quatuor menses non ultra decem, aut duodecim in ea quotidie offerantur sacrificia, per octo vero reliquos sive novem menses eo usque praefatum numerum augeri, ut si omnes per integrum annum celebratae Missae diebus singulis aequaliter distribuerentur, nedum aestivorum mensium defectus suppleretur, sed quatuor etiam supra tricenas quotidie invenirentur Missae celebrari. Quamobrem a dicti collegii directoribus de memorati privilegii perseverantia dubitantibus quaeritur:

An et pro quo tempore concessum privilegium suffragetur?

Sac. Congregatio die 18 Junii 1720 respondit:

Suffragari pro tempore, quo triginta Missae in ecclesia celebrantur.

78.

1721 4 Junii. Indulgentiae apocryphae.

Nuper Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae delatum fuit, passim evulgari Summarium quoddam indulgentiarum Germanico idiomate conscriptum, quod latine versum incipit: *Indulgentiae, quae concessae fuerunt a s. m. Sixto V, Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII, Clemente IX super coronis et crucibus factis Hierosolymis et Bethlehem, denuo confirmatae a Summis Pontificibus Clemente X et Innocentio XI die* 11 *Junii anni* 1670 etc. impressum Augustae a Joanne Michaele Labhort anno 1720.

Cum autem in dicto Summario nonnullas indulgentias falsas, aut apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas contineri deprehensum fuerit; ideo ne fideles decipiantur, eadem Sacra Congregatio habita die 11 Martii 1721 praedicti Summarii Augustae impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis, declarando, gestantes cruces et coronas, quae loca Terrae sanctae, et sacras Reliquias ibi exsistentes tetigere, illas dumtaxat indulgentias lucrari posse, quas s. m. Innocentius XI Litteris in forma Brevis emanatis die 28 Januarii anni 1688 praedicta gestantibus, et pia opera in eodem Brevi praescripta devote peragentibus concessit.

Insuper cum eidem Sacrae Congregationi pariter delatum fuerit, nonnullos turpis lucri cupidos, non sine magno fidelium scandalo praedictas cruces et coronas publice vendere, aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere; ideo districte prohibuit, ne in posterum aut publice, aut secreto vendantur, vel quomodocumque commutentur; addita etiam declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur, et quod neque commodari, aut precario dari possint, et quod, aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera non valeat. Quod si secus fiat, saepedictae cruces et coronae careant indulgentiis jam concessis.

Cum etiam Sacrae Congregationi Indulgentiarum innotuerit, evulgatum fuisse alterum Summarium indulgentiarum

Germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis et nomine impressoris, cujus initium latine redditum est: *Indulgentiae, quae crucibus Caravaccensibus concessae fuerunt a Romanis Pontificibus Pio V, Gregorio XV et Clemente X, denuo confirmatae ab Innocentio XII*, et explicit: *pro consolatione Christifidelium et S. Crucis amatorum*, in quo multae indulgentiae apocryphae et falsae deprehensae fuerunt, eadem Sacra Congregatio dicti Summarii impressionem et usum sub iisdem poenis in Indice librorum prohibitorum contentis interdixit.

Quibus omnibus per me Secretarium SSmo D. N. Innocentio XIII relatis die 4 mensis Junii, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit, et in omnibus exsecutioni mandari jussit.

L. Card. **Picus** Praefectus
Raphael Cosmus **de Hieronymis** Secret.

79.

1722 14 Aprilis. — **De indulgentiis pro feriis sextis Martii in ecclesiis Monialium.**

Decreto edito die 28 Aprilis 1716 Sacra haec Congregatio declaravit, quod in illis ecclesiis, in quibus jam concessae reperiuntur indulgentiae, quas vocant feriarum sextarum mensis Martii, si alia indulgentia plenaria concedatur, cum clausula: *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus in quocumque alio ānni die dictam ecclesiam, seu capellam, aut altare in eā situm visitantibus aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint*, in Brevibus apponi solita, indulgentia ultimo loco obtenta nulla sit. Verum cum in more positum fuerit, quod Monialibus ad capellam intra claustra quatuor plenariae indulgentiae concedantur, ac insuper indulgentiae supramemoratae feriarum sextarum mensis Martii, ideo dubitatum fuit:

An respectu Monialium, non obstante supramemorato Decreto, ex Apostolicae Sedis dispensatione servanda in posterum sit praxis concedendi praeter quatuor illas plenarias indulgentias supradictas, etiam indulgentias feriarum sextarum mensis Martii?

Sac. Congregatio die 14 Aprilis 1722 respondit:

Quoad Moniales procedatur juxta stylum.

80.

1722 11 Maji. De expensis pro aggregationibus.

Romana. Ut nonnulli abusus, qui longo temporis decursu irrepsisse dicebantur, penitus abolerentur, Sacra haec Congregatio die 9 Aprilis 1720 inhaerens alteri decreto jam antea edito, anno videlicet 1608, declaravit, ut pro litteris patentibus aggregationum, seu verius pro expensis illarum, nil aliud Archiconfraternitates recipere possent, nisi unum scutatum aureum, opportunis etiam poenis adjectis, ut fusius in memorato decreto continetur. Postmodum vero, cum supplicatum fuerit pro declaratione: *An inter ceteras expensas, quae simul junctae excedere non possunt praedictam summam unius scutati aurei, comprehenderetur etiam intortitium, quod offerre solet in actu ingressus procurator Confraternitatis aggregandae,* die 1 Octobris 1720 responsum fuit: *omnia comprehendi, et nihil omnino recipi posse pro qualibet aggregatione praeter unum scutatum aureum.* Nunc vero venerabilis Archiconfraternitas Confalonis de Urbe humiliter exponit, in libro suorum statutorum capite 36 expresse disponi, quod procurator Confraternitatis, quae petit aggregationem, praedictum intortitium offerre debeat, ac proinde demisse postulat, ut Sacra haec Congregatio declaret, posse Archiconfraternitatem oratricem, non obstantibus supramemoratis decretis, in posterum retinere consuetudinem recipiendi etiam intortitium, quia actus admissionis, in quo procurator Confraternitatis saepedictum intortitium offert, est omnino distinctus et separatus ab actu expeditionis litterarum patentium aggregationis, pro quibus nihil aliud praeter scutatum aureum hucusque recepit, et in posterum recipiet.

Quaeritur itaque:

An praeter scutatum aureum pro litteris aggregationis Archiconfraternitas percipere possit etiam intortitium a procuratore Confraternitatis aggregandae in actu admissionis?

Sac. Congregatio die 11 Maji 1722 respondit:

In decretis. [1])

[1]) Cfr. tamen Decretum Urbis et Orbis d. d. 8 Januarii 1861 „Ad Religionis.“

81.

1722 14 Dec. Denegatur indulg. pro Confraternitate S. Simperti.

Augustana. Nuper in ecclesia parochiali S. Udalrici, Augustanae civitatis, auctoritate Ordinarii erecta fuit Confraternitas sub invocatione S. Simperti, olim ejusdem civitatis Episcopi. Cum autem supplicatum fuerit pro concessione indulgentiarum perpetuarum, quae Confraternitatibus dari solent, orta dubitatio est, an praedictae indulgentiae concedi deberent, quia nomen praedicti S. Simperti in Martyrologio Romano minime reperitur, et juxta praxim hucusque firmiter retentam numquam datae fuerunt indulgentiae nisi Confraternitatibus erectis sub titulo alicujus Sancti, cujus nomen in praedicto Martyrologio Romano exstaret. Ut autem huic difficultati Oratores occurrerent, obtulerunt testimonium Vicarii Generalis asserentis, in quibusdam litteris anno Domini 1492 a Friderico tunc temporis Episcopo Augustano emanatis haec formalia verba contineri: *Hinc est, quod cum alias quondam bonae memoriae Dominus Petrus, Cardinalis et Episcopus Augustanus, praedecessor noster a quondam fel. record. Domino Nicolao V Papa indultum impetrasset, et obtinuisset, quatenus divinum diurnum atque nocturnum Officium de S. Simperto Episcopo, qui in monasterio SS. Udalrici et Afrae Ordinis S. Benedicti Augustae requiescit tumulatus, per Abbatem et Conventum ejusdem monasterii possent inibi peragi, ipseque Simpertus a Christifidelibus de cetero pro Sancto nominari, revereri et venerari, serie litterarum praefati quondam Domini Petri Cardinalis desuper confecta. Nos cupientes reliquias ejusdem S. Simperti pro majori veneratione in lucem produci . . .* Et insuper pariter obtulerunt decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quod est hujusmodi: *Augustana S. Simperti. Extensionem Officii et Missae esse concedendam. Die 19 Novembris 1622.*

Quare dubium propositum fuit:

An non obstante quod nomen S. Simperti in Martyrologio Romano non reperiatur, indulgentiae perpetuae Confraternitati erectae sub titulo S. Simperti concedi debeant?

Sac. Congregatio die 14 Decembris 1722 respondit:

Negative.

82.

1722 14 Dec. De crucibus et coronis Terrae sanctae non vendendis.

Augustana. Decreto edito die 5 Junii anni 1721, Sacra haec Congregatio prohibuit, ne cruces et coronae, quae loca Terrae sanctae et sacras Reliquias ibi exsistentes tetigere, in posterum publice aut secreto vendantur, quod a nonnullis turpis lucri cupidis ausu temerario fieri delatum fuerat. Post hujusmodi decretum Jacobus de Le Cluse, civis Augustanus, huic Sacrae Congregationi humiliter exposuit, se quam plurimas ex dictis coronis et crucibus, quae sacra loca sacrasque Reliquias tetigere, ab Hierosolyma secum detulisse, facultatem postulans praedicta vendendi, justo tamen pretio, nec ullo habito respectu vel ad contactum rerum sacrarum, vel ad indulgentias, quas praedicta gestantibus s. m. Innocentius XI concessit. Pretium vero exigere contendit tum pro expensis in emptione praedictarum rerum, tum pro vectigalibus pro earum asportatione solutis, tum etiam pro summo labore, ac discrimine vitae, cui se in adeo longa peregrinatione exposuit. Nonnulla insuper documenta addidit, quibus Ordinarius Oratoris fidem et probitatem commendat.

Quaeritur itaque:

An non obstante supra memorato decreto danda sit facultas Oratori supradictas cruces et coronas vendendi?

Sac. Congregatio die 14 Decembris 1722 respondit:

Negative.

83.

1723 16 Sept. De Archiconfrat. B. M. de Suffragio.

Viennen. in Austria. Archiconfraternitati B. M. de Suffragio litteris in forma Brevis expeditis die 22 Martii 1615 s. m. Clemens VIII facultatem concessit alias ejusdem denominationis et instituti Confraternitates aggregandi; sed voluit quod Confraternitates aggregandae eleemosynas pro Missis defunctorum accipere minime possent, quodque de hac prohibitione in litteris aggregationum pro tempore conficiendis specifica mentio fieri omnino deberet, alioquin aggregationes ipsae nullae essent. Cum autem Confraternitas Suffragii

paucis abhinc annis Viennae in Austria instituta et Archiconfraternitati de Urbe aggregata eleemosynas pro celebratione Missarum in suffragium defunctorum, non obstante supra memorata prohibitione, nedum sponte oblatas acceperit, verum etiam quaesierit, ideo humiliter postulat, ut SSmus D. N. ex Apostolicae Sedis benignitate providere super praemissis dignetur, aggregationem jam susceptam convalidando, ac insuper dispensando, ut in posterum eleemosynas pro Missis celebrandis exquirere licite valeat: cum propter certorum redituum inopiam nullatenus possit celebrationi Missarum et defunctorum suffragiis incumbere, quod tamen ad illius institutum maxime pertinere dignoscitur.

Quaeritur ergo:

1° *An aggregatio convalidari debeat?*

2° *An Confraternitati oratrici danda sit facultas exquirendi eleemosynas pro celebratione Missarum in suffragium defunctorum?*

Sac. Congregatio die 16 Septembris 1723 respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Negative.*

84.

1723 16 Septemb. **Altare privilegiatum.**

Murana. In ecclesia cathedrali civitatis Muranae perpetuo privilegio decoratum fuit a s. m. Gregorio XIII altare Assumptionis B. V.; verum praedicta ecclesia anno 1694 ingenti terraemotu diruta, nova in eodem situ aedificata fuit, ita tamen, ut altare Assumptionis B. V. in alium locum translatum sit. Hac de causa orta dubitatio est, an privilegium eidem altari concessum adhuc vigeat; pro cujus dubii solutione Capitulum ejusdem Cathedralis humiles preces porrexit.

Quaeritur itaque:

An privilegium maneat, non obstante quod altare sub eadem invocatione de novo aedificatum fuerit in alio quidem loco, sed in eadem ecclesia?

Sac. Congregatio die 16 Septembris 1723 respondit:

Affirmative.

85.

1723 16 Septembris. Confirmatio indulgentiae.

Romana. S. m. Clemens IX litteris in forma Brevis emanatis die 3 Julii 1668 ecclesiae monasterii Andreae alias S. Gregorii de Urbe, monachorum Ordinis S. Benedicti, Congregationis Camaldulensis, in ipsorum S. Andreae Apostoli et Gregorii festis diebus, ac in die Dedicationis ejusdem ecclesiae, et octo diebus immediate sequentibus, quibus Commemorationes fidelium defunctorum in dicta ecclesia fieri consueverunt, plenariam indulgentiam in perpetuum concessit, addita insuper facultate illam applicandi pro animabus in purgatorio detentis. Quia vero nuper dicta ecclesia instaurata ac in elegantiorem formam redacta est, et nonnulla altaria in locum diversum, ac antea exstiterant, collocata sunt, ideo Abbas praedicti monasterii humiliter quaerit:

An supra memoratae indulgentiae perpetuae cum facultate applicandi defunctis a s. m. Clemente IX concessae confirmari debeant?

Sac. Congregatio die 16 Septembris 1723 respondit:

Non indigere.

86.

1724 14 Novembris. De indulgentia pro auditione Missae.

Cremonen. Cum s. m. Innocentius XIII litteris in forma Brevis emanatis die 17 Junii 1722 concesserit indulgentiam plenariam assistentibus Missae solemni in festivitatibus SS. Nominis Jesu et Mariae in aliqua ex ecclesiis in statibus hereditariis augustissimae Domus Austriae consistentibus; et cum Missa solemnis rigorose sumpta sit illa, quae celebratur cum cantu et ministris sacris, uti colligitur ex rubricis Missalis et Gavanto aliisque auctoribus, ideo Episcopus Cremonensis litteris ad hanc Sacram Congregationem datis humiliter supplicat pro obtinenda solutione dubiorum, quae sequuntur:

1° *An Missa, quae cantatur a solo sacerdote sine ministris sacris, dici possit solemnis, cum contrariae sententiae sit Bissus* (de Miss. solemn. pag. 92 lit. M. 237); *et an assistentes eidem in praedictis festivitatibus lucrentur indulgentiam?*

2° *An Missa, quae dicitur in ecclesiis Regularium sine cantu, et vocatur conventualis, quia ad eam conveniunt Regulares, dici possit in hoc casu solemnis?*

3° *An Missa, quae dicitur sine cantu in ecclesiis Monialium, sit in ejusmodi casu solemnis, licet dicatur ab earum confessariis?*

4° *An Missa parochialis, quae dicitur sine cantu, possit dici solemnis, licet ad eam pulsentur duae vel tres campanae, et accendantur quatuor vel sex candelae, et quamvis ad eam conveniat populus seu loci clerus; nam contrariae opinionis est Gavantus, qui (tom. I. part. 1, tit. 15, num. 4) dicit, illam esse privatam, non conventualem seu solemnem, et an assistentes omnibus praedictis Missis in ejusmodi festivitatibus lucrentur indulgentiam plenariam?*

Sac. Congregatio die 14 Novembris 1724 respondit:

Negative in omnibus.[1])

87.

1724 28 Novembris. Oratio XL horarum.

Cum Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae innotuerit, in nonnullis ecclesiis Italiae, praecipue vero in regno utriusque Siciliae Orationem quadraginta horarum noctis tempore intermitti, orta dubitatio est: *an visitantes augustissimum Eucharistiae Sacramentum modo supra memorato expositum indulgentiam consequi valeant, cum in Brevibus pro ecclesiis Italiae hactenus expeditis exposita sint verba:* „Orationi quadraginta horarum continuatarum non autem interpolatarum?“ Ideo re mature discussa, eadem Sacra Congregatio declaravit, *indulgentiam ita lucrari minime posse.* Ne autem in posterum Christifideles tanto coelestium donorum bono careant, censuit in illis ecclesiis, in quibus rationabili de causa Oratio quadraginta horarum noctu intermitti consuevit, indulgentia deinde concedatur ea conditione adjecta, ut nonnisi noctis tempore, nempe ab hora vigesimaquarta, usque ad auroram diei immediate sequentis saepedicta Oratio interpoletur. Cum autem votum Sac. Congregationis Sanctissimo Domino Nostro relatum fuerit, Sanctitas Sua illud benigne approbavit, et eximia, qua fideles omnes caritate

---

[1]) Vide decretum Urbis et Orbis diei 21 Martii 1820.

complectitur, mandavit, ut ea de re Episcopi certiores fierent, ut quisque suarum Ecclesiarum indigentiae omni, qua decet prudentia, ac diligentia consuleret, curando, ut nova Brevia desuper opportuna expediantur.

Datum Romae die 28 Novembris 1724.

L. Card. **Picus** Praefectus.

Raphael Cosmus de **Hieronymis** Secret.

88.

1725 12 Martii. **Altare privilegiatum.**

Mantuana. Presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, civitatis Mantuae, exponunt, eorum ecclesiae s. m. Clementem XI communicasse omnes et singulas indulgentias et gratias, quibus gaudet ecclesia S. Mariae in Vallicella de Urbe. Verum quia dubitarunt, an in tali generali concessione comprehensum etiam fuerit privilegium pro duobus altaribus, quo gaudet praefata ecclesia S. Mariae in Vallicella de Urbe, ideo Oratores supplicant pro dubii declaratione; et quatenus ad dubium Negative respondendum sit ab Eminentissimis, humiliter postulant novam concessionem saltem unius altaris privilegiati quotidiani perpetui absque expressione numeri Missarum.

Quaeritur ergo:

1° *An in praedicta generali communicatione indulgentiarum et gratiarum comprehendatur privilegium perpetuum pro duobus altaribus?*

Et quatenus Negative,

2° *An saltem unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum concedi debeat absque expressione numeri Missarum?*

Sac. Congregatio die 12 Martii 1725 respondit:

Ad 1^m^: *Negative.*

Ad 2^m^: *Negative, et ad mentem. Mens est, quod concedatur altare privilegiatum non in perpetuum, sed ad septennium, juxta numerum Missarum, quae in ecclesia Oratorum quotidie celebrantur.*

89.

1725 7 Augusti. **Altare privilegiatum.**

Nullius Provinciae Theatinae. S. m. Gregorius XV privilegium antea pro aliquibus dumtaxat feriis concessum

altari exsistenti in ecclesia parochiali S. Mariae de Colle nuncupata litteris in forma Brevis expeditis die 14 Julii anni 1522 in perpetuum extendit *ad omnes et singulos dies, non tamen impeditos.* Modo orta dubitatio est, an praedictum privilegium suffragetur in festis duplicibus et impeditis; nam s. m. Alexander VII quoad altaria perpetuo privilegiata, in quibus Missae de Requie quotidie ex injuncto onere celebrandae essent, declaravit, praedictis oneribus satisfieri celebrando Missam de festo currenti, eamdemque suffragari perinde ac si Missa de Requie celebraretur, quod denuo confirmavit s. m. Clemens IX. Ex quibus privilegium supra memorato altari concessum etiam diebus impeditis suffragari videtur. Verum ex altera parte obstare videntur verba supra enuntiata Brevis concessionis privilegii, quibus s. m. Gregorius XV dies impeditos excepit, nec pro illis privilegium concessit.

Quaeritur ergo:

1° *An privilegium in supradicta ecclesia concessum etiam diebus impeditis suffragetur?*

Et quatenus Negative,

2° *An etiam ad illos modo extendi debeat?*

Sac. Congregatio die 7 Augusti 1725 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Extendendum esse privilegium etiam pro diebus impeditis.*

90.

1725 7 Augusti. Altare privilegiatum.

Beneventana. Altare majus ecclesiae FF. Minorum Conventualium S. Francisci Montisfusculi perpetuo privilegio, cum restrictiva ad sacerdotes ejusdem ecclesiae decoratum fuit a s. m. Gregorio XIII. In Brevi autem desuper expedito haec habentur: *Quocirca, ut ecclesia domus S. Francisci Montisfusculi Ordinis Fratrum Minorum Beneventanae dioecesis duodecim sacerdotibus, dictum Ordinem professis et ibi jugibus Sacrificiis Altissimo famulantibus ornata, nec simili usque adhuc privilegio decorata, et in ea altare majus hoc speciali dono illu-*

stretur, auctoritate etc. concedimus etc. Verum cum in praedicta ecclesia non amplius duodecim, sed ad summum sex Missae quotidianae modo celebrentur, ideo dubitatum fuit, an privilegium perseveret; nam in conditione positum esse videtur, quod duodecim sacerdotes in Conventu commorentur, et in sua ecclesia jugibus Sacrificiis Deo famulentur. Huc accedit, quod Breve praedictum non constat exhibitum fuisse Ordinario, cum desit consuetum Decretum publicationis. Pro expositi dubii declaratione, vel pro nova concessione privilegii cum extensione etiam ad quoscumque sacerdotes in altari privilegiato celebrantes, et absque expressione numeri Missarum humiles preces porrectae fuerunt.

Quapropter inquiritur:

1° *An praedictum privilegium adhuc perseveret?*

Et quatenus Negative,

2° *An denuo concedendum sit cum extensione etiam ad quoscumque sacerdotes in eo altari celebrantes, et nulla facta expressione numeri Missarum?*

Sac. Congregatio die 7 Augusti 1725 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Concedendum privilegium pro duabus feriis in hebdomada cum extensione ad quoscumque celebrantes absque expressione numeri Missarum ad septennium.*

Quibus SSmo relatis, Sanctitas Sua resolutionem primi dubii benigne approbavit; quoad alterum vero SSmus concessit privilegium pro duabus feriis cum restrictione ad sacerdotes ejusdem ecclesiae in perpetuum, absque expressione numeri Missarum.

91.

1726 13 Aprilis. **Varia dubia.**

Cremonen. Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia erant proposita:

1° *An Confraternitas Orationis et Mortis oppidi Casalis Majoris, aggregatà Archiconfraternitati Urbis, possit sine licentia Episcopi in suo oratorio exponere Eucharistiam infra annum, et praecipue 40 horarum in octava defunctorum, aliasve functiones peragere juxta assertum institutum in casu?*

Et quatenus Negative,

2° *An sufficiat semel dictam licentiam petere, tam pro expositione infra annum, quam 40 horarum, aliisque functionibus juxta dictum institutum, seu potius illa requiratur toties quoties?*

3° *An petita et non obtenta dicta licentia habeatur pro concessa in casu?*

Sac. Congregatio die 13 Aprilis 1726 respondit:

Ad 1m: *Negative quoad primam partem, et quoad secundam explicentur functiones.*

Ad 2m: *Servetur solitum.*

Ad 3m: *Negative et amplius in omnibus.*

92.

1726 13 Augusti. Rosarium B. M. V.

Cum Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Pater Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum supplices preces porrexerit pro declaratione dubii: *An qui SS. Rosarium B. M. V. recitant, omissa consueta meditatione mysteriorum humanae reparationis, et illorum vice mortem aut cetera novissima, vel alia pia ac religiosa meditantur, indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione Rosarii lucrentur?*

Sac. Congregatio die 6 Augusti 1726 respondit:

Non lucrari.

Quam Sacrae Congregationis declarationem per me Secretarium SSmo D. N. die 13 ejusdem mensis relatam, Sanctitas Sua benigne approbavit.

L. Card. Picus Praef.
Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

93.

1727 21 Januarii. Indulgentiae apocryphae.

Saepius delatum fuit Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, in multis christiani orbis partibus, non sine magno fidelium scandalo evulgata fuisse Summaria quaedam indulgentiarum, quae falso asseruntur concessae crucibus, coronis, sacrisque numismatibus ab Abbate monasterii Beatae Virginis Montis Serrati benedictis. Quapropter re mature perpensa multa in praedictis Sum-

mariis falsa et apocrypha, aut revocata contineri compertum fuit; et ne fideles decipiantur, eadem Sacra Congregatio declaravit, nullis aliis indulgentiis, aut privilegiis memoratas cruces, aut coronas, aut praefata sacra numismata gaudere, nisi illis, quae expressae continentur in Summario hoc anno 1727 nuper Romae typis Reverendae Camerae Apostolicae impresso, et a Sacra Congregatione Indulgentiarum recognito. Caetera autem quaecumque Summaria, sive manu scripta, sive impressa, tamquam apocrypha et expresse a SSmo D. N. revocata eadem Sacra Congregatio damnanda et prohibenda censuit, sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis: signanter vero assertum quoddam Summarium, quod post titulum incipit: *Noverint universi et singuli hoc praesens publicum transsumptum visuri* etc. contra mentem Sacrae Congregationis Romae impressum elapso anno typis Zinghi et Monaldi.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis benigne approbavit, et in omnibus exsecutioni mandari jussit.

Datum Romae die 21 Januarii 1727.

L. Card. Picus Praef.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

94.

1728 20 Julii. **Confraternitas aggreganda debet habere idem institutum, quod habet Archiconfraternitas.**

Papien. Confraternitas B. Virginis Lauretanae in civitate Papiae alias aggregata Archiconfraternitati SS. Nominis Mariae de Urbe, certior facta de Constitutione Ven. Servi Dei Innocentii XI edita 11 Maji 1689, disponente, quod ad effectum participandi de indulgentiis concessis dictae Archiconfraternitati necesse sit, profiteri idem institutum; quia vero Confraternitas oratrix ab antiquo erecta diversum profitetur, quod mutare non intendit, freta etiam indulto speciali obtento a Sanctissimo die 7 Junii 1726, quod per dictam aggregationem non intelligantur abrogata ejus primaeva jura et praeeminentiae, supplicat pro declara-

tione, ut, non obstante diversitate instituti, frui valeant indulgentiis Archiconfraternitatis aggregantis.

Quaeritur itaque:

An non obstante Constitutione Innocentiana precibus sit annuendum?

Sac. Congregatio die 20 Julii 1728 respondit:

Negative.

95.

1729 9 Maji. Altare privilegiatum.

Justinopolitana. Moniales monasterii S. Blasii civitatis Justinopolitanae obtinuerunt aggregationem Basilicae Lateranensi, et consuetam communicationem privilegiorum. Horum intuitu nedum indulgentias praeter illas Ordinis lucrari, sed perpetuo privilegio altaris eidem Basilicae concesso frui posse contendunt. Quod cum Episcopus hactenus abnuerit permittere, instant ab hac Sacra Congregatione declarari:

An vi aggregationis Ecclesiae Lateranensi concessum intelligatur privilegium altaris?

Sac. Congregatio sub die 9 Maji 1729 respondit:

Negative.

96.

1729 9 Maji. Altare privilegiatum.

Parentina. In insula, seu potius scopulo, prope, Rubinum, erectus est Conventus FF. Minorum de Observantia, qui obtinuerunt de anno 1725 a SSmo D. N. privilegium altaris ad septennium bis in hebdomada in eorum ecclesia sub titulo S. Andreae Apostoli, absque expressione numeri Missarum, sub obtentu, quod ad celebrandum in altari privilegiato quotidie transfretare coacti, saepe etiam discrimini vitae subjiciebantur. Cum autem subinde SSmus D. N. praevia revocatione similium privilegiorum, generali indulto concesserit altare privilegiatum perpetuum universae Religioni S. Francisci sub conditione certi numeri Missarum respective, Fratres praefati Conventus peculiari causae eorum concessionis innitentes supplicant declarari:

1° *An sub revocatione contenta in generali indulto comprehendatur privilegium antea concessum Oratoribus?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An sit de novo concedendum?*

Sac. Congregatio die 9 Maji 1729 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

97.

1729 9 Maji. **De Confraternitate SS. Rosarii.**

Urbevetana. Confratres Societatis SS. Rosarii erectae praevia facultate Patris Generalis S. Dominici usque de anno 1599 in ecclesia parochiali SS. Georgii et Christinae oppidi Bulsenae, inhaerentes traditioni Constitutionis s. m. Alexandri VI, crediderunt hactenus, frui posse privilegio perpetuo altaris uti concesso ubique locorum hujusmodi Confraternitatibus. Sed quia nuper asserunt invaluisse dubium allegatae concessionis, supplicant pro novo perpetuo privilegio. Rursus formidantes in Constitutione s. m. Clementis VIII (115) irritante aggregationes antea concessas ab Archiconfraternitatibus Urbis comprehensam esse eorum Societatem, supplicant declarari, revocatam fuisse praefatam Constitutionem per aliam Ven. servi Dei Innocentii XI et s. m. Innocentii XII. Quibus praemissis instant decerni, eorum aggregationem non esse irritam, vel iterum confirmari.

Quaeritur igitur:

1° *An Oratoribus concessum fuerit privilegium altaris?*

Et quatenus Negative,

2° *An sit concedendum?*

3° *An aggregatio seu institutio Societatis sit revocata?*

Et quatenus Affirmative,

4° *An sit revalidanda?*

Sac. Congregatio die 9 Maji 1729 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative pro confratribus et consororibus juxta solitum.*

Ad 3m: *Exhibeant formulam seu Bullam erectionis.*

Ad 4m: *Provisum in tertio.*

98.

1729 9 Maji. **De eleemosynis quoad indulgentias.**

Florentina. Pia domus catechumenis instruendis et alendis neophytis Florentiae erecta, quae in universa Etruria singularis est, necessariis ad opus adeo insigne subsidiis destituta, non semel enixis Praesulum hortationibus ad parochos et concionatores, qui fidelium largitiones et eleemosynas excitarent, parum hactenus adjumenti experta est. Hoc autem pinguius assequi posse sibi pollicentur, qui praesunt regimini ejusdem domus, si benignitate Apostolica tum administris tum eleemosynas contribuentibus elargirentur spirituales gratiae, quibus pluribus indultis etiam a s. m. Urbano VIII anno 1628 confirmatis fruitur altera pia domus *de' buoni huomini* nuncupata, et in eadem civitate a divo Antonino Archiepiscopo instituta ad subsidium pauperum verecundorum. Porro quae sint indulgentiae hujusmodi. notatur in Bulla Clementis VII, ubi recensentur quoque alia indulta Praedecessorum Pontificum Sixti IV, Innocentii VIII, Alexandri VI et Leonis X.

Quaeritur igitur:

An similes indulgentiae concedendae?

Sac. Congregatio die 9 Maji 1729 respondit:

Quoad Ministros Affirmative, et ad mentem; et mens est, quod Sac. Congregatio remisit Eminentissimo Praefecto seligere concedendas indulgentias, quae non sunt revocatae; quo vero „ad contribuendas eleemosynas vel porrigendas manus adjutrices“. *Negative.*

99.

1729 14 Decembr. **Moniales quoad indulgentias alterius Ordinis.**

Mediolanen. Nobile monasterium Angelicarum usque de anno 1535 ex pio legato Ludovicae Taurellae de Martinengo, Dominae Guastallae, una cum ecclesia sub titulo Conversionis S. Pauli excitatum sub expressa conditione acceptandae et servandae regulae S. Augustini subiectum fuit Archiepiscopo, potestate Monialibus facta eligendi sibi confessarium regularem S. Augustini vel alterius Ordinis, cui in absentia Archiepiscoporum jus esset visitandi, corrigendi et confirmandi Abbatissas. Cum autem sub ipso exordio

institutionis et dotationis Moniales elegerint in confessarium cum facultatibus praedictis eximiae probitatis virum Antonium Mariam de Zaccariis, fundatorem Clericorum Regularium Barnabitarum, et successive alios Sacerdotes ejusdem Congregationis, S. Carolus Borromaeus in sancta Visitatione commendans eorum directionem, mandavit, eos in posterum a praedicto ministerio non amoveri ab ejus Curia, declaratione tamen adjecta, quod per hoc ne in minimo quidem puncto imminuta aut restricta intelligeretur plena Archiepiscopi et Successorum potestas in dictum monasterium, sed ipsi et successoribus semper et quandocumque liberum esset, quemvis alium confessarium saecularem seu regularem cujusvis Ordinis deputare, prout servatur hucusque.

Curarunt subinde PP. ejusdem monasterii directores Breve indulgentiae plenariae a Venerabili servo Dei Innocentio XI de anno 1677 pro festis Conversionis et Commemorationis S. Pauli Apostoli concessae eorum ecclesiis prorogari per aliud Breve s. m. Innocentii XII de anno 1697 ad ecclesias etiam Monialium Barnabitarum. Hinc Oratrices hactenus credentes comprehensas esse sub illa concessione, publicare quotannis fecerunt indulgentias praedictas pro earum ecclesia. Cum autem nuper inter easdem Moniales excitatum fuerit dubium, an perseverarent sub regula S. Augustini, vel induissent Ordinem Barnabitarum, Eminentissimus Ordinarius, ne fideles deciperentur circa dictas indulgentias, denegavit deinceps earum publicationem, consultusque ab hac Sacra Congregatione, ad quam nomine Monialium habitus fuit recursus pro declaratione, rem altius repetendo, exposuit praelibatam facti seriem votumque aperuit suum, Moniales non esse comprehensas sub nomine Barnabitarum, concedi tamen posse ad aedificationem populi easdem indulgentias earum ecclesiae sub titulo S. Pauli.

Quaeritur igitur:

1° *An extensio indulgentiarum concessarum ecclesiis Congregationis Barnabitarum a Ven. Servo Dei Innocentio XI comprehendat Moniales Angelicas?*

Et quatenus Negative,

2° *An eisdem ex integro sint concedendae similes indulgentiae?*

Sac. Congregatio die 12 Decembris 1729 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Et facta per me infrascriptum Secretarium die 14 ejusdem mensis et anni SSmo relatione, Sanctitas Sua praefatas resolutiones approbavit, et mandavit, causam amplius non proponi.

J. **Archiep. Tyri Secret.**

100.

1731 3 Aprilis. **Via Crucis.**

AVVERTIMENTI NECESSARII
PER BEN REGOLARE IL DIVOTO ESERCIZIO DELLA VIA CRUCIS. [1])

Avendo la Santità di N. S. Papa Clemente XII alle suppliche del Procuratore Generale dell' Ordine de' Frati Minori di S. Francesco detti dell' Osservanza, tanto a nome suo come del Ministro Generale dello stesso Ordine, ampliata l'Indulgenza della Via Crucis con suo Breve in data delli 16 di Gennaro 1731, dal quale restano anche tolti alcuni dubii ch'erano insorti dopo il Breve della s. m. di Benedetto XIII suo Predecessore; si degnò la Santità Sua, mosso dal Paterno suo zelo per la salute delle anime, di ordinare al Cardinal Prefetto della Sacra Congregazione delle Indulgenze, che nel tempo stesso si fossero stabilite quelle regole e dati quelli avvertimenti, che avessero potuto contribuire, acciocchè un sì santo e profittevole esercizio, in cui deve meditarsi quell'atroce Passione, che il Nostro Redentore s' umiliò a soffrire *ob nimiam charitatem, qua nos dilexit,* si faccia da'Fedeli con quella divozione e raccoglimento, ch' è necessario a conseguire quell' effetto, che abbondantemente suol deri-

[1]) ***Monita necessaria ad recte ordinandum devotum exercitium Viae Crucis.*** **Cum SSmus D. N. Clemens XII ad supplices preces Procuratoris Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci de Observantia porrectas tam nomine suo quam Ministri Generalis ejusdem Ordinis, ampliaverit indulgentias Viae Crucis per Breve sub die 16 Januarii 1731, quo nonnulla dubia post Breve fel. rec. Benedicti XIII sui praedecessoris exorta tolluntur, eadem Sanctitas Sua, paterno suo zelo pro salute animarum permota, dignata est mandare Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, ut simul statuerentur illae regulae et monita, quae magis conferrent, ut tam sanctum ac proficuum exercitium, in quo meditanda est atrox illa Passio, ad quam perferendam Redemptor noster humiliter se subjecit** ***ob nimiam caritatem, qua nos dilexit,*** **a fidelibus peragatur ea devotione, animique attentione, quae**

varne. In esecuzione pertanto degli ordini, e della pia mente di Sua Santità si danno così a quelli che erigeranno le Vie Crucis, come alle persone, che vorranno approfittarsi di una tal devozione, le regole ed avvertimenti che seguono.

1° Che essendo stata conceduta la facoltà di erigere le Vie Crucis alli Religiosi soggetti al Ministro Generale de' Frati Minori sì Osservanti, che Riformati, *privative quoad alios quoscumque,* non è lecito ad altri erigerle, ed erigendosi altrimenti i fedeli non godono le Indulgenze.

2° Che non possono essere erette se non da' superiori locali dell' Ordine suddetto o di loro commissione da un altro Religioso dello stesso Ordine, il quale però sia o Predicatore o almeno Confessore approvato.

3° Che debbono erigersi nella forma consueta, e sin' ora praticata nell' Ordine sudd.; cioè che sieno quattordici Stazioni, e che le Croci o Cappellette rappresentino i Misteri della Passione. In quei luoghi poi, ne' quali si volesse erigere la Via Crucis fuori della Chiesa, come si usa in molti Conventi del detto Ordine, si procuri sempre ch' essa cominci dalla Chiesa o luogo Sacro, oppure termini fin presso la Chiesa stessa o luogo Sacro, avvertendo espressomente che le Cappellette sieno chiuse con cancelli in guisà che non abbiano ad entrarvi nè persone nè animali, e che tanto le dette Cappellette quanto le Croci siano collocate in luoghi non soggetti ad irriverenza, ed in caso che in progresso di tempo i luoghi nei quali

---

necessariae sunt ad consequendum illum effectum, qui abunde emanare exinde solet. In exsecutionem ergo mandatorum et piae intentionis Sanotitatis Suae dantur tam iis, qui Viam Crucis sunt erecturi, quam illis, qui hujus devotionis fructum consequi voluerint, monita sequentia:

1m. Cum facultas erigendi Vias Crucis concessa fuerit Religiosis subditis Ministro Generali FF. Minorum tam de Observantia, quam Reformatorum privative quoad alios quoscumque, prohibetur aliis eas erigere, et si aliter erigantur, Christifideles indulgentiis minime gaudent.

2m. Erigi nequeunt nisi a Superioribus locorum praedicti Ordinis, vel ex eorum commissione ab alio religioso ejusdem Ordinis, qui tamen sit aut concionator, aut saltem confessarius approbatus.

3m. Erigendae sunt in forma consueta et huc usque adhibita in supramemorato Ordine, i. e. ut stationes sint numero quatuordecim, et cruoes sive aediculae repraesentent mysteria Passionis. Ubi vero Via Crucis erigi vellet extra ecclesiam, prout fit in multis Conventibus praedicti Ordinis, curandum erit semper, ut ea ab ecclesia aut loco sacro ducat initium, vel usque ad Ecclesiam vel sacrum locum finem habeat; et omnino attendatur, ut aediculae cancellis tutentur, ne homines vel animalia in

fossero state erette divenissero indecenti, debbano i Superiori sospenderle, sopra di che s' incaricano strettamente le loro coscienze.

4° Che nella stessa Chiesa o Luogo Pio, quando sia capace, sarà bene erigere per maggior comodo del popolo due Vie Crucis, una delle quali serva per gli uomini, e l' altra per le donne, e quando una venga eretta fuori di Chiesa, se ne erigga sempre un' altra nella Chiesa, qualora questa sia di tal capacità, che basti per non fare confusione, acciocchè in tempo di pioggia o d' altro impedimento si possa nonostante praticare così santo esercizio.

5° Che questa pratica sia uniforme in tutti i luoghi senza alterare punto quella che s' è osservata fin' ora nei Conventi dell' Ordine, cioè si faccia la Via Crucis o processionalmente da tutto il popolo sotto la direzione di uno o più Sacerdoti, ovvero privatamente da ognuno. Quando si pratichi nel primo modo, si disponga la Processione in maniera che gli uomini vadano separati dalle donne, cioè quelli prima, e queste dopo con uno o più Sacerdoti intermedj, e ad ogni stazione un Chierico o Sacerdote legga ad alta voce la considerazione corrispondente ad ogni Mistero e Stazione e dopo recitato un *Pater* ed *Ave* e fatto un atto di Contrizione si tiri innanzi, cantandosi fra una Stazione e l' altra lo *Stabat Mater*, o altra Orazione, avvertendo tutti di contenersi con

---

eas ingredi queant, utque tam memoratae aediculae quam cruces collocentur in locis irreverentiis minime obnoxiis; quod si decursu temporis loca, in quibus erectae fuerint minus decentia evaderent, Superiorum erit eas interdicere, super quo eorum conscientiae stricte onerantur.

4m. In eadem Ecclesia aut pio loco ad majorem populi commoditatem utile erit duas Vias Crucis erigere unam nempe pro viris, alteram vero pro feminis: quum vero una extra Ecclesiam erigitur, altera quoque erigatur semper in Ecclesia, ita tamen ampla, quæ sufficiat ad vitandam confusionem; ut tempore pluviae aut alterius impedimenti peragi nihilominus possit tam sanctum exercitium.

5m. Hoc exercitium ubique sit uniforme, nil prorsus immutando quod hactenus servatum fuit in Conventibus Ordinis; i. e. Via Crucis peragatur vel processionaliter ab universo populo sub ductu unius vel plurium sacerdotum, vel privatim ab unoquoque ex fidelibus. Si primo modo, processio ita disponatur, ut viri incedant separati a feminis, i. e. illi praecedant, hae vero sequantur, uno aut pluribus sacerdotibus inter eos incedentibus, et ad singulas stationes aliquis clericus vel sacerdos alta voce legat considerationem mysterio seu stationi respondentem, et recitato *Pater* cum *Ave*, et actu Contritionis elicito ulterius procedatur, inter unam aliamque stationem interposito cantu *Stabat Mater* vel alterius orationis; curentque omnes

somma modestia, silenzio, e raccoglimento, mentre l'esperienza dimostra, che questo Santo esercizio praticato con pietà e divozione avvezza a poco a poco i fedeli d'ogni condizione al meditare, e li anima alla riforma de' costumi.

6° Che praticandosi privatamente non è necessario recitare sei *Pater* ed *Ave* ad ogni Stazione, come alcuni suppongono, ma basta il meditare benchè brevemente la Passione del Signore, che è l'opera ingiunta per fare acquisto delle Sante Indulgenze, e, conforme all' uso introdotto, recitare un *Pater* ed *Ave* ad ogni Croce e fare un atto di Contrizione.

7° Che essendo eretta la Via Crucis nella Chiesa i fedeli si astengano dal praticarla nel tempo degli Uffizi Divini, e della Santa Messa, e quando in Chiesa vi sia tal concorso di popolo che il farla possa cagionar tumulto e disturbo; tanto più che non essendovi impedimento si devono visitare ad una ad una tutte le Stazioni.

8° Che dovendosi erigere la Via Crucis in qualche Monastero di Monache o Conservatorio non è necessario che chi l'erige entri nella clausura, ma basta che un Religioso del medesimo Ordine d' età matura e qualificato, come si è detto nel terzo avvertimento, con licenza dell' Ordinario, benedica le Croci alle grate e faccia una breve istruzione alle Monache, ed altre che si trovassero nel Monastero o Conservatorio circa il modo, con il quale è necessario visitare le Croci per partecipare delle Indulgenze e riportarne profitto per le anime.

---

summa se gerere modestia, silentio animique attentione; compertum enim est hoc sancto exercitio pie ac devote peracto paulatim assuescere fideles quoscumque ad meditandum, eosque excitari ad mores reformandos.

6m. Si vero privatim peragatur non est necesse recitare sex *Pater* cum *Ave* ad singulas stationes, ut putant nonnulli, sed sufficit meditari, quantumvis breviter, Passionem Domini, quod est opus injunctum ad lucrandas sacras Indulgentias, et juxta morem jam inductum recitari unum *Pater* cum *Ave* ad singulas cruces, actumque contritionis elicere.

7m. Si Via Crucis erecta fuerit in Ecclesia ab ea peragenda abstineant fideles tempore divinorum officiorum, Missae, uti etiam quando talis sit in Ecclesia populi concursus, ut ea peragi nequeat absque tumultu ac perturbatione, eo vel magis quod, ubi nullum adsit impedimentum, singulae stationes singillatim sunt visitandae.

8m. Si Via Crucis erigenda sit in aliquo Sanctimonialium monasterio, vel conservatorio, non est opus erigentem ingredi clausuram, sed sufficit ut Religiosus ejusdem Ordinis maturae aetatis et qualificatus, ut dictum est in tertio monito, de licentia Ordinarii benedicat cruces ad crates, breviterque moniales aliasque in monasterio vel conservatorio degentes instruat circa modum quo visitandae sunt cruces ad lucrandas indulgentias, fructumque exinde pro animabus referendum.

9° Che non si pubblichi dai Pulpiti, nè in altra forma e molto meno si scriva nelle Cappellette, o Stazioni un numero certo e determinato delle Indulgenze che si acquistano, poichè si è riconosciuto in più occasioni, che o per inavvertenza ed equivoco o per trasporto di divozione si altera o si confonde la verità delle Indulgenze; e perciò basterà il dire che chiunque mediterà la Passione del Signore in questo Santo Esercizio, acquisterà per concessione de' Sommi Pontefici le stesse Indulgenze, che acquisterebbe, se visitasse personalmente le Stazioni della Via Crucis di Gerusalemme.[1] Dato li 3 Aprile 1731.

L. Card. **Pico** Prefetto.

Gio. Arcivescovo di Tiro Segr.

101.

1731 12 Dec. — De translatione indulgentiae.

Warmien. Pium sodalitium sub titulo SS. Sacramenti erectum in parochiali ecclesia oppidi Brunsbergen. inter quamplures alias indulgentias obtinuit anno 1722 a s. m. Innocentio XIII plenariam perpetuam pro principaliori festo Confraternitatis ab eadem ad libitum eligendo et approbando ab Ordinario. Vigore hujusmodi facultatis sodales decreverunt, servatis servandis, festum diem S. Georgii, quod peculiari cultu jam antea in eadem parochiali celebrabatur. Verum occurrente eodem die festo S. Adalberti, Protectoris regni Poloniae, quod sub ritu primae classis in tota dioecesi servatur, transferri consuevit solemnitas festi S. Georgii ad diem vel immediate sequentem, vel eo, festivitatibus paschalibus recurrentibus pariter impedito, ad subsequentem alium, et pluries etiam usque ad mensem Maji. Veriti itaque Oratores de validitate indulgentiae extra diem ad formam concessionis electum, supplicant Sacrae huic Congregationi pro

---

9m. Non publicetur ex pulpitis, aut alia forma, multoque minus scribatur in aediculis sive stationibus certus et determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum, quia pluries innotuit, indulgentiarum veritatem sive ex inadvertentia aut aequivocatione sive ex devotionis impetu alterari ac confundi; et propterea sat erit dicere, quemcumque Dominicae Passioni meditandae hoc sancto exercitio daturum operam ex concessione Summorum Pontificum consequuturum easdem indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Jerusalem.

Datum Romae die 3 Aprilis 1731.

[1]) Monitum decimum postea additum vide infra sub dato 10 Maji 1742.

ejusdem translatione ad diem, quo solemnitatem S. Georgii decreverit celebrari. Quae cum omnia Ordinarius veritati niti testetur, quaeritur:

An indulgentia praefata perpetua sit, ut petitur, transferenda?

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, attentis narratis die 10 Decembris 1731 censuit, *ut, quoties ob occurrentiam alterius Officii superioris ritus sit transferendum festum S. Georgii a die 23 Aprilis ad primam diem non impeditam juxta rubricas Breviarii Romani, transferatur quoque indulgentia in supplici libello expensa.*

Et facta de praedictis SSmo D. N. relatione die 12 ejusdem mensis Decembris per me infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua benigne annuit.

Joannes **Archiepiscopus** Tyri Secret.

102.

1732 11 Junii. Ecclesiae regularium quoad indulgentias.

Ordinis FF. Capucinorum. Ecclesiae omnes Conventuum FF. Ordinis Capucinorum ubilibet exsistentes pro utriusque sexus Christifidelibus illas visitantibus, in Sanctorum Ordinis, pluribusque aliis festis diebus ex Summorum Pontificum benignitate innumeris gaudent indulgentiis in perpetuum, sive ad tempus. Sub hujusmodi generalibus concessionibus, an quoque comprehendantur ecclesiae, seu capellae et oratoria publica, quae in residentiis, atque hospitiis Missionum iidem Fratres habent, nonnulli in controversiam duxerunt eo, quia pro his ecclesiis in Missionum residentiis exsistentibus Apostolica Sedes generali non obstante concessione pro omnibus Ordinis ejusdem ecclesiis, specialia ad certum tempus, et in aliquibus tantum ex dictis festivitatibus dederit indulta. Pro dubii hujus declaratione ejusdem Ordinis Procurator Generalis supplices SSmo D. N. porrexit preces, quae a Sanctitate Sua huic Sacrae Congregationi remissae sunt.

Quaeritur igitur:

An ecclesiae, capellae, et oratoria publica in residentiis et hospitiis Missionum praefati Ordinis, gaudeant indulgentiis generaliter concessis omnibus ecclesiis Conventuum Ordinis ejusdem?

Sac. Congregatio die 27 Maji 1732 respondit:

Affirmative pro ecclesiis et oratoriis publicis residentiarum, quae tamen sint fixa, et ad quae confluunt fideles ad Sacrum audiendum, et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta.

Quibus relatis per me infrascriptum Secretarium sub die 11 Junii ejusdem anni SSmo D. N. Clementi PP. XII, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

L. Card. **Picus** Praef.
J. Archiepiscopus Tyri Secret.

103.

1732 1 Septembris. Indulgentiae septem altarium.

Januen. Visitantes septem specialiter designata altaria sacrosanctae Basilicae Principis Apostolorum, quamplures lucrari indulgentias a Summis Pontificibus concessas, constans est traditio. Solet Apostolica Sedes aliis quoque ecclesiis, in quibus is altarium numerus adsit, simile privilegium, easdemque indulgentias illa visitantibus communicare; quinimo et stylus est, illud etiam intra Monialium claustra elargiri. Concessionis litterae pro Monialibus ita sunt conceptae: „*Dilectis in Christo Filiabus, Abbatissae, seu Priorissae, et Monialibus monasterii etc. Ad augendam vestram devotionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae Thesauris pia charitate intenti, Vobis omnibus et singulis, ac aliis in vestro monasterio degentibus, qui septem altaria, seu capellas intra claustra vestri monasterii sita duodecim vicibus pro quolibet anno per Ordinarium semel tantum designandis devote visitaveritis, et ibi etc. effuderitis, qua vice praedictarum id egeritis, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequamini, ac si septem altaria in Basilica Principis Apostolorum de Urbe sita ad id designata personaliter et devote visitaveritis, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus etc.*"

Similes indulgentias Moniales monasterii S. Marthae, Januensis civitatis, obtinuerunt. At Apostolicum Breve Archiepiscopus, cui ad formam Tridentini Concilii exhibitum fuit, exsecutioni dare minime censuit. Etenim nequaquam

septem oratoria aut altaria in monasterio erecta adesse animadvertit, sed eorum vice septem icones ac Sanctorum imagines ad parietes chori, ubi Moniales convenire solent, affixas velle ab ipsis subrogari. Cum autem Moniales intra claustra commodiorem non habeant locum, ubi septem distinctas capellas aut altaria possint erigere, ut hujusmodi spiritualibus muneribus non destituantur, supplices porrexerunt preces SSmo D. N. pro declaratione, ut satis ipsis sit pro enuntiati Brevis exsecutione, vice septem altarium septem habere icones ut supra dispositas ac earumdem imaginum distincta visitatione illas lucrari indulgentias ac si septem altaria distinctim erecta visitarent.

Remissis precibus ad hanc Sacram Congregationem quaeritur:

An satis sit saepedictis Monialibus pro exsecutione Brevis septem altarium eorum loco septem distinctas icones, ut supra dispositas tantum habere, ac pro indulgentiarum assecutione illas distinctim visitare?

Sac. Congregatio die 1 Septembris 1732 respondit:

Negative.

104.

1732 1. Sept. Altare privilegiatum.

Novarien. Joannis Baptistae Cabalti piam voluntatem, qua unam sibi Missam in perpetuum singulis sabbati diebus celebrandam ad altare privilegiatum jussit, etsi ejus haeredes exacte usque nunc adimpleri curaverint, modo in hac, modo in altera ecclesia ad altaria privilegio pro defunctis decorata, pro sacerdotum celebrantium commodo, attamen Franciscus Cabaltus, modernus haeres, ut pium hoc testatoris legatum fidelius in posterum possit exsolvi, certam ecclesiam certumque altare, quod privilegiatum exsistat, in quo praescriptae Missae celebrentur, statuere meditatur. Ut hujus Missae commodum in earum ecclesia accrescat, Moniales Ordinis S. Augustini Civitatis Novariae, inter quas nonnullae tum ipsi testatori, tum haeredi sunt affines et sanguine conjunctae, ejusdem ecclesiae altare majus, quod privilegiatum est, designari quam maxime exoptant, eisque morem gerere haeres non adversatur. Verum cum privilegium, quo dictum

altare ornatur, *pro ipsis tantum Monialibus, earumque consanguineis, affinibus, et benefactoribus, et pro una feria cujuslibet hebdomadae ab Ordinario semel tantum designanda,* suffragetur ex generali indulto s. m. Benedicti XIII pro omnibus ecclesiis Monialium Ordinis S. Augustini sub die 13 Septembris 1726, cumque jam ab Eminentissimo Novariensi Episcopo pro dicto altari majori feria secunda fuerit statuta, non solum opus esset, ut pro hac dies sabbati sufficeretur, verum etiam aliqua dubitandi ratio inesse posset, an hujusmodi privilegium ita conceptum Missas a Joanne Baptista Cabalto legatas quoque comprehenderet; incertum enim est, an in hoc monasterio Moniales ipsi affines, aut sanguine conjunctae semper sint affuturae; quapropter tum ipsae Moniales, tum ipse haeres pro opportuna declaratione preces huic Sacrae Congregationi porrexerunt, credentes saltem in benefactorum numerum esse ipsum Joannem Baptistam recensendum, ex cujus legato qualibet die sabbati alterius Missae commodum Monialibus earumque ecclesiae accrescit. Vel potius, ad omnem difficultatem dirimendam, utque tutius suffragio ipsius Joannis Baptistae Cabalti consuli possit, enixe supplicant, ut etiam pro his Missis privilegium benigne extendatur.

Quaeritur igitur:

1° *An privilegium, quo gaudent Moniales Ordinis S. Augustini Novariae comprehenderet quoque Missas a Joanne Baptista Caballo legatas, si ad altare majus earúm ecclesiae celebrentur; et an pro hujusmodi effectu sit feria secunda in diem Sabbati subroganda?*

Et quatenus Negative,

2° *An sit pro hujusmodi Missis extendendum in casu?*

Sac. Congregatio die 1 Septembris 1732 respondit:

Pro extensione privilegii altaris ad diem Sabbati pro Missis tantum relictis a praedicto Joanne Baptista Cabalto in ecclesia ipsarum Monialium assignandis.

105.

1733 20 Januarii. De moderatione indultorum a Clemente XII facta.

Ordinis Canonicorum Reg. S. Salvatoris. Sacros Regularium Ordines peculiari animi affectu prosequens fel.

rec. Benedictus XIII Congregationem S. Salvatoris, cujus jamdudum Protector apud S. Sedem exstiterat, spiritualibus Apostolicae Sedis muneribus in Bulla, quae incipit *In Sede* edita septimo Kalendas Aprilis 1729 decoravit. Ceteris insuper, quae praefato Ordini a Pontificibus aliis, Praedecessoribus suis concessa erant, confirmatis nova addidit privilegia, siquidem pro festis S. Augustini, S. Monicae, illorumque Sanctorum, quorum solemnitates speciali cultu in ipsorum ecclesiis recoluntur, plenariam indulgentiam a cunctis Christifidelibus lucrandam: rursus Natalis, Paschatis Resurrectionis Dominicae, Quadragesimae et Adventus temporibus ecclesias easdem visitantibus Stationum Urbis indulgentias: demum altare privilegiatum in qualibet ipsorum ecclesia celebrantibus ipsis Canonicis tantum fuit impertitus. Porro eas Benedicti XIII concessiones, quae aut nimis amplae, aut praesenti stylo prorsus alienae videbantur, SSmi D. N. Clemens XII eximio, quo pollet instaurandae disciplinae ecclesiasticae studio censuit moderandas atque ad terminos juris communis, Concilii Tridentini et Constitutionum Apostolicarum redigendas, Constitutione incipiente *Romanus Pontifex* diei 30 Mart. 1732 inter alias tamen signanter hanc favore Canonicorum Regularium a Benedicto editam provida moderatione revocavit. Verum hujusmodi moderatione quamvis expressa non obstante minime revocatas indulgentias et privilegium altaris a Benedicto concessum Canonici praefati confidunt, praesertim quia in narrativa Bullae SSmi D. N. *ad amovendam quarumcumque dissensionum et litium occasionem* ad terminos juris communis Benedicti Constitutiones reducuntur, ac proinde solum privilegia contentiosa videntur revocata, cujus quidem generis non esse adstruunt gratias ipsis a Benedicto concessas. Quia tamen in dispositiva laudatae Bullae *omnes omnino gratias, favores et indulta perinde ac si non emanassent, habenda* decernitur, et rursus videtur potius pars dispositiva ejusdem Bullae, quam narrativa attendenda, per text. expressum in cap. *Si Papa* de privilegiis,

Quaeritur igitur:

1° *An per moderationem seu revocationem expressam Bullae favore Canonicorum Regularium editae indulgentiae ipsis a Bene-*

dicto XIII concessae, necnon privilegium altaris intelligatur revocatum?

Et quatenus Affirmative,

2° *An eaedem gratiae sint ipsis de novo concedendae?*

Sac. Congregatio die 20 Januarii 1733 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

106.

1734 5 Octobris. Indulgentiae apocryphae.

Delatis judicio Sacrae Congregationis Indulgentiarum quamplurimis Summariis indulgentiarum, atque privilegiorum sub asserto nomine confratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum in variis locis praecipue Hispaniarum editis, quae non modo non sunt ex recognitis et approbatis ab eadem Sacra Congregatione, verum etiam continent multas indulgentias et indulta falsa, atque a Summis Pontificibus jam revocata, eadem Sacra Congregatio confirmando decretum editum sub die 7 Martii 1678 non evulgandi Summaria indulgentiarum sub nomine confratrum, tam praefati, quam cujuscumque alterius Ordinis a Sacra Congregatione non recognita; necnon prohibitionem cujuscumque similis Summarii factam sub die 20 Decembris 1718 praefata itidem reprobavit et districte prohibuit, omnibusque sive saecularibus, sive regularibus sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae mandavit, ne in posterum alia imprimantur, aut publicentur Summaria indulgentiarum et signanter sub nomine, ut supra, confratrum ejusdem Ordinis, quam ea, quae sub die 28 Novembris 1678 et 16 Septembris 1723 ab ipsamet Sacra Congregatione recognita et approbata fuerunt, atque de his omnibus dari litteras ad Nuntium Sedis Apostolicae, ac ad omnes Hispaniarum Archiepiscopos et Episcopos juxta instructionem.

Et facta de praedictis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Datum Romae die 5 Octobris 1734.

L. Episcopus Albanensis Card. Picus Praef.

Joannes Archiepiscopus Tyri Secret.

107.

1735 5 Februarii. De subsistentia communicationis indulgentiarum.

Tertii Ordinis S. Francisci. Implexam satis ob diversas Summorum Pontificum Constitutiones Tertii Ordinis S. Francisci instantiam bis in hac Sacra Congregatione propositam ad praesentem consessum differendam EE. PP. censuerunt, ut, si quae superessent partium jura, deducerentur. Contendunt siquidem Fratres, sibi minime fuisse revocatam communicationem indulgentiarum cum aliis quibuscumque Ordinibus, quam a s. m. Leone X aliisque Summis Pontificibus obtinuerant. Quamvis enim s. m. Paulus V in Constitutione *Romanus Pontifex* generaliter Regularibus Ordinibus eamdem communicationem quoad personales indulgentias revocaverit, certasque indulgentias constituerit, tamen s. m. Benedictus XIII in Constitutione *Paterna* iterum Tertio Ordini confirmavit. Verum cum SSmus D. N. eam Benedicti Constitutionem ad terminos juris redegerit, Sacrae huic Congregationi proposuerunt sequentia dubia:

1 m. *An quoad participationem meritorum alienorum ac communicationem indulgentiarum Tertius Ordo S. Francisci de Poenitentia tuto Bullaria sequi possit, nedum quoad participationem meritorum alienorum, verum etiam communicationem omnium indulgentiarum singulis Ordinibus indultam?*

2 m. *An quoad indulgentias obsit revocatio s. m. Pauli V edita sub die* 23 *Maji* 1606?

3 m. *An quoad indulgentias septem ecclesiarum Urbis eidem Tertio Ordini obsit decretum s. m. Innocentii XI decernentis indulgentias Stationum Urbis tantum pro diebus in Missali Romano assignatis suffragari; cum P. Engelbertus Pauck in sua* „Vinea Seraphica“ *Romae approbata* fol. 148 *asserat: Tertium Ordinem S. Francisci etiam post dictum decretum gaudere indulgentiis septem Ecclesiarum et Stationum Urbis?*

4 m. *Demum cum saepius in Bullis S. Sedis legatur: Ordines Regulares minime communicare in indulgentiis intuitu alicujus particularis Religionis concessis, quid sub verbis illis* intuitu particularis Religionis *sit intelligendum?*

Sac. Congregatio die 5 Februarii 1735 respondit:

Ad 1^m: *Negative.*

Ad 2^m et 3^m: *Affirmative.*

Ad 4^m: *Regulares gaudere privilegiis indulgentiarum concessarum operibus ex instituto peragendis.*

108.

1735 25 Aprilis. Via Crucis.

Ordinis S. Francisci Strict. Observ. Provinciae S. Saturnini in Sardinia. Ad excitandam in animis fidelium Dominicae Passionis contemplationem, qua nihil facilius sanctificationem hominis operatur, ut sancti Patres testantur, pium exercitium invaluit Viae Crucis in ecclesiis FF. Ordinis S. Francisci erigendae, qua iter patientis Redemptoris ad Calvarium quatuordecim interjectis Stationibus fideles recolunt et imitantur. Ut autem aliquo spirituali emolumento pium hoc institutum peragеretur, Summi Pontifices Innocentius XI. et XII., necnon Benedictus XIII. peculiaribus editis Constitutionibus easdem indulgentias impertiti sunt, quae visitantibus stationes Hierosolymis erectas reperiuntur concessae.

Verum ex uberi harum indulgentiarum concessione peragentibus Viam Crucis penes FF. S. Francisci plures ambages inter Christifideles irrepserunt, aliis putantibus solis personis Fratrum indulgentias intelligi concessas, aliis solis Christifidelibus in ecclesiis, vel locis eorumdem FF. S. Francisci subjectis stationes peragentibus. Quibus ut finem imponeret SSmus D. N. disposuit, indulgentias lucrari, si in loco Fratribus Minor. subjecto, aeque ac non subjecto Via Crucis peragatur, dummodo a Fratribus Ministro Generali subjectis, privative quoad alios, fuerit erecta, aliaeque conditiones concurrant, quae in Litteris incipien. *Exponi nobis* editis sub die 16 Januarii 1731, necnon in instructione jussu SSmi edita ab hac Sacra Congregatione pro methodo in exercitio Viae Crucis servanda fusius continentur. Quoniam vero in praefata instructione expresse declaratur §. 1 eos solum Christifideles indulgentias lucrari, qui Viam Crucis peregerint a Fratribus Minor. Ministro Generali subjectis erectam,

FF. Minor. strict. Observ. Prov. S. Saturnini supplicant pro solutione sequentis dubii:

An indulgentiae Viam Crucis peragentibus a S. Sede concessae etiam ad Vias Crucis erectas a non subjectis Ministro Generali Ordinis S. Francisci de Observantia extensae intelligantur?

Sac. Congregatio die 25 Aprilis 1735 respondit:

Negative.

109.

1735 5 Julii. **Indulgentiae apocryphae.**

Delato ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam Summario Hispanico idiomate typis dato, cujus titulus latine versus: *Summarium gratiarum, indulgentiarum, jubilaeorum et Stationum regibus catholicis in ipsorum regia capella Conceptionis Dominae Nostrae in Conventu S. P. N. Francisci Magnae Domus in civitate Granatensi, et numismatibus, quae in ipsa sacra aede distribuuntur, concessarum a Summo Pontifice Leone X et confirmatarum a multis Summis Pontificibus, et recenter a SSmo Patre Nostro Clemente XII die 30 Aprilis anni elapsi* 1733, eoque accurate examinato Sacra Congregatio sub die 5 Julii 1735 censuit prohibendum esse idem Summarium, tamquam continens concessiones et indulgentias falsas, apocryphas, piarum aurium offensivas, scandalosas, Sanctae Sedis injuriosas sub poenis canonicis, et notificandum Procuratori Generali, atque supplicandum Sanctissimo pro expeditione Brevis, committendo Ordinario Granatensi illius publicationem, qui curet, ut lacerentur copiae praefati Summarii.

110.

1735 30 Julii. **Indulgentiae denegatae Cincturatis.**

Ordinis S. Augustini. Fidelibus quibuscumque, qui Confraternitati Cincturatorum nomen dederint, singulas indulgentias, quae in ecclesiis Ordinis S. Augustini reperiuntur, S. Sedes asseritur concessisse. Quoniam vero praefati sodales ad ingentem numerum aucti in pluribus locis exsistunt, qui Conventibus FF. Ordinis S. Augustini carent, supplicavit

SSmo D. N. P. Provincialis Ordinis S. Augustini Provinciae Ulyssiponensis, ut indulgentias concessas ecclesiis Ordinis S. Augustini in locis, ubi Conventus eorumdem FF. non reperiuntur, ad parochialem ecclesiam, vel alias quascumque, ad quas confratres Sodalitatis Cincturatorum commode accedere possint, extendere dignaretur.

Quaeritur itaque:

An indulgentiae concessae ecclesiis Ordinis S. Augustini sint extendendae ad ecclesias ubique locorum exsistentes in locis, ubi Conventus Ordinis non reperiuntur, favore Confraternitatis Cincturatorum?

Sac. Congregatio die 30 Julii 1735 respondit:

Negative.

111.

1735 1 Octob. De communicatione indulgentiarum.

Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci. Propositis in hac Sacra Congregatione examinandis dubiis circa communicationem indulgentiarum Tertio Ordini S. Francisci concessarum, rescriptum fuit sub die 5 Februarii currentis anni, Fratres ejusdem Ordinis sequi non posse Bullaria Roderici et Confectii, sed obstare Constitutionem s. m. Pauli V incipien. *Romanus Pontifex,* qua generaliter Regularibus indulgentias ab antecessoribus Pontificibus concessas revocavit novasque praescripsit. Veriti ad praesens sodales Confraternitatis saecularis Tertii Ordinis sub regimine Fratrum Minorum strictioris observantiae loci Lugani, Comen. dioecesis, ex hac resolutione amplissimas indulgentiarum gratias sibi a S. Sede ante Paulum V. concessas fuisse revocatas, Sacrae huic Congregationi Summarium indulgentiarum, quibus gaudere asserunt, exposuerunt, ut earum subsistentiam declarare, necnon facultatem imprimendi earumdem Summarium concedere dignaretur. Imo, ut resolutio edita sub die 5 Februarii omnem dubitandi locum excludat, sequentia dubia supplicant explicari.

1° *An eadem resolutio intelligatur de indulgentiis Regularibus personis ac Tertio Ordini communibus, seu promiscue concessis?*

2° *An de indulgentiis ipsi Tertio Ordini saeculari directe concessis?*

3° *An de illis, quibus per communicationem personae ejusdem Tertii Ordinis frui et gaudere dicuntur?*

Quaeritur igitur:

An et quomodo praemissa dubia sint declaranda?

Sac. Congregatio die 1 Octobris 1735 respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Dilata, et exhibeantur Brevia.*

Ad 3m: *Quoad indulgentias, quibus per communicationem fruebantur ante revocationem Pauli V, affirmative; quoad alias assertas concessas dilata et exhibeantur Brevia.*

112.

1735 1 Octobris. Via Crucis.

Dioecesium S. Severinae et Messanae. Congruum profecto visum est, ut Seraphicus Ordo FF. de Observantia, cujus laudabili cultui et custodiae sacra Dominicae Passionis loca dudum ab Apostolica Sede commendata reperiuntur, peculiari privilegio in institutione Viae Crucis decoraretur. Hinc SSmus D. N. in sua Constitutione incipien. *Exponi* indulgentias alias a Summis Pontificibus Praedecessoribus concessas ampliavit peragentibus Viam Crucis, quae tamen in loco FF. Minoribus subjecto, itemque in loco FF. praedictis non subjecto instituta foret, dummodo ab uno ex eorum familia cum facultate Superiorum localium institueretur. Verum non obstante appositione hujus clausulae exposuit Sacrae huic Congregationi Procurator Generalis Minorum Observant., archipresbyterum loci Policastri, Dioecesis S. Severinae, sub praetextu facultatis obtentae, in quadam ecclesia saeculari Viam Crucis erexisse. Itemque in terra Petraliae, Messanensis Dioecesis, P. Seraphinum Montis Regalis, absque ullo Superiorum suorum indulto in ecclesia matrici ejusdem terrae alteram Viam Crucis constituisse.

Quamvis autem P. Commissarius Generalis, utramque expresse revocaverit, tamen rectores praefatarum ecclesiarum saecularium renuunt easdem abolere. Supplicavit proinde

P. Procurator Generalis, ut Ordinariis dictarum Dioecesium praecipiatur abolere Vias Crucis, ex quo, cum citra praescriptum Constitutionis sint erectae, admittendae non videantur. Additque insuper, quod in utroque loco Policastri et Petraliae erecta reperitur Via Crucis in Conventibus FF. Ordinis S. Francisci, ac proinde superfluum videri posset, alias de novo constituere.

Quaeritur igitur:

An sit confirmanda erectio Viae Crucis in casu?

Sac. Congregatio die 1 Octobris 1735 respondendum censuit:

Quoad vias Crucis Petraliae:

Suspendendas esse indulgentias.

Quoad vero viam Crucis Policastri:

Nullis frui indulgentiis.

113.

1735 5 Octobris. **Altare privilegiatum in ecclesiis monachorum Ord. Camaldulensium.**

Cum sub die 9 Februarii 1729 s. m. Benedictus XIII benigne concesserit privilegium quotidianum perpetuum altari S. Romualdi in omnibus et singulis ecclesiis Monachorum, eremitarum et Monialium Ordinis Camaldulensium; cumque deinde dubitatum fuerit, an praefatum indultum intelligendum tantum sit pro altaribus tunc erectis, vel etiam pro altaribus in posterum erigendis, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, instante pro resolutione praedicti dubii R. P. D. Petro de Zaghis, Procuratore Generali ejusdem Ordinis, sub die 1 Octobris 1735 censuit, praedictum indultum comprehendere tam altaria, quae tunc reperiebantur erecta, quam in posterum erigenda.

Et facta de praemissis SSmo D. N. relatione per me infrascriptum Secretarium sub die 5 ejusdem mensis Octobris Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis benigne approbavit.

L. Episcopus Albanensis Card. Picus Praef.
Joannes Archiepiscopus Tyri Secret.

114.

1736 4 Februarii. De facultate dandi Benedictionem Papalem.

Ordinis S. Augustini. Proposito in hac Sacra Congregatione dubio:

An Ordini S. Augustini competat facultas impertiendi Benedictionem Papalem certis diebus concedi solitam?

Sac. Congregatio die 4 Februarii 1736 respondit:

Non competere Ordini S. Augustini facultatem impertiendi Benedictionem Papalem, et inhibeatur ea deinceps.[1])

115.

1736 4 Februarii. Confirmatur decisio diei 5 Februarii 1735.

Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci. Sacra haec Congregatio sub die 5 Februarii anni proxime praeteriti, re mature discussa, et post plures etiam consessus examinata, respondit, Tertium Ordinem sequi non posse Constitutiones Summorum Pontificum in Compendio Alphonsi de Casarubios et Hieronymi Sorbo[2]) contentas, quoad participationem meritorum alienorum, atque indulgentiarum communicationem, ideoque eidem Tertio Ordini obesse Constitutionem editam a s. m. Paulo V anno 1606, qua, prioribus indulgentiis a Regularibus obtentis revocatis, novas praescripsit; insuper servandum esse decretum s. m. Innocentii XI quoad indulgentias Stationum; tandem Regulares gaudere privilegiis indulgentiarum concessarum operibus ex eorumdem instituto peragendis.

Quoniam vero opinantur partes, EE. PP. solum pro Tertio Ordine regulari praefatas resolutiones edidisse, secus pro Tertio Ordine saeculari, qui, licet extra claustra commoretur, a Ministro tamen Generali Ordinis dependet, nonnulla adjiciunt fundamenta, ut Sacram hanc Congregationem moveant ad recedendum a decisis.

---

[1]) Benedictus XIV deinceps hanc facultatem concessit per Breve *Commissae Nobis* d. d. 10. Maji 1743.

[2]) Sermo est de libro, cui titulus „Compendium privilegiorum Fratrum Minorum et aliorum Mendicantium et non Mendicantium, auctore P. Alphonso de Casarubios, quinto editum et reformatum per Hier. a Sorbo, Ord. Capuc. Venet. 1617.“

Quare hoc proponitur dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis quoad Tertium Ordinem saecularem?

Sac. Congregatio die 4 Februarii 1736 respondit:

In decisis, etiam quoad Tertium Ordinem saecularem.

116.

1736 4 Februarii. Breve confirmationis altaris privilegiati.

Quum post expeditionem privilegiorum altarium in Urbe factam Brevia Apostolica, in quibus eorum concessio continetur, Ordinariis locorum, ut par est, nonnulli praesentare negligerent, et detrectarent eorum exsecutionem, Sacra haec Congregatio sub die 18 Maji 1711 provide modum impositura gratiarum exsecutioni, statuit: *tempus in Brevibus Apostolicis positum pro concessione privilegii altaris, non a die praesentationis Brevis Ordinario loci, sed a die Datae esse computandum.* Sed cum nimis diversa distantia locorum, ad quae hujusmodi Brevia transmittuntur, in regiones ab Urbe remotas, per longa etiam et incerta maris itinera, nedum multorum mensium, sed annorum spatio epistolae et Brevia retardentur, idque ut pluries citra Oratorum negligentiam, inolevit praxis praeventive confirmationem gratiae ad tempus concessae expetere, eamque nondum exspirato tempore primaevae concessionis expedire, ut opportune transmissa subsecuta privilegia ante pristinorum exspirationem exsequi possent, ne vacuum tempus intercederet defunctorum suffragio et fidelium indulgentiis.

Quoniam vero in Brevi concessionis privilegii altaris adjicitur clausula: *dummodo in eadem ecclesia nullum aliud sit altare simili privilegio decoratum,* propositum est dubium: *An secundum Breve prioris confirmativum subsistat?* Quamvis enim exsecutioni minime detur, nisi post lapsum temporis in primo Brevi praefixi, tamen quando secundum Breve in Urbe expeditur, vere ecclesia privilegio altaris decoratur.

Quaeritur itaque:

An et quomodo sit respondendum in casu?

Sac. Congregatio die 4 Februarii 1736 respondit:

Et facta de his SSmo D. N. relatione sub die 30 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sententiam benigne confirmavit.

Joannes Archiepiscopus Tyri Secret.

118.

1736 3 Decembris. Moniales sub gubernio Ordinarii gaudent indulgentiis sui Ordinis.

Monialium Tertii Ordinis S. Francisci. Moniales monasterii seu conservatorii oppidi de Aveyro, Conimbricen. dioecesis, et quamplura similia monasteria Monialium in partibus Germaniae sub nuncupatione Elisabethinarum, omnes regulam Tertii Ordinis S. Francisci profitentes, emisso ultra tria substantialia quarto voto perpetuae clausurae, ab ipso fundationis primaevo tempore Ordinariorum curae et jurisdictioni subjectae reperiuntur, atque hactenus crediderunt, frui se posse privilegiis et indulgentiis omnibus Tertio Ordini S. Francisci concessis, licet sub cura et gubernio Fratrum ejusdem Ordinis non degerent.

Cum autem s. m. Benedictus XIII Constitut. incipien. *Paterna Sedis* edita 4 Idus Decembris 1725 universum Tertium Ordinem S. Francisci directioni et jurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis subjiciens, eorum monasteria et personas, etiam saeculariter viventes, ab Ordinariorum quacumque jurisdictione exemerit; monasteria praefata et personas, quae Ministro Generali ejusque Delegatis non se subjecissent, privilegiis et indulgentiis omnibus privaverit; hinc veritae Oratrices adhuc Ordinariorum jurisdictioni subjectae, se destitutas remansisse praefatis gratiis, supplicarunt SSmo D. N. pro expressa declaratione dubii sequentis:

An tam Moniales Tertii Ordinis S. Francisci monasterii oppidi de Aveyro, Conimbricen. dioecesis, quam monasteria similis instituti in variis partibus Germaniae posita, licet sub cura et gubernio Ordinariorum, fruantur indulgentiis earum Ordini generaliter concessis?

Sac. Congregatio die 3 Decembris 1736 respondit:

Affirmative.

119.

1736 3 Decembris. Via crucis.

Beatissimo Padre! Fra Leonardo dal Porto Maurizio Min. Rif. del Ritiro umilmente prostrato ai piedi di Vostra Beatitudine con ogni dovuto ossequio espone qualmente sia stato promosso il dubbio da taluno, se le Viae Crucis erette godano l' Indulgenza, che gode quella di Gerusalemme, mentre in queste non si osserva l' eguale distanza de' passi tra una Stazione e l' altra, che intercede in quella di Gerusalemme. Ora perchè i Brevi Apostolici non parlano di detta distanza; e perchè questa non è stata mai praticata sì nelle Viae Crucis erette in Roma, come in quelle erette fuori, ne tampoco si può praticare, attesa l'angustia delle Chiese, Oratorii e Luoghi Pii dove devono erigersi; ed affinchè per tal dubbio non si dismetta un sì santo Esercizio frequentato fin' ora con grandissimo frutto delle anime, supplica ossequioso la somma Clemenza della Santità Vostra degnarsi dichiarare non essere necessaria l'eguale distanza de' passi, com' è in Gerusalemme, ma bastare ogni benchè minima distanza. Che della Grazia etc.[1])

Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die 3 Decembris 1736 declaravit, *inter Stationes Viae Crucis non requiri distantiam aequalem Viae Crucis Jerosolymitanae, nec determinatam.*

Et facta de praedictis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua declarationem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

L. Episc. Albanensis Card. **Picus** Praef.

Jo. Archiepiscopus Tyri Secr.

Beatissime Pater! Fr. Leonardus a Portu Mauritio Fratrum Minorum Recessus ad Pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, eo, quo par est, obsequio exponit, a nonnullis motum fuisse dubium, utrum Viae Crucis erectae gaudeant eadem indulgentia, qua gaudet Via Crucis Hierosolymitana; animadvertunt enim inter unam stationem et alteram non observari aequalem distantiam passuum, uti inter stationes Viae Crucis Hierosolymitanae habetur. Litterae vero Apostolicae in forma Brevis quoniam minime loquuntur de hac distantia, quoniam haec distantia in stationibus sive in Urbe sive extra Urbem erectis nunquam observata fuit, neque etiam ob angustiam ecclesiarum, oratoriorum et locorum piorum, ubi stationes erigendae sunt, observari possit; hinc Orator, ne ob permotum dubium deseratur tam pium exercitium magno animarum fructu frequentatum, exorat summam clementiam Sanctitatis Vestrae, ut declarare dignetur, inter stationes Viae Crucis non requiri distantiam aequalem Viae Crucis Hierosolymitanae, sed quamcumque etiam minimam distantiam sufficere. Quod Deus etc.

120.

1737 13 Septembris. Moniales Cincturatae S. Monicae.

Sutrina. Optantes Moniales Ordinis S. Francisci, terrae Brachiani, Sutrinae dioecesis, ulterioribus frui posse spiritualibus gratiis, obtinuerunt a P. Generali Ordinis S. Augustini, penes quem facultas est concedendi participationem indulgentiarum Cincturatis S. Monicae concessarum, delegationem confessario monasterii benedicendi et distribuendi Cincturas. Hoc autem aegre ferens Episcopus Sutrinus de turbata jurisdictione ordinaria apud hanc Sacram Congregationem conquestus est, et dubium proposuit:

An competat P. Generali Ordinis S. Augustini facultas distribuendi Monialibus Cincturas S. Monicae pro consecutione indulgentiarum absque consensu illarum Ordinarii in casu?

Sac. Congregatio die 13 Septembris 1737 respondit: *Negative.*

121.

1737 13 Novembris. Indulgentiae apocryphae.

Nuper Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae delatum fuit, per manus Christifidelium circumferri librum, cui titulus: *Le Sacre Dovizie de' Vivi e pro de' Defonti, cioè breve ristretto delle Indulgenze de' Fedeli e de' Regolari in commune, principalmente delle Indulgenze dell' Ordine Carmelitano* etc. a quodam Religioso Ordinis Carmelitarum, suppresso auctoris nomine, absque legitima facultate Ordinis, typis datum Panormi anno 1734. Cum vero in praefato libro nonnullas indulgentias falsas aut apocryphas contineri deprehensum fuerit, ideo ne Christifideles decipiantur, eadem Sacra Congregatio sub die 13 Septembris 1737 dictum librum (alias per Definitorii generalis ejusdem Ordinis decretum reprobatum) ejusque impressionem ubicumque sive factam sive faciendam et usum interdixit, illumque prohibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis. Declarando tamen inter falsas et apocryphas non esse recensendas indulgentias contentas in Summario Confratrum Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo ab eadem

Sacra Congregatione recognitas et approbatas sub die 27 Junii 1673, atque in eodem libro insertas.

Factaque de his per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Clementi PP. XII relatione die 13 mensis Novembris, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit, et in omnibus exsecutioni mandari jussit.

L. Episcopus Alban. Card. Picus Praef.
Joannes Archiep. Tyri Secret.

122.

1738 17 Martii. De translatione indulgentiae.

Meliten. Ob insignem victoriam, profligatis ab insula Rhodiensi Turcarum copiis, relatam praesidio ac meritis S. Pantaleonis anno 1480, a propugnatoribus Equitibus Hierosolymitanis templum eidem sancto Martyri in civitate Rhodi exstructum fuit. Hoc autem religionis studium aemulatus s. m. Innocentius VIII inter plura privilegia, indulti scilicet peculiaris Officii et indicti solemnioris festi de praecepto, plenariam visitantibus eamdem ecclesiam perpetuam indulgentiam pro eodem recurrente sacro die concessit. Sed cum divino judicio majori hostium conatu civitas et insula Rhodiensis nova obsidione direpta fuerit anno 1522, Religio Hierosolymitana ad Melitensem insulam se recipere coacta, primaevo cultu S. Pantaleoni tutelari suo in ecclesia conventuali capellam excitavit, in qua sacrum ejusdem sancti Martyris caput repositum pie veneratur. Porro ad servandam grati animi erga eumdem Sanctum memoriam ejusque cultum augendum Eminentissimus Magnus Magister SSmo D. N. supplicavit, aut declarari pristinam indulgentiam ecclesiae Rhodiensi concessam in primaevo robore subsistere, vel similem in praefata ecclesia conventuali impertiri.

Quaeritur itaque:

1° *An translata sit indulgentia plenaria concessa ab Innocentio VIII ecclesiae S. Pantaleonis Rhodi ad ecclesiam conventualem Melitae?*

Et quatenus Negative,

2° *An sit concedenda in casu?*

Sac. Congregatio die 17 Martii 1738 respondit:
Ad 1m: *Negative.*
Ad 2m: *Pro gratia.*

123.

1738 17 Martii. Indulgentiae apocryphae.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cum nonnulli abusus super publicatione indulgentiarum etiam novissime irrepserint, inhaerendo decretis alias editis, censuit renovandam esse, prout expresse renovat prohibitionem quorumcumque librorum continentium concessiones, Summaria et Diaria indulgentiarum, et quocumque alio nomine, vel titulo nuncupentur absque praevia approbatione ejusdem Sacrae Congregationis.

Et facta de supradictis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua decretum praedictum approbavit, et pro ejusdem confirmatione mandavit expediri litteras in forma Brevis.

Datum Romae die 17 Martii 1738.

L. Episc. Albanen. Card. **Picus** Praef.
J. Archiepiscopus Tyri Secret.

124.

1738 17 Martii. Altare privilegiatum.

Conimbrien. Obtinuit nuper Sodalitium B. M. V. ad Nives erectum in ecclesia PP. Societatis Jesu Conimbriae indultum, ut altare, quod privilegiatum est in forma consueta, hoccemet privilegio frueretur in die obitus cujuscumque confratris; verum cum non pauci ex eis in diversis morentur regionibus, nec de eorum obitu Confraternitas certior fieri valeat, nisi post aliquot dierum spatium, anceps haeret, num antedicto privilegio uti possit die habitae notitiae; hoc itaque postulat declarari, et quatenus opus sit, hujusmodi facultatem impertiri ab hac Sacra Congregatione. Supplicat ulterius, hoc privilegium extendi quoque ad diem proxime sequentem obitus sive ejus habitae notitiae.

Hinc propositis dubiis: 1° *An privilegium antedictum transferendum sit ad diem habitae notitiae obitus confratrum?* 2° *An extensio privilegii concedenda sit ad diem proxime sequentem post mortem vel habitae notitiae in casu?* S. Congr. die 17 Mart. 1738 respondit: Ad utrumque: *Affirmative.*

125.

1738 8 Octobris. Indulgentiae apocryphae.

Delatis ad Sanctam Sedem per organum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide tribus Summariis, seu formulariis indulgentiarum typis Sinicis impressis, quorum primum in italicum idioma versum continet indulgentias ut infra, secundum vero in latinum idioma translatum, tertium denique pariter in latinum, ut sequitur, SSmus D. N. Clemens PP. XII sub die 8 mensis Octobris 1738 prohibuit praefata Summaria continentia indulgentias falsas, apocryphas et a stylo concessionum S. Sedis et Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum exorbitantes, sub poenis canonicis et excommunicatione ipso facto incurrenda a quibuscumque sive Saecularibus, sive Regularibus cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu, publicantibus praedicta Summaria, vel aliquas in iis contentas indulgentias, et per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Praefectum ejusdem Congregationis hoc decretum expediri mandavit.

PRIMUM SUMMARIUM.

Foglio d' Indulgenze plenarie nelle feste mobili della Confraternita dell' Annunziata di Nostra Signora.[1])

Nella Quaresima, eccettuata la domenica, ogni giorno si guadagna centocinquantamila e quattro anni d' Indulgenza; nel giorno delle Ceneri Indulgenza plenaria, e la domenica seguente con Lunedì, Giovedì, Venerdì e Sabato Indulgenza plenaria; nel Martedì si libera un' anima dal Purgatorio; seconda Domenica di Quaresima con il Sabato antecedente libera un' anima dal Purgatorio; la terza domenica Indul-

[1]) *Elenchus indulgentiarum plenariarum in festis mobilibus Confraternitatis Annuntiationis Dominae nostrae.* In Quadragesima, excepta Dominica, singulis diebus acquiritur indulgentia centum quinquaginta mille et quatuor annorum. In die Cinerum indulgentia plenaria, et Dominica sequenti cum feria II, V, VI et sabbato indulgentia plenaria. Feria III liberatio unius animae e purgatorio. Secunda

genza plenaria, di più libera un' anima dal Purgatorio; la quarta Domenica libera un' anima dal Purgatorio, il Sabato seguente libera un' anima dal Purgatorio; la Domenica di Passione libera un' anima dal Purgatorio; la Domenica delle Palme Indulgenza plenaria e in tutti i giorni seguenti fino alla Domenica in Albis; il Lunedì e Mercoledì avanti l'Ascenzione di N. S. sono 154000 anni d' Indulgenza; nel giorno dell' Ascenzione di N. S. Indulgenza plenaria; nel giorno di Pentecoste colli quattro giorni seguenti è Indulgenza plenaria e nel Giovedì e Sabato si libera un' anima dal Purgatorio; nella prima Domenica dell' Avvento ci sono 154000 anni d' Indulgenza, il Venerdì delli quattro Tempi d' inverno Indulgenza plenaria ed in ogni giorno delli quattro Tempi dell' anno sono 154000 anni d' Indulgenza; in ogni Sabato si guadagna Indulgenza plenaria.

Regola delle Indulgenze plenarie della Confraternita dell' Annunziata di Nostra Signora.

Gregorio XIII ha conceduto a' Cristiani queste Indulgenze e quando il P. Francesco della Compagnia di Gesù della Cina andò a Roma (pare che sia il P. Kastner) Sua Santità Clemente XI nel giorno dell' Epifania del 1705 ha conceduto di promulgarle per tutte le provincie della Cina.

Nella Circoncisione di N. S. Indulgenza plenaria; nella festa dei tre Rè, e di S. Felice, di S. Marcello ed Antonio

---

Dominica Quadragesimae cum sabbato praecedente liberatio unius animae e purgatorio. Tertia Dominica indulgentia plenaria, insuper liberatio unius animae e purgatorio. Quarta Dominica liberatio unius animae e purgatorio. Sequenti sabbato liberatio unius animae e purgatorio. Dominica Passionis liberatio unius animae e purgatorio. Dominica Palmarum indulgentia plenaria, et omnibus diebus sequentibus usque ad Dominicam in albis; feria II et IV ante Ascensionem D. N. indulgentia centum quinquaginta quatuor millium annorum; die Ascensionis Domini indulgentia plenaria. Die Pentecostes et quatuor diebus sequentibus indulgentia plenaria et feria V et sabbato liberatur una anima e purgatorio. Prima Dominica Adventus indulgentia 154000 annorum; feria VI Quatuor Temporum hiemis indulgentia plenaria et singulis diebus Quatuor Temporum per annum indulgentia 154000 annorum; singulis sabbatis acquiritur indulgentia plenaria.

Regula indulgentiarum plenariarum Confraternitatis Annuntiationis Dominae nostrae. Gregorius XIII concessit Christianis has indulgentias, et quando P. Franciscus Societatis Jesu ex Sina ivit Romam (videtur esse P. Kastner), Sanctitas Sua Clemens XI in die Epiphaniae anni 1705, concessit eas promulgari per omnes provincias regni Sinarum.

In Circumcisione Domini nostri indulgentia plenaria. In festo trium Regum, S. Felicis, S. Marcelli et S. Antonii Abbatis indulgentia plenaria. In festo S. Priscae

Abate Indulgenza plenaria; nella festa di S. Prisca Indulgenza plenaria; nelle feste de' SS. Fabiano e Sebastiano Indulgenza plenaria; nel giorno di S. Agnese 1400 anni; nel giorno de' Ss. Vincenzo ed Anastasio 40 anni d' Indulgenza; nel giorno della Conversione di S. Paolo Indulgenza plenaria, S. Crisostomo Indulgenza plenaria; S. Agnese secondo 200 anni d' Indulgenza. Nella Purificazione di Nostra Signora Indulgenza plenaria. S. Anna 28 anni d' Indulgenza; S. Pietro Indulgenza plenaria; S. Mattia Apostolo Indulgenza plenaria; S. Tommaso d' Aquino Indulgenza plenaria; S. Gregorio PP. Indulgenza plenaria; S. Giuseppe Indulgenza plenaria; nella Annunciazione di Nostra Signora Indulgenza plenaria col giorno antecedente. Da questo giorno poi fino alla festa di S. Ignazio si guadagnano ogni giorno 2000 anni d' Indulgenza, con rimettere anche la terza parte della pena; per S. Giorgio Indulgenza plenaria; per S. Marco Indulgenza plenaria; per i SS. Filippo e Giacomo Indulgenza plenaria, ed in tutte le Domeniche susseguenti fino dopo la festa di S. Paolo è Indulgenza plenaria. Nell' Invenzione della S. Croce Indulgenza plenaria; S. Monica Indulgenza plenaria; S. Giovanni ante Portam Latinam Indulgenza plenaria e libera un' anima dal Purgatorio; nell' Apparizione di S. Michele Indulgenza plenaria; S. Marcellino 1000 anni d' Indulgenza; S. Barnaba Indulgenza plenaria; SS. Vito e Modesto Indulgenza plenaria; S. Gio. Battista Indulgenza plenaria;

---

indulgentia plenaria. In festo SS. Fabiani et Sebastiani indulgentia plenaria. In die S. Agnetis 1400 anni. In die SS. Vincentii et Anastasii 40 annorum indulgentia. In die Conversionis S. Pauli indulgentia plenaria, S. Chrysostomi indulgentia plenaria, S. Agnetis secundo 200 annorum indulgentia. In Purificatione Dominae nostrae indulgentia plenaria; S. Annae 28 annorum indulgentia, S. Petri indulgentia plenaria, S. Mathiae Apostoli indulgentia plenaria, S. Thomae Aquinatis indulgentia plenaria, S. Gregorii Papae indulgentia plenaria, S. Josephi indulgentia plenaria. In Annuntiatione Dominae nostrae cum die praecedenti indulgentia plenaria. Ab hac die usque ad festum S. Ignatii singulis diebus acquiritur indulgentia 2000 annorum cum remissione etiam tertiae partis poenae; pro festo S. Georgii indulgentia plenaria. Pro festo S. Marci indulgentia plenaria. Pro festo SS. Philippi et Jacobi indulgentia plenaria et in omnibus Dominicis sequentibus usque ad festum S. Pauli inclusive habetur indulgentia plenaria. In festo Inventionis S. Crucis indulgentia plenaria, S. Monicae indulgentia plenaria, S. Joannis ante portam Latinam indulgentia plenaria et liberatio unius animae e purgatorio. In festo Apparitionis S. Michaelis indulgentia plenaria, S. Marcellini indulgentia 1000 annorum, S. Barnabae indulgentia plenaria, SS. Viti et Modesti indulgentia plenaria, S. Joannis

SS. Giovanni e Paolo 1000 anni d' Indulgenza; S. Leone 1000 anni d' Indulgenza; SS. Pietro e Paolo Indulgenza plenaria; Ottava di S. Giovanni Indulgenza plenaria; la Visitazione di Nostra Signora Indulgenza plenaria; S. Bonaventura Indulgenza plenaria; S. Alessio Indulgenza plenaria; S. Margarita Indulgenza Plenaria; S. Prassede 200 anni d' Indulgenza; S. Maddalena Indulgenza plenaria; S. Apollinare 1000 anni d' Indulgenza; S. Cristina 1000 anni d'Indulgenza; S. Giacomo Apostolo Indulgenza plenaria; S. Anna Indulgenza plenaria; S. Pantaleone 48 anni d' Indulgenza; SS. Nazario e Celso tre anni d' Indulgenza; SS. Addon et Sennen 8 anni d' Indulgenza; S. Pietro in Vincula Indulgenza plenaria; l' Invenzione di S. Stefano Indulgenza plenaria; S. Domenico Indulgenza plenaria; la Dedicazione di S. Maria ad Nives Indulgenza plenaria; nella Trasfigurazione di N. S. Indulgenza plenaria; S. Ciriaco Indulgenza plenaria; S. Lorenzo Indulgenza plenaria; S. Chiara Indulgenza plenaria; la Vigilia coll' Assunzione di Nostra Signora Indulgenza plenaria; l' Ottava dell' Assunzione di N. Signora Indulgenza plenaria; S. Bartolomeo Apostolo Indulgenza plenaria; S. Agostino Indulgenza plenaria; la Decollazione di S. Giovanni Indulgenza plenaria; S. Egidio Indulgenza Plenaria; la Vigilia e la Natività di Nostra Signora Indulgenza plenaria; S. Nicola da Tolentino Indulgenza plenaria; Esal-

---

Baptistae indulgentia plenaria, SS. Joannis et Pauli indulgentia 1000 annorum, S. Leonis indulgentia 1000 annorum, SS. Petri et Pauli indulgentia plenaria; in octava S. Joannis indulgentia plenaria. In festo Visitationis Dominae nostrae indulgentia plenaria, S. Bonaventurae indulgentia plenaria, S. Alexii indulgentia plenaria, S. Margaritae indulgentia plenaria, S Praxedis indulgentia 200 annorum, S. Magdalenae indulgentia plenaria, S. Apollinaris indulgentia 1000 annorum, S. Christinae indulgentia 1000 annorum, S. Jacobi Apostoli indulgentia plenaria, S. Annae indulgentia plenaria, S. Pantaleonis indulgentia 48 annorum, SS. Nazarii et Celsi indulgentia trium annorum, SS. Abdon et Sennen indulgentia 8 annorum, S. Petri ad Vincula indulgentia plenaria. In festo Inventionis S. Stephani indulgentia plenaria. In festo S. Dominici indulgentia plenaria. In Dedicatione S. Mariae ad Nives indulgentia plenaria. In Transfiguratione Domini nostri indulgentia plenaria. In festo S. Cyriaci indulgentia plenaria, S. Laurentii indulgentia plenaria, S. Clarae indulgentia plenaria. In vigilia et festo Assumptionis Dominae nostrae indulgentia plenaria, in Octava Assumptionis Dominae nostrae indulgentia plenaria, S. Bartholomaei Apostoli indulgentia plenaria, S. Augustini indulgentia plenaria. In Decollatione S. Joannis indulgentia plenaria. In festo S. Aegidii indulgentia plenaria. In vigilia et festo Nativitatis Dominae nostrae indulgentia plenaria. In festo S. Nicolai de Tolentino indulgentia plenaria; in festo Exaltationis S. Crucis indul-

tazione di S. Croce Indulgenza plenaria; S. Eustachio 1400 anni d'Indulgenza; S. Matteo Apostolo Indulgenza plenaria; SS. Cosma e Damiano 7000 anni d'Indulgenza; la Dedicazione di S. Michele Indulgenza plenaria; S. Girolamo Indulgenza plenaria; S. Francesco Indulgenza plenaria; S. Luca Indulgenza plenaria; SS. Simone e Taddeo Apostoli Indulgenza plenaria; la festa di tutti i Santi Indulgenza plenaria; Commemorazione di tutti i Cristiani morti Indulgenza plenaria; l'Ottava di tutti i Santi Indulgenza plenaria; nella dedicazione della Basilica del Salvatore Indulgenza plenaria; la Dedicazione della Basilica di S. Pietro Indulgenza plènaria; la Presentazione di Nostra Signora Indulgenza plenaria; S. Cecilia Indulgenza plenaria; S. Clemente Indulgenza Plenaria; S. Caterina Indulgenza Plenaria; S. Andrea Apostolo Indulgenza plenaria; S. Barbara Indulgenza plenaria; S. Saba 100 anni d'Indulgenza; S. Nicola di Bari Indulgenza plenaria; S. Ambrogio Indulgenza plenaria; l'Immacolata Concezione di Nostra Signora Indulgenza plenaria; S. Tommaso Apostolo Indulgenza plenaria; nella Vigilia e Natale di N. Signore Indulgenza plenaria; S. Stefano Indulgenza plenaria; S. Giovanni Evangelista Indulgenza plenaria; nelli Santi Innocenti Indulgenza plenaria; S. Silvestro Indulgenza plenaria.

Per guadagnare le sudd. Indulgenze bisogna venire alla Chiesa e pentito de' suoi peccati, basta solamente dire 7 Pater

---

gentia plenaria, S. Eustachii indulgentia 1400 annorum, S. Matthaei Apostoli indulgentia plenaria, SS. Cosmae et Damiani indulgentia 7000 annorum, Dedicationis S. Michaelis indulgentia plenaria, S. Hieronymi indulgentia plenaria, S. Francisci indulgentia plenaria, S. Lucae indulgentia plenaria, SS. Simonis et Thaddaei indulgentia plenaria. In festo Omnium Sanctorum indulgentia plenaria. In Commemoratione omnium fidelium defunctorum indulgentia plenaria, in octava Omnium Sanctorum indulgentia plenaria. In Dedicatione basilicae SSmi Salvatoris et S. Petri indulgentia plenaria. In festo Praesentationis Dominae nostrae indulgentia plenaria, S. Caeciliae indulgentia plenaria, S. Clementis indulgentia plenaria, S. Catharinae indulgentia plenaria, S. Andreae Apostoli indulgentia plenaria, S. Barbarae indulgentia plenaria, S. Sabbae indulgentia 100 annorum, S. Nicolai de Bari indulgentia plenaria, S. Ambrosii indulgentia plenaria. In immaculata Conceptione Dominae nostrae indulgentia plenaria. In festo S. Thomae Apostoli indulgentia plenaria. In vigilia et festo Nativitatis Domini nostri indulgentia plenaria, in festo S. Stephani indulgentia plenaria, S. Joannis Evangelistae indulgentia plenaria, SS. Innocentium indulgentia plenaria, S. Silvestri indulgentia plenaria.

Ad lucrandas supradictas indulgentias oportet accedere ad ecclesiam, et, elicito actu contritionis de suis peccatis sufficit dicere 7 Pater et 7 Ave Maria, quo aliquis acquirit omnes indulgentias istius diei, acsi esset Romae ad acquirendas eas per bona

e 7 Ave Maria, con che da taluno si guadagnano tutte le Indulgenze di quel giorno, come se fosse a Roma, per guadagnarle con le buone opere per tutte le Chiese, nè di questo resta dubbio alcuno. Se alcuno sta ammalato o sta fuori di casa, o una vergine che non può venire in Chiesa, può però guardare la regola della Confraternita con recitare tutto quello che sta prescritto, riceve anche le Indulgenze della propria Chiesa, ed al grande ajuto di Nostra Signora aggiungerà il spiritual frutto che è certissimo.

Stampato nell' anno 12 di Yung-vin Imperatore cioè nell' anno 1734.

SECUNDUM SUMMARIUM.

Summus Pontifex Leo dedit Christianis secum deferentibus sanctam immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae imaginem, sequentes indulgentias.

Qui recitabunt quinque *Pater* et *Ave* pro exaltatione sanctae religionis et exstirpatione haeresum et pro concordia Christianorum, obtinet plenariam debitarum peccatorum suorum poenarum indulgentiam; qui recitabit tertiam partem Rosarii B. M. V. vel 33 *Pater noster,* vel aliud Rosarium B. M. V., obtinet plenariam indulgentiam; qui diebus Dominicis, vel quarta feria, vel in omnibus festis B. M. V. recitabit novem *Ave Maria* et unum *Pater Noster,* conformando se, liberabit animam de poenis purgatorii et in coelum ascendet; qui post Communionem dicet quinque *Pater* et *Ave,* liberabit animam de poenis purgatorii; qui recitabit ter *Pater* et *Ave,* ut peccatores vere doleant de peccatis, obtinet 33 annorum et 40 dierum indulgentiam; qui in articulo mortis ore, si possit, vel corde, ter invocaverit SS. Nomina Jesu et Mariae, et defert hanc sanctam imaginem etiam obtinet plenariam indulgentiam.

---

opera in omnibus ecclesiis; neque de hoc ullum dubium manet. Si quis sit infirmus aut absens a domo, aut virgo, quae nequit venire ad ecclesiam, potest tamen servare regulam Confraternitatis, recitando totum id, quod praescriptum est, lucratur etiam indulgentias propriae ecclesiae et magno auxilio Dominae nostrae addet spiritualem fructum, qui est certissimus.

Impressum anno 12 Imperatoris Yung-Vin, i. e. anno 1734.

TERTIUM SUMMARIUM.

Summus Pontifex recenter dedit plenarias indulgentias ei, qui recitat 34000 *Pater* et *Ave*. Qui audit 34 Missas, qui servat 34 jejunia, qui se mortificat 34 vicibus, qui facit 34 opera misericordiae corporalia vel spiritualia. Quotiescumque faciet unum ex dictis operibus, liberabit de purgatorio 34 animas, et 34 peccatores convertentur; necesse autem est, ut orans toto corde respiciat sanctum Cor Jesu Christi.

126.

1739 16 Febr. De translatione sodalitatis.

Mediolanen. Vocatos in sortem Domini sacerdotes quantum expediat vacationi orationis, et piorum operum una simul incumbere, experimento profectus fidelium exploratum est. Hinc S. Sedes propensiori spiritualium munerum largitione erga eorum hujusmodi Sodalitates consuevit quamplures peculiares indulgentias eisdem impertiri. Cum itaque in parochiali ecclesia sub titulo S. Sebastiani civitatis nonnulli presbyteri simul in Domino convenientes, sedulam piis exercitationibus dent operam, s. m. Innocentius XII plures eorum Sodalitati sub titulo S. Philippi indulgentias indulsit, videlicet plenariam in ingressu, in mortis articulo et in die festo principali Confraternitatis, necnon indulgentiam septem annorum in quatuor aliis anni festis a confratribus eligendis, et sexaginta dies pro quocumque pietatis et caritatis opere ab ipsis exercendo.

Translata subindè ad aliam ecclesiam Sodalitate dubium in quosdam irrepsit, an spirituales eaedem gratiae intuitu ecclesiae, in qua eadem Sodalitas erecta fuit, sint concessae, adeoque per translationem ad aliam ecclesiam cessaverint. Supplicant proinde pro declaratione perdurationis praemissarum indulgentiarum, quam ceteroquin ostendere videntur litterae in forma Brevis originaliter productae juxta placitum Sacrae hujus Congregationis. Et quidem licet ad Sodalitatem erectam in praedicta ecclesia parochiali directae videantur, ejus tamen parochialis nuncupatio demonstrative

creditur edita, cum alias ipsa Sodalitas ejusque pia opera contemplata commendentur.

Quaeritur igitur:

An translata Sodalitate, intelligantur etiam translatae praefatae indulgentiae in casu?

Sac. Congregatio die 16 Februarii 1739 respondit: *Affirmative.*

127.

1739 25 Februarii. Benedictio Papalis et communicatio orationum etc.

Ordinis S. Augustini. Cum alias Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita sub die 4 Februarii 1736 prohibuerit FF. Ordinis S. Augustini usum impertiendi Benedictionem Papalem nuncupatam, ex eo, quia nullo canonico fundamento concessionis Apostolicae niti repertum fuerit, eamque prohibitionem delatum sit in aliquibus Conventibus non omnino fuisse servatam, eadem Sacra Congregatio sub die 16 Februarii 1739 iterum prohibendo usum impertiendi dictam Benedictionem, censuit concedi posse FF. praedicti Ordinis facultatem communicandi in propriis ecclesiis confratribus et consororibus cincturatis omnes indulgentias eidem Ordini per Sedem Apostolicam concessas a Religioso ad hunc effectum deputando, feria secunda Paschatis, feria secunda Pentecostes, Dominica infra octavam festi S. Augustini, Episcopi et Confessoris, ac die festo S. Stephani Protomartyris, dummodo dicti confratres et consorores Cincturati sint vere poenitentes et confessi, necnon S. Communione refecti, et se sistant coram Religioso facultatem habente, *alias dictas indulgentias non consequantur.* Insuper censuit, posse communicare orationes, jejunia, Missas, aliaque bona opera, quae fiunt in dicto Ordine eisdem confratribus et consororibus, qui praesentes fuerint. Communicatio autem fiat nudis et simplicibus verbis sine ullo publico ritu sequenti modo, videlicet: *Concedimus vobis, fratres, facultatem ex auctoritate nobis a Pontificibus Romanis specialiter indulta, ut consequi possitis omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones nostrae sacrae Religioni concessas juxta privilegiorum tenores ab eadem Sede Apostolica obtentorum; sit vobis omnipotens*

Deus indultor omnium criminum vestrorum, deleat atque dimittat omnia peccata vestra Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. Item communicamus vobis, fratres, orationes, jejunia, Missas, ceteraque opera bona, quae per Dei gratiam in nostra Congregatione et Ordine fiunt, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Eadem Sacra Congregatio censuit prohibendum esse, ne FF. dicti Ordinis ad hujusmodi communicationem confratres et consorores cincturatos publice invitent ad suas ecclesias pro ea consequenda in civitatibus, terris et locis, hoc est, in plateis, viis et locis publicis non exponant neque per se, neque per alios schedulas impressas sive manuscriptas, nec pulsent campanas, quibus indicetur et promulgetur talis communicatio; ac demum praefata Sacra Congregatio censuit, injungendum esse universis et singulis ejusdem Ordinis Superioribus et Fratribus, ut praescriptam formulam, aliaque desuper statuta perpetuo observent in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena eo ipso incurrenda.

Et facta per me infrascriptum Secretarium de praedictis SSmo D. N. relatione sub die 25 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis benigne approbavit.

L. Episcopus Card. **Picus** Praef.
J. Archiepiscopus Tyri Secret.

128.

1739 25 Februarii. **Indulgentia Portiunculae, Indulgentia quotidiana in S. Maria Angelorum.**

Assisien. Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita sub die 16 Februarii 1739 declaravit, indulgentiam Portiunculae esse praecise affixam diei 2 Augusti, eamque incipere a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei. Indulgentiam vero quotidianam concessam a s. m. Innocentio XII visitantibus ecclesiam S. Mariae Angelorum non esse eamdem cum praefata Portiunculae, et ponendum esse lapidem ad latus portae ecclesiae cum hujus-

modi inscriptione. Insuper ex causis notis Sacrae Congregationi censuit prohibendas esse quascumque attestationes seu, ut ajunt, schedulas solitas dispensari fidelibus a Religiosis sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, de quibus omnibus certiorem fieri voluit Episcopum, ut invigilet pro exsecutione, et ad Eminentissimum Cardinalem Praefectum cum Commissario Generali ad mentem.

Et facta per me infrascriptum Secretarium de praedictis omnibus SSmo D. N. relatione sub die 25 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis benigne approbavit.

L. Episcopus Albanen. Card. **Picus** Praef.
Joannes **Archiepiscopus Tyri** Secret.

129.

1739 22 Maji. **Non spectat ad Episcopum facultas benedicendi scapularia, seu parvos habitus B. M. V. de Monte Carmelo.**

Terulen. Quamvis expressa lege in constitutionibus Ordinis FF. Carmelitarum excalceatorum cautum esse asseratur a S. Institutrice, quod monasteria Monialium Fratrum regimini et directioni subjiciantur, nihilominus erectum in civitate Terulen. usque ab anno 1660 earum coenobium Ordinarii jurisdictioni fuit omnimode addictum. Hujus vigore subjectionis juri communi conformis Episcopus regimen praefati monasterii exercens facultatem etiam parvos habitus benedicendi juxta morem Fratrum eisque consuetas indulgentias applicandi sibi competere reputavit. Cumque eam hactenus exercuisset, nunc in eadem quasi possessione et longaeva consuetudine supplicat detineri ac supradictae facultatis competentiam sibi adjudicari. Quod quidem aegre ferentes Fratres ejusdem Ordinis, qui usque a fundatione monasterii prius hospitio in eadem civitate, deinde anno 1697 regulari Conventu recepti reperiuntur, petitioni Ordinarii obstant.

Procurator Generalis Congregationis Hispaniae requisitus allegat quamplures resolutiones Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, quibus facultas benedicendi hujusmodi tesseras, scilicet funiculos, corrigeas aliaque similia

singulis respective Regularium Ordinibus et eorum superioribus privative quoad omnes alios competere declaratur. Specifice autem idem definitum fuit ab eadem Sacra Congregatione anno 1708 pro benedictione scapularium FF. Carmelitarum. Subdit proinde in nihilo obstare subjectionem monasterii jurisdictioni Ordinarii, quae respicit ejusdem immediatum regimen et facultatem benedicendi habitum Monialium in ejus susceptione, non autem parvos habitus, qui distribuuntur fidelibus nomen dantibus sodalitati.

Quaeritur igitur:

An ratione subjectionis monasterii Monialium Ordinis Carmelitarum excalceatorum competat Episcopo Terulen. facultas benedicendi parvos habitus ejusdem Ordinis cum adnexis indulgentiis?

Sac. Congregatio die 22 Maji 1739 respondit:

Non spectare, nec spectasse ad Episcopum facultatem benedicendi scapularia, sive parvos habitus B. Virginis de Monte Carmelo, non obstante quacumque consuetudine, et aggregati recurrant ad Superiores Ordinis pro nova aggregatione.

130.

1741 4 Februarii. — Moniales quoad privilegia sui Ordinis.

Senen. Certiores factae Moniales monasterii SS. Abundii et Abundantii extra moenia civitatis Senarum, Ordinis Cassinensis S. Benedicti, Ordinario tamen subjectae, de gratiis a Sede Apostolica anno proxime elapso eidem ordini concessis, ut nimirum privilegio quotidiano perpetuo fruantur altaria S. Benedicti tam erecta quam erigenda in ecclesiis monachorum et Monialium Superioribus tamen Ordinis subjectarum, nechon ut in die obitus cujuscumque sive monachi sive Monialis, ut supra, privilegio gaudeant singula altaria ecclesiae monasterii, in quo defunctus morabatur, hujusmodi privilegiorum communicationem ab hac Sacra Congregatione petunt, quatenus uti Ordinario et non Superioribus Ordinis subjectae exclusae dicantur a privilegiis, ut supra, Ordini Cassinensi concessis.

Quaeritur itaque:

1° *An Moniales Sanctorum Abundii et Abundantii exclusae dicantur a privilegiis altarium Ordini Cassinensi concessis in casu?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An concedenda sit illorum communicatio?*

Sac. Congregatio die 4 Februarii 1741 respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Pro gratia.*

131.

1741 13 Junii. Reliquiae.

Nuper Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae delatum fuit, quasdam sacras Reliquias alias a presbytero Josepho Maria Calisti ecclesiae et Fratribus S. Mariae, Terrae Ponticelli, Sabinen. Dioecesis, dono datas aliquibus ex causis evasisse suspectas; ideo audito prius super illis Ordinario, requisitis deinde, exhibitis ac diligenter examinatis authenticis litteris in tredecim documenta Sanctorum singulis diebus occurrentium Reliquias continentia distributis, unum scilicet a die 1 ad 25 Januarii, alterum a die 26 ejusdem mensis ad 28 Februarii inclusive; ex aliis vero decem unumquodque per quemlibet integrum ex reliquis mensem divisim referens, illaque sub datum Reate die 25 Augusti 1735 ab Episcopo Reatino subscripta ejusque sigillo munita, et insuper aliud super quibusdam insignioribus Reliquiis sub datum Montis Alcini die 20 Augusti 1735 ab ipso Episcopo Montis Alcini subscriptum, ejusque sigillo pariter munitum ac singulis demum super hujuscemodi recognitione rite servatis de stylo servandis, sub die 13 Junii 1741 declaratum fuit: *constare de identitate et realitate Reliquiarum, et restituendas esse litteras authenticas ecclesiae et Fratribus S. Mariae Ponticelli, atque ideo praedictas Reliquias pristinae fidelium venerationi exponendas esse cum declaratione, quod male crediderint, qui judicarunt vel judicant aliis ex causis easdem sacras Reliquias esse supposititias.*

L. Card. Picus Praef.

A. M. Erba, Prot. Apost. Secret.

132.

1741 23 Septembris. Portiuncula.

Monialium Clarissarum Ordinis S. Francisci. Propositum fuit dubium, *an ecclesiae Monialium Clarissarum, Ordinis S. Francisci Assissinatis, gaudeant indulgentia Portiunculae nuncupata die 2 mensis Augusti pro omnibus Christifidelibus, eo modo quo gaudent ecclesiae Fratrum Minorum universi ejusdem Ordinis S. Francisci?*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito etiam voto P. Procuratoris Generalis eorumdem Fratrum de Observantia nuncupatorum, die 19 Sept. anno 1741 censuit, *supplicandum esse Sanctissimo pro declaratione affirmativa, et quatenus opus sit, pro nova concessione.*

De quibus omnibus facta per me infrascriptum Secretarium die 23 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit.

L. Card. Picus Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

133.

1742 10 Maji. Via Crucis.

Beatissime Pater! Fr. Leonardus a Portu Mauritio, Fratrum Minorum, humiliter exponit, Sanctitatem Vestram dignatam esse approbare et ampliare Brevi diei 30 Augusti anni elapsi 1741 pium viae Crucis exercitium. Quoniam vero in hoc Brevi inter alia ibi legitur: „Volumus autem, ut Via Crucis seu Calvarii hujusmodi in iis civitatibus, oppidis et locis, ubi ab ipsis Fratribus Ordinis praefati in suis respective ecclesiis, sive alibi erecta reperitur, de novo minime erigatur, nisi ubi, licet alia in civitate, oppido et loco quolibet Via Crucis et Calvarii hujusmodi erecta fuerit, ea tamen est itineris longitudo, vel viae asperitas, ut Christifideles non sine gravissimo incommodo, aut nullo pacto illuc ad eamdem Viam Crucis seu Calvarii peragendam accedere valeant," qui sane loquendi modus cum aliquam confusionem ingerat populis et praesertim, utrum possit vel non erigi

dicta Via Crucis iis in locis, in quibus alia jam erecta reperitur, et quaenam distantia praecise requiratur, et quonam modo intelligenda sit asperitas viae; hinc Orator excogitavit adjicere monitis adprobatis a s. m. Clemente XII et alias impressis pro bono regimine dicti pii exercitii aliam paragraphum, in qua clarius explicentur praefata verba Brevis Sanctitatis Tuae tenoris sequentis:[1]) §. 10. „Per ultimo desiderando la Santità di Nostro Signore felicemente regnante che sempre più si dilati questo santo esercizio a profitto di tutto il mondo cattolico, esorta tutti i Parrochi di qualsivoglia terra o città, benchè in qualche terra vi si trovasse più d' una parrochia, ad arricchire i loro popoli con sì gran tesoro, introducendo nelle loro Cure o nel distretto delle medesime sì profittevole divozione senza riguardo alla maggiore o minore distanza da una Via Crucis all' altra; purchè l' erezione si faccia da un Frate Minore soggetto al Ministro Generale dell' Osservanza dotato delle sopraccennate qualità, acciò istruiti i popoli del gran bene che arreca l' esercizio della Via Crucis, l' abbraccino con maggior fervore e riesca più fruttuosa all' anime loro. Quindi è che nel suddetto Breve si concede l' arbitrio al Parroco di eleggersi quel religioso che giudicherà più idoneo, acciò con licenza del suo superiore locale benedica le Croci ed assista all' erezione che dovrà farsi in quella Cura o altro luogo pio. Si eccettuano però quei luoghi dove si trovano i Conventi dei Frati Mi-

[1]) §. 10. Tandem Sanctitas Sua feliciter regnans exoptans ut ad fidelium utilitatem magis magisque hoc pium exercitium propagetur, hortatur parochos cujuscumque oppidi aut civitatis, etsi in aliquo oppido plures exstent paroeciae, ut populos sibi commissos ditent hoc tam insigni thesauro, introducentes in suis paroeciis vel in earumdem districtu tam proficuum exercitium, quin ullus habeatur respectus majoris vel minoris distantiae inter unam et aliam Viam Crucis, dummodo tamen erectio peragatur a Fratre Minori, qui sit subjectus Ministro Generali Observantiae et antedictis qualitatibus praeditus, ad hoc, ut populi edocti de magna utilitate, quam affert pium Viae Crucis exercitium istud ferventius amplexentur, ipsisque magis proficuum evadat. Hinc est, quod in citato Brevi arbitrio parochorum relinquitur electio religiosi viri, quem aptiorem judicaverint, ut cum licentia sui superioris localis benedicat Cruces et adsistat erectioni, quae in illa paroecia aut alio pio loco fieri contigerit; exceptis tamen locis, ubi reperiuntur conventus praedictorum Fratrum Minorum, cum hoc in casu non debeat erigi Via Crucis in aliis ecclesiis eidem Ordini minime subjectis, dummodo tamen dicti Conventus non ita distent ab oppido vel civitate, aut ad eos iter ita sit arduum, ut sine gravi incommodo, ab Ordinario dijudicando, percurri nequeat a fidelibus pro pio exercitio peragendo.

Et facta per me infrascriptum Secretarium de praedictis SSmo D. N. relatione die 18 Junii 1742, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis benigne approbavit.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

135.

1742 18 Junii. De communicatione privilegiorum per aggregationem.

Cosentina. Ex peculiari Sedis Apostolicae dispensation valens Archiconfraternitas Orationis et Mortis Urbis ali Sodalitia sibi aggregare eisque propria communicare privilegia anno 1635 Confraternitatem Mortis Cosentiae aggregavit eique juxta morem sua privilegia communicavit. Verum cum plura privilegia, quibus nunc fruitur eadem Urbis Archiconfraternitas, concessa comperiantur post enuntiatam aggregationem, nuper a nonnullis in dubium revocari incepit, num hujusmodi posteriora privilegia revera dici possint communicata Sodalitio Cosentino; necnon, cum inter cetera privilegia illud etiam reperiatur sepeliendi nimirum defunctorum corpora extra Urbem decedentium in commodiori ecclesia, dubitatur an hocce privilegium ad Regularium ecclesias extendi queat; ac tandem, num privilegium altaris S. Michaelis Archangeli Archiconfraternitati praedictae concessum communicatum dici possit Sodalitio aggregato: quapropter ad removenda oborta dubia, ab hac Sacra Congregatione petitur:

1° *An vigore aggregationis factae Sodalitii Mortis Cosentiae Archiconfraternitati Orationis et Mortis Urbis anno 1635 idem Sodalitium gaudeat indulgentiis ceterisque privilegiis post dictum annum concessis dictae Archiconfraternitati?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An facultas sepeliendi corpora defunctorum in commodiori ecclesia comprehendat etiam ecclesias Regularium?*

3° *An privilegium altaris quotidiani, quo fruitur Archiconfraternitas Urbis communicatum sit Sodalitio Cosentino?*

Et quatenus Negative quoad 1m et 3m dubium,

4° *An dicta privilegia concedenda sint Sodalitio Cosentino in casu?*

Sac. Congregatio die 21 Maji 1742 respondit:

Ad 1m: *Gaudere, excluso privilegio sepeliendi.*

Ad 2m: *Responsum in primo.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Ad mentem, et mens est, ut statuatur methodus ad evitandos in ejusmodi Confraternitate abusus sepeliendi in quavis ecclesia sine rationabili causa, et juxta illam consulatur Sanctissimo pro concessione.*

Et facta per me infrascriptum Secretarium de praedictis SSmo D. N. relatione die 18 Junii 1742 Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis benigne approbavit.

A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

136.

1742 28 Novembris. **Altare privilegiatum.**

Urbis. Nuper SSmus D. N. Benedictus PP. XIV privilegium quotidianum absque expressione numeri Missarum pro omnibus fidelibus defunctis, et cum extensione ad quoslibet sacerdotes altari S. Birgittae in omnibus et singulis ecclesiis ejusdem Instituti vel Ordinis sub die 23 Dec. 1741 in perpetuum concessit. Cum vero ecclesia ejusdem S. Birgittae, apud quam FF. ipsiusmet Ordinis in Urbe habitant, ac in ea Missas quotidie celebrant, et cetera divina officia libere persolvunt, quamvis a fundatione, seu pia erectione, propria eorum fuisset Fratrum et Ordinis, nunc autem ob aliquas temporum varietates nonnullis cesserit administratoribus, a quibus eam ad usum praedicti FF. gratis retineant, in dubium revocatum fuit, *num privilegium praefatum altari, et in ecclesia ejusmodi S. Birgittae de Urbe valeat?* Ideo ad humillimas preces F. Pauli Miller, Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi, eadem Sanctitas Sua, eo, quia ejusmodi privilegia non intuitu ecclesiarum, sed Ordinis, ejusdemque Fundatorum concedantur, et in ecclesia praefata vere Missae et reliqua divina officia quotidie persolvantur, ac in ea altare ejusdem S. Birgittae exsistat, declaravit, idem privilegium suffragari, ac Missas hactenus celebratas ac in posterum in eodem altari celebrandas, praedicto gau-

dere privilegio, et quatenus opus sit, praevia sanatione cujuslibet Missarum in eodem altari hactenus celebratarum defectus, si quis fuerit, de novo privilegium benigne concessit.

Datum Romae die 28 Novembris 1742.

L. Card. Picus Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

137.

1742 28 Novembris. Via Crucis.

Turritan. Nuper s. m. Clemens PP. XII per suum Breve incipiens *Exponi Nobis* sub die 16 Januarii 1731 editum, Fratribus Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum subjectis, privative, ut ajunt, ad quoslibet alios sacerdotes facultatem erigendi in locis inibi expressis pia loca Viae Crucis, seu Calvarii nuncupata, cum adeptione indulgentiarum ad instar Stationum Montis Calvarii concessit. Cum vero FF. Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Capucinorum nuncupati provinciae Turritanae in Sardinia in pacifica, sicut exponunt, possessione etiam centum annorum reperiantur, habendi in suis Conventibus ejusmodi pia loca, quae Christifideles hactenus frequentaverunt, indulgentias ejusmodi pia loca rite erecta visitantibus concessas acquirere credentes: precibus SSmo D. N. Benedicto PP. XIV humillime porrectis, supplicabant: Primo declarari: *peragentes pia loca Viae Crucis usque de anno 1616 erecta apud eosdem FF. Capucinos Conventus Montis Di Valverde nuncupatos extra moenia civitatis Sacceris in Sardinia, easdem indulgentias consequi, quas peragendo ejusmodi Viam Crucis a Fratribus praefato Ministro Generali Minorum de Observantia subjectis erectam consequerentur*; *et, quatenus opus sit, ex integro concedi:* Secundo: *ut hujusmodi declaratio seu concessio extendatur etiam ad cetera hujusmodi pia loca Viae Crucis a dictis Fratribus Capucinis ubilibet jam erecta:* Tertio: *ut eadem facultas ejusmodi loca pia Viae Crucis erigendi cum indulgentiis jam concessis etiam Fratribus Capucinis communicetur eo modo, quo ad FF. Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum Recessus et de Ambrosiana nuncupatos sub die 16 Novembris 1729 per rescriptum s. m. Benedicti PP. XIII extensa fuit.*

Eadem Sanctitas Sua, auditis Ordinario Turritano et Procuratore Generali praefati Ordinis de Observantia, ac referente sub die 28 Novembris 1742 me infrascripto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Secretario, benigne respondit:

Ad 1m: *Pro concessione.*

Ad 2m: *Recurrant in casu particulari.*

Ad 3m: *Negative.*

L. Card. **Picus** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

138.

1743 1 Aprilis. **Moniales quoad indulgentias Ordinis, cui sunt subjectae.**

Nolana. Raymundus Ursinus monasterium Monialium Canonicorum Regularium S. Augustini Collegii nuncupatum ea sub lege aedificavit, ut FF. Minores de Observantia S. Francisci Monialium antedictarum curam haberent et gubernium, earumque confessiones exciperent, cujus dispositio a fel. rec. Pio II approbata ac confirmata fuit. Praeterea cum ab ipso fundationis exordio divinum Officium juxta Franciscanum ritum recitaverint, necnon cingulo ac tessera, vulgo *abitino,* dictae Moniales usae sint, putant, se quoque profiteri Tertii Ordinis S. Francisci institutum, et idcirco indulgentiis Tertio Ordini concessis frui posse. Ad omnem tamen removendam dubitationem, quae suboriri quandoque posset, id declarari petunt ab hac Sacra Congregatione, et quatenus communicatio hujusmodi non adesset, illam ex gratia sibi concedi desiderant.

Quaeritur itaque:

1° *An Moniales Collegii civitatis Nolanae gaudeant indulgentiis Tertii Ordinis S. Francisci in casu?*

Et quatenus Negative,

2° *An sint concedendae?*

Sac. Congregatio die 1 Aprilis 1743 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Gaudeant Ordini concessis.*

139.

1743 19 Decembris. De vi ac ratione communicationis indulgentiarum.

Confraternitatum Ordinis Carmelitarum et Tertii Ordinis Capucinorum. Minister Generalis Ord. Minor. Capucinorum S. Francisci, consentiente Ministro Generali Ordinis Carmelitarum calceatorum, s. m. Clementi XII supplicavit pro communicatione indulgentiarum, quibus gaudent sodales B. M. de Monte Carmelo, favore Tertiariorum S. Francisci exsistentium sub regimine ejusdem Ministri Generalis Capucinorum, votique compos effectus est anno 1736. Nuper vero, cum ratione hujusce communicationis in Hispania plures ortae dicantur dissensiones et jurgia inter PP. Capucinos et Carmelitas excalceatos, eo, quia Capucini ab adimplemento operum piorum confratribus Carmelitis injunctorum, eorum Tertiarios absolutos divulgent; idcirco eorumdem Carmelitarum nomine preces porrectae sunt SSmo D. N., pro revocatione dictae communicationis, vel saltem pro illius moderatione, ut nimirum Tertiarii Capucinorum, si indulgentias Sodalitio Carmelitico concessas consequi velint, praescripta pia opera adimplere teneantur.

Quaeritur igitur:

1° *An sustinendum sit Breve Clementis XII in casu?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An Tertiarii Capucinorum, ratione communicationis indulgentiarum sodalibus B. M. V. de Monte Carmelo concessarum, teneantur adimplere opera dictis sodalibus injuncta in casu?*

Sac. Congregatio die 19 Decembris 1743 respondit:

Ad 1m: *Supplicandum Sanctissimo pro revocatione Brevis.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

140.

1744 23 Martii. De indulgentia pro recitatione Officii B. M. V.

Romana. Cum ex indulto S. Pii V recitantes sive Officium B. M. V. sive Defunctorum indulgentiam 50 dierum consequantur, nonnulli ex confratribus S. Thomae Aquinatis in ecclesia S. Barbarae Bibliopolarum Urbis, qui in eam sin-

gulis festis diebus conveniunt, ibique Matutinum et Laudes Officii B. M. V., et semel in mense Matutinum pariter et Laudes Defunctorum recitant, in dubium revocare inceperunt, num ex antedicta recitatione praefatam indulgentiam revera consequantur. Quare ad occurrendum scrupulis et anxietatibus confratrum declaratio super hujusmodi dubio petitur ab hac Sacra Congregatione. Dubitandi ratio ex eo maxime mergere videtur, quod in Bulla Pii V praescribitur pro ndulgentiae consecutione recitatio Officii B. M. V. ita ut sa recitatio tanquam opus injunctum requiratur; verum m sola recitatio Matutini et Laudum integrum non exleant Officium, ex eo, quia aliae supersunt recitandae Horae, re ac merito dubitatur de indulgentiae consecutione ob efectum integri implementi operis injuncti, eo vel maxime, od pro recitatione Matutini et Laudum confratres consequi ssunt consuetas indulgentias, quae pro piis operibus conssae sunt. Nihilo tamen minus ad hujusmodi dubium enueandum conferre posse videtur vetusta praxis apud omnia Solitia usu recepta, recitandi nimirum Matutinum et Laudes mtaxat, quando sodales in eorum oratoria conveniunt, ex o desumi posse videtur, Summos Pontifices in concedendis dulgentiis pro recitatione Officii B. M. se accommodasse axi usu receptae, nomineque recitationis intellexisse ejus ficii partem, quae revera recitatur.

Quaeritur itaque:

An indulgentiam 50 dierum a S. Pio V recitantibus Officium M. V. et Defunctorum concessam consequantur sodalitia, a quis dumtaxat recitantur Matutinum et Laudes in casu?

Sac. Congregatio die 23 Martii 1744 respondit:

Negative.

141.

1744 30 Maji. **Benedictio Papalis.**

Placentina. Cum SSmus D. N. Benedictus PP. XIV e 10 Maji 1743 per suum Breve incipien. *Commissae obis* omnibus Christifidelibus confessis et Sacra Communione efectis, qui aliquam ex ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini ubicumque erectis vel erigendis in festis Nativitatis

Dominicae, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Annuntiationis, ac Assumptionis B. V. M., nec non die, qua festum ejusdem B. Virginis de Consolatione nuncupatum in dictis ecclesiis celebratur, devote visitaverint, ibique, ut fusius in eo Brevi continetur, oraverint, indulgentiam plenariam concesserit, ac insuper indulserit, ut singuli Priores pro tempore exsistentes Conventuum, aut alii FF. ejusdem Ordinis ab ipsis Prioribus deputandi in praedictis festivitatibus et die Christifideles ad easdem ecclesias accedentes, qui praemissa peregerint, nomine Sanctitatis Suae benedicere possent; Moniales dicti Ordinis loci Complani, Placentinae Dioecesis, Ordinario tamen subjectae dubitantes, an et ipsae ejusmodi indulgentiis et facultate respective gaudere tuto valeant, supplicarunt SSmo, ut easdem indulgentias etiam favore proprii monasterii declarare, vel concedere, dictamque facultatem suo pro tempore exsistenti confessario communicare dignaretur. Hujusmodi autem precibus ab eadem Sanctitate Sua ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam remissis, formatisque his desuper dubiis, scilicet:

1° *An monasterium Complanense gaudeat privilegiis a SSmo D. N. universo Augustiniano Ordini concessis, in casu?*

Et quatenus Affirmative quoad indulgentiam plenariam, et Negative quoad Benedictionem,

2° *An et quomodo providendum sit in casu?*

Eadem Sac. Congregatio die 18 Maji 1744 respondit:

Ad 1m: *Supplicandum esse SSmo pro indulgentia plenaria in festis enuntiatis pro Monialibus tantum; quo vero ad Benedictionem: Negative.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

De quibus singulis facta per me infrascriptum Secretarium die 30 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

142.

1744 30 Maji. An morte Episcopi exspirent Brevia indulgentiarum.

Vicen. Proposito Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae dubio: *An morte Episcopi Vicen. exspiraverit Breve indulgentiarum ad septennium pro Missionibus expeditum attenta narrativa in eo expressa, scilicet:* Cum modernus Episcopus mittere intendat presbyteros ad missiones etc.: eadem Sac. Congregatio die 18 Maji 1744 respondit: *Negative.*

De quibus facta sub die 30 ejusdem mensis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

143.

1744 30 Maji. Moniales quoad indulgentias Ordinum suorum.

Monialium Ordinario locorum subjectarum. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 18 Maji 1744 declaravit, *Sanctimoniales quascumque Ordinariis locorum subjectas, gaudere indulgentiis suorum respective Ordinum, aut Congregationum, quarum ritum in Officio recitando sequuntur, ac simul institutum profitentur.*

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 30 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

144.

1744 30 Maji. Indulgentia Crucifixo adnexa pro articulo Mortis.

Urbis et Orbis. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV die 30 Maji 1744 benigne declaravit, imaginem Crucifixi D. N. J. Ch., quae parochis pro impertienda benedictione cum indulgentia plenaria in articulo mortis conceditur, etiam ipsimet parocho, cui concessa est, in articulo mortis constituto, qui singula in decreto eidem expedito injuncta per-

egerit, pari modo suffragari, etiamsi ab alio ejusmodi imago eidem porrigatur.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

145.

1744 20 Julii. Altare privilegiatum.

Derthonen. In sacello B. M. V. Rosarii exstructo in ecclesia parochiali S. Nicolai Novi, Derthonensis dioecesis, quaedam inscriptio legitur hisce concepta verbis: *Quicumque sacerdos celebrans ad hoc altare pro defunctis consequitur pro se indulgentiam plenariam et pro purgantibus unius animae liberationem, ut ex Bulla.* Nuper vero Episcopus Derthonensis in sacra Visitatione autographum ipsius inscriptionis documentum invenire non valens, Sacram istam Congregationem super hac re consulendam sancivit, alias post annum mandavit removendam dictam inscriptionem; quare rector dictae ecclesiae Episcopi mandatis obtemperans simulque indemnitati suae ecclesiae consulere volens, supplicat pro approbatione sive confirmatione privilegii in dicta inscriptione contenti.

Quaeritur igitur:

1° *An enuntiata inscriptio sit confirmanda in casu?*

Et quatenus Negative,

2° *An et quomodo providendum sit in casu?*

Sac. Congregatio die 20 Julii 1744 respondit:

Ad 1m: *Negative et amoveatur inscriptio.*

Ad 2m: *Laudandus Episcopus, et eidem scribatur pro informatione numeri Missarum, quae quotidie in dicta ecclesia celebrantur.*

146.

1744 3 Octobris. Missae celebratae ad altare privil. ante publicationem Brevis.

Bracharen. Cum Sodalitium animarum purgatorii erectum in parochiali ecclesia B. M. V. de Rosario oppidi Louredi Bracharensis dioecesis Breve altaris privilegiati ad septennium tantum pro sodalibus nuper obtinuerit, ad quod sine ejusdem Brevis publicatione Missae una et nonaginta

celebratae fuerint, ac insuper de publicatione Brevis consuetarum indulgentiarum Sodalitatum a s. m. Alexandro VII in perpetuum impetrati dubitari inceperit, ideoque pro sanatione dictarum Missarum, ac pro confirmatione ejusdem Brevis perpetui supplicaverint, hisce formatis dubiis:

1° *An Missae celebratae in altari Sodalitii privilegiato ante publicationem Brevis ipsius privilegii, gaudeant privilegio?*

2° *An sit locus illarum sanationi?*

Et quatenus Negative,

3° *An Breve consuetarum indulgentiarum sit confirmandum?*

Sac. Congregatio die 1 Octobris 1744 respondit:

Ad 1m: *Affirmative, sed non licite.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

Ad 3m: *Non indigere, sed acriter moneantur de publicatione, et scribatur Ordinario.*

De quibus omnibus facta per me infrascriptum Secretarium die 3 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

147.

1744 3 Octobris. **Altare privilegiatum.**

Salisburgen. Cum vigore indulti diei 13 Septembris 1726 generaliter fuerit concessum, ut per Ordinarios semel tantum designaretur altare privilegiatum in omnibus ecclesiis Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini pro tribus feriis, si quindecim Missae celebrarentur, pro duabus, si decem; cumque in ecclesia S. Annae ejusdem Ordinis in Styria, dioecesis Salisburgensis, in qua quindecim Missae quotidie celebrabantur, duo fuerint designata ab Ordinario altaria privilegiata, nempe S. Annae pro duabus feriis, et S. Cajetani pro alia feria, ita ut quindecim Missae non amplius in uno eodemque altari celebrarentur, hinc super duplicis altaris designatione, necnon diminutione numeri Missarum in eodem altari celebrandarum dubia exorta sunt, quae sequuntur:

1° *An designatio secundi altaris privilegiati sustineatur?*

2° *An et quomodo providendum sit in casu?*

3° *An diminuto numero Missarum pro privilegio trium in hebdomada feriarum, altare designatum privilegiatum remaneat pro duabus feriis cum numero decem Missarum absque nova designatione in casu?*

Sac. Congregatio die 1 Octobris 1744 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Supplicandum SSmo pro facultate designandi primum altare etiam pro feria tertia.*

Ad 3m: *Affirmative.*

De quibus omnibus et singulis, facta per me infrascriptum Secretarium die 3 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

148.

1744 3 Octobris. **Altare privilegiatum.**

Ordinis S. Benedicti. Cum s. m. Clemens XII per suum Breve diei 6 Martii 1739 privilegium quotidianum pro liberandis animabus Christifidelium a purgatorii poenis altari S. Benedicti in omnibus et singulis ecclesiis tam Monachorum Ordinis ejusdem S. Benedicti Congregationis Cassinensis, quam Sanctimonialium sub eorum cura et gubernio degentium, in perpetuum concesserit, idemque ad plures inde ecclesias ejusdem Instituti tum Monachorum ultra montes exsistentium, cum Monialium jurisdictioni Ordinariorum immediate subjectarum extensum fuerit, nonnullae hujusmodi ecclesiae de subsistentia dicti privilegii dubitarunt, eo quia altare non soli S. Benedicto, sed et alii seu aliis Sanctis simul dicatum, aut diversimode etiam nuncupatum habeant. Itaque ad instantiam Monialium praedicti Ordinis monasterii S. Caroli Gandini, Bergomen. Dioecesis, proposito dubio, scilicet:

An altare SS. Benedicti et Caroli in ecclesia ipsarum Monialium Gandini gaudeat privilegio quotidiano a S. Sede concesso?

Sac. Congregatio die 1 Octobris 1744 respondit:

Gaudere.

De quibus omnibus et singulis facta per me infrascriptum Secretarium die 3 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit, idemque universis ecclesiis pro simili casu suffragari declaravit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

149.

1745 13 Februarii. Altare privilegiatum.

Cum privilegia altarium facta expressione certi numeri Missarum concedi soleant cum clausula *dummodo (tot) Missae quotidie in ecclesia N. celebrentur,* et accidat nonnunquam, ut pro aliquo tempore enuntiatae Missae non celebrentur quotidie, dubitandi emergunt occasiones de privilegii subsistentia. Ad removendum propterea dubia, necnon ad consulendum veritati indulgentiarum, operae pretium erit, aliquid certi statuere super memorata clausula, quo tamquam regula praescribatur lex certa et determinata, quae controversiis, et opinionibus inter se dissidentibus super hujusmodi clausula finem tandem imponat.

Quaeritur ergo:

1° *An celebratio quotidiana Missarum in Brevibus altarium privilegiatorum apposita dietim debeat verificari, ut hujusmodi privilegia sustineantur?*

Et quatenus Negative,

2° *Quanto tempore in anno tolerari possit omissio quotidianae celebrationis, ne privilegium amittatur?*

3° *An dicto tempore, quo Missae praescriptae non celebrantur, privilegium sit in suo robore, vel potius pro eo tempore suspensum remaneat?*

Sac. Congregatio die 9 Februarii 1745 respondit:

Serventur resolutiones Sac. Congregationis Concilii. [1])

---

[1]) **Petebatur enim in dicta Sacra Congregatione Concilii: 1° An absentibus religiosis ex causa praedicationis tempore Quadragesimae et Adventus, vel quando**

Factaque de his omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. relatione SSmus, benigne omnia approbavit.

150.

1745 13 Februarii. De Sodalitio S. Philippi Nerii.

Cajetana. Sexaginta abhinc annis extra moenia civitatis Cajetae Sodalitium Ecclesiasticorum sub invocatione S. Philippi Nerii in parochiali ecclesia S. Jacobi erectum jam fuit; nuper vero cum aliud Sodalitium sub eadem invocatione intra civitatem in parochiali ecclesia S. Luciae institutum sit, consuetasque indulgentias confraternitatum sodales a SSmo D. N. impetraverint, nonnulli in dubium revocarunt subsistentiam dictarum indulgentiarum ob non servatam formam a s. m. Clemente VIII praescriptam in Constitutione, cujus est initium *Quaecumque* (in ordine 115) de non erigendis in eadem civitate pluribus Sodalitiis unius instituti. Quare ad removendas dubitationes et animorum anxietates officiales recentis Sodalitii declarationem petunt ab hac Sacra Congregatione:

An indulgentiae impetratae a Sodalitio S. Philippi Nerii in ecclesia S. Luciae Cajetae substineantur in casu?

Sac. Congregatio die 9 Februarii 1745 audito prius Ordinario, reque diligenter perpensa, censuit respondendum esse:

Affirmative; et priorem Confraternitatem posteriori per Ordinarium uniendam esse.

---

occasione festivitatum, vel funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi mittuntur, indulgentiae concessae cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro tempore quo dictus numerus non fuerit adimpletus, sint suspensae, vel potius maneant in suo robore? 2° An idem sit statuendum deficiente praefixo numero Missarum ob infirmitatem sacerdotum tam regularium, quam saecularium? 3° An pariter idem sit statuendum deficiente praedicto numero Missarum ob absentiam ab ecclesiis saecularibus Canonicorum et Sacerdotum per aliquot dies et menses.

Et a S. Congregatione 30 Julii anno 1706 responsum fuit: Ad 1m: Quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimae remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat. Ad 2m: Non remanere suspensas. Ad 3m: Provisum in primo.

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 13 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

151.

1745 13 Februarii. Coron. S. Birgittae.

Ordinis S. Birgittae. Proposito dubio ad instantiam Procuratoris Generalis FF. Ordinis SS. Salvatoris, seu S. Birgittae in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita:

An vi decreti de non commodandis coronis, indulgentiae concessae coronis S. Birgittae nuncupat., adhuc durent, si dictae coronae commodentur dumtaxat ad enumerandos calculos seu ad recitationem orationum?

Eadem Sac. Congregatio die 9 Februarii 1745 respondendum esse censuit:

Affirmative.

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 13 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

152.

1745 13 Februarii. Via Crucis.

Provinciae Turritanae. Cum a longissimo tempore pium sanctumque exercitium Viae Crucis, ut vocant, obirent Fratres Minores Capucini nuncupati Provinciae Turritanae suos pene Conventus, cumque, promulgata subinde Constitutione s. m. Clementis XII, cujus initium est *Exponi nobis,* qua facultas erigendi Viam Crucis Ministro Generali Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Fratribusque ab eo dependentibus tribuitur, isti FF. Capucinos deturbare in possessione hujus exercitii inceperint ob id potissimum, quod erectio ab ipsis facta non esset; Procurator Generalis Capucinorum ad removenda jurgia et dissensiones cum Christifi-

delium scandalo subortas, Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro manutentione in possessione erectionis antedicti exercitii, et pro indulgentiarum concessione humillimas preces porrexit. Quare eadem Sacra Congregatio, audito Procuratore Generali FF. Minorum de Observantia, ac singulis rationum momentis hinc inde deductis, ceterisque de jure videndis mature perpensis, ac formatis his desuper dubiis, nempe:

1° *An Viae Crucis erectio a PP. Capucinis in provincia Turritana ante promulgationem Constitutionis s. m. Clementis XII sustineatur?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An illis sint concedendae indulgentiae, quibus gaudent Viae Crucis erectae a PP. Minorum Observantiae S. Francisci?*

Die 9 Februarii 1745 censuit rescribendum esse:

Ad 1m: *Supplicandum SSmo pro sanatione, quatenus opus sit, dictae erectionis, et pro concessione indulgentiarum.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione die 13 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

153.

1745 13 Februarii. Clausula „Volumus autem“ quoad ferias VI Martii.

Editum jam fuit a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita decretum tenoris, qui sequitur: Ne contra veterem etc. (vide supra pag. 49.)

Cum vero ex frequenti concessione indulgentiarum pro ipsis feriis sextis Martii, seu Quadragesimae frequens pariter sequatur nullitas reliquorum Brevium, quae de stylo cum restrictivis postea expediuntur, idcirco eadem Sacra Congregatio, re maturius perpensa, ad tollendas quascumque dubietates ac Brevium nullitates, quibus Christifideles quandoque decipi possent, die 9 Februarii 1745 censuit, hujusmodi indulgentias feriarum sextarum mensis Martii seu Quadra-

gesimae excipiendas esse, ita ut alias quaslibet impedire nequeant, ac propterea praefato elencho indulgentiarum exceptarum die 23 Junii 1676 ab eadem Sacra Congregatione edito addendas esse.

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 13 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

154.

1745 13 Februarii. — Altare privilegiatum in ecclesia S. Luciae Confalonis.

Romana. Cum ab ecclesia S. Luciae Archiconfraternitatis Confalonis de Urbe offerentibus eleemosynas pro Missis celebrandis ad altare in eadem privilegiatum distribuerentur schedulae tenoris, qui sequitur: „Indulgenza Plenaria conceduta all' Altare del Santissimo Crocifisso posto nella Chiesa di S. Lucia della Ven. Archiconfraternita del Confalone. Chi farà celebrare una Messa sull' Altare privilegiato del Santissimo Crocifisso nella Chiesa di S. Lucia del Confalone applicandola per l' anima che si desidera, la medesima vien liberata dal Purgatòrio, non altrimenti che detta Messa fosse celebrata all' Altare di S. Gregorio di Roma, come apparisce dalla lapide di detto Altare per Bolle concesse da Papa Paolo V e Gregorio XIII Sommi Pontefici", [1]) sed ex requisitis, et exhibitis Brevibus liqueat, scilicet ex Brevi s. m. Gregorii XIII diei 20 Februarii 1577 privilegium fuisse concessum altari SS. Crucifixi; ex Brevi vero fel. rec. Pauli V diei 11 Decembris 1609, idem privilegium fuisse translatum ad altare omnipotenti Deo et sanctissimae Cruci dicatum, ideo Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 9 Februarii 1745, omnibus serio examinatis, cen-

[1]) Indulgentia plenaria concessa altari SSmi Crucifixi sito in ecclesia S. Luciae venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis. Qui Missam celebrari faciet in altari privilegiato SSmi Crucifixi in ecclesia S. Luciae Confalonis eam applicando pro anima, cui quis suffragari cupit, ipsa liberatur e purgatorio, non secus ac si dicta Missa celebrata fuisset in altari S. Gregorii Romae, ut apparet ex lapide dicti altaris per Bullas concessas a Paulo V et Gregorio XIII, Summis Pontificibus.

suit declarandum esse, idem privilegium addictum esse altari praedicto sub titulo omnipotentis Dei, et sanctissimae Crucis exsisten., ac propterea ceteris reprobatis reformandam esse formulam praedictarum schedularum, et approbandam, quae sequitur, nempe: „Indulgenza Plenaria per suffragare l'anime del Purgatorio all' Altare di Dio Onnipotente e della Santissima Croce nella Chiesa di S. Lucia della Ven. Archiconfraternita del Confalone di Roma. Chi farà celebrare Messe all' Altare dedicato a Dio Onnipotente e alla Santissima Croce nella Chiesa della Ven. Archiconfraternita del Confalone di Roma, suffragherà per ogni Messa come se la medesima fosse celebrata all' Altare privilegiato del Monastero di S. Gregorio parimenti di Roma, come apparisce da' Brevi di Gregorio XIII e Paolo V Sommi Pontefici." [1])

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 13 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

155.

1745 20 Septembris. Capellae Regularium quoad privilegia ecclesiarum Ordinis.

Ordinis S. Francisci Recollectorum. Complures domos sive parvos Conventus, quos hospitia vocant, habet Ordo S. Francisci Recollectorum in regione Germano-Belgica, in quibus tres vel ad summum sex degunt Religiosi sub jurisdictione tamen Episcoporum et dominio dominorum saecularium, a quibus praefatas domos pro habitatione obtinuerunt. Cum autem in eis sint ecclesiae, sive potius publicae capellae, et PP. Recollecti eas gaudere putent Ordinis indulgentiis, et praesertim altaris privilegio, multique contra id negent, ab hac Sacra Congregatione declaratio

---

[1]) Indulgentia plenaria ad suffragandum animabus purgatorii ad altare Dei omnipotentis et SSmae Crucis in ecclesia S. Luciae venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Romae. Qui Missas celebrari faciet in altari dicato Deo omnipotenti et SSmae Cruci in ecclesia venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Romae, pro qualibet Missa animae suffragabitur, ac si eadem celebrata fuisset in altari privilegiato monasterii S. Gregorii pariter Romae, ut apparet ex Brevibus Gregorii XIII et Pauli V, Summorum Pontificum.

super hujusmodi dubio petitur, ne Christifideles, quando revera capellae praefatae indulgentiis Ordinis haud fruantur, ulterius decipiantur.

Quaeritur igitur:

An capellae publicae PP. Recollectorum Ordinis S. Francisci gaudeant privilegio ecclesiarum Ordinis in casu?

Sac. Congregatio die 20 Septembris 1745 respondit:

Negative. [1])

156.

1745 25 Septembris. Ecclesiae tum Monialium Ord. Praemonst., tum dependentes a dicto Ord. non gaudent altari privilegiato.

Ordinis Praemonstratensis. Cum in pluribus Brevibus pro altari privilegiato quotidiano perpetuo pro omnibus fidelium defunctorum animabus in singulis ecclesiis quorumdam Ordinum Regularium, et signanter Canonicorum Regularium Praemonstratensium expeditis, hujusmodi inter cetera legantur verba: *Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas Canonicorum Regularium Ordinis Praemonstratensis et Monialium Ordinis hujusmodi, sub gubernio, cura et jurisdictione Canonicorum Regularium praefatorum exsistentium et in qualibet ex dictis ecclesiis altare per Abbatem cujuslibet monasterii dicti Ordinis pro tempore exsistentem designandum etc.*, nonnulla orta sunt dubia, praesertim an sub ea expressione comprehendantur etiam ecclesiae Monialium istiusmet Ordinis, sed Ordinariorum jurisdictioni immediate subjectarum, necnon ecclesiae parochiales, sive non, ab ejusmodi Ordine dependentes, quaeque ab uno vel pluribus Canonicis ejusdem Ordinis reguntur.

Quare, instante Procuratore Generali praedictorum Canonicorum Regularium Praemonstratensium, sequentia dubia huic Sacrae Congregationi discutienda sunt proposita:

1° *An ecclesiae Monialium Ordinis Praemonstratensis, quae Ordinariis subjectae sunt, gaudeant privilegio altaris eidem Ordini concesso?*

2° *An eodem privilegio gaudeant ecclesiae a monasteriis Ordinis dependentes, quae ab aliquo ejusdem Ordinis Canonico solent administrari in casu?*

---

[1]) Vide tamen decretum diei 4 Februarii 1746 (num. 157.)

Sac. Congregatio die 20 Septembris 1745 respondit: *Ad utrumque Negative.*

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 25 praedicti mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbavit.

157.

1746 4 Februarii. Ecclesiae PP. Recollectorum.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad dubium super praefatis precibus formatum nempe: *An et quomodo annuendum sit precibus in casu, an nimirum ecclesiae PP. Recollectorum Ordinis S. Francisci, nationis Germano-Belgicae, seu capellae exsistentes sub jurisdictione Episcoporum et dominio saecularium gaudeant privilegiis Ordinis?* die 31 Januarii 1746, praevio recessu a decisis sub die 20 Septembris 1745, declarandum esse respondit, omnes et singulas capellas publicas praefatorum FF. Recollectorum in regione Germano-Belgica exsistentes gaudere, donec residentiam inibi Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis ejusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas Christifideles ad Sacrum audiendum, et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant.

De quibus facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium die 4 Februarii ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

158.

1746 25 Junii. De abusu quodam in adscriptione sodalium.

Herbipolen. Sodalitium SS. Corporis et Sanguinis Christi sub invocatione Adorationis perpetuae jamdiu Monachii et in ceteris Bavaricae ditionis locis erectum atque a Sede Apostolica sub hac lege anno 1674 confirmatum, ut *omnes* (sunt verba Brevis fel. rec. Clementis X) *huic sanctissimae Confraternitati incorporari cupientes ab ipsomet Archiconfraternitatis Corporis Christi praeside, vel a parocho loco-*

rum illorum, in quae praedicta Archiconfraternitas nondum est introducta, suscipiantur, quorum tam nomina quam cognomina certum in librum cum deputata orationis hora assignentur, exhibita e contra ipsis deputatae orationis horaria scheda; casu autem, quo dictae Corporis Christi Confraternitati jam antea essent inserti, nominibus eorum cum deputata orationis hora tantum assignatis a dictae Confraternitatis Secretario deputatae horariae schedae iisdem exhibeantur, quae post obitum cujusque aliis distribuantur, anno 1736 Episcopus Herbipolen. institui in sua dioecesi curavit, necnon a s. m. Clemente XII confirmari, conditione vero adjecta: *servata tamen Clementis Praedecessoris forma et dispositione.* Verum cum praefatus Episcopus omnes et singulos suos dioecesanos in hujusmodi Sodalitii erectione sodales fecerit, cum lege tamen, ut singulis annis parochi orationis horam parochianis distribuant, in pluribus paroeciis mos invaluit, ut pro sodalium libro deserviat deputatus pro animarum statu; quapropter nonnulli in dubium revocare inceperunt, utrum hoc pacto servata revera dici queat Apostolica dispositio requisita.

Quaeritur itaque:

An consuetudo introducta in dioecesi Herbipolen. pro Sodalitio SS. Corporis et Sanguinis Christi tolerari debeat, vel potius forma a s. m. Clemente X praescripta omnino servanda sit in casu?

Sac. Congregatio die 21 Junii 1746 respondit:

Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam partem.

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 25 praedicti mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum EE. PP. benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

159.

1746 23 Septembris. **Liber et folia indulgentiarum reprobantur.**

Sacra indulgentiarum Congregatio, cui cura incumbit invigilandi, ne falsae indulgentiae pro veris venditentur,

neve abusus in illarum publicatione irrepant, et si qui irrepserint, tollantur et eliminentur omnino, Sacrosanctae Tridentinae Synodi dispositioni inhaerens, et praesertim sess. 21 de reform. cap. 8, et sess. 25. decret. de indulg., non minus provide, quam sapienter plura promulgavit decreta, praecipue annis 1678, 1734 et 1738, quibus districte prohibuit, etiam sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, editionem librorum, ac Summariorum indulgentiarum inscia ipsa Sacra Congregatione factam, sive faciendam; nihilo tamen minus circumferri nuper visa sunt per manus liber, cui titulus: *Regola del Terz. Ordine detto dei Penitenti etc. in Roma 1742 per Ottavio Puccinelli*, necnon folia quaedam pro Sodalitio S. Margaritae Cortonensis Cortonae erecto, in quibus nonnullae indulgentiae leguntur, quae etiamsi nimis oeconomicae ecclesiae thesauri dispensationi contrariae videantur, veluti inter caeteras, reputari potest illa, quae pag. 110 antedicti libri recensetur, ibi: Il sommo Pontefice Paolo III concesse ai Religiosi Laici del Convento di Aracoeli di Roma, che recitando una volta il giorno la predetta Corona della B. V. nella Cappella privilegiata di S. Elena esistente nella Chiesa suddetta, potessero acquistare l' Indulgenza plenaria colla liberazione di un anima dal Purgatorio, per cui l' avessero applicata, a somiglianza de' Sacerdoti celebranti nel medesimo Altare[1]) extensumque asseritur hujusmodi privilegium a s. m. Benedicto XIII ad tres Ordines utriusque sexus S. Francisci; tamen nec de concessione, nec de extensione hujusce gratiae aliquod affertur documentum authenticum, quo probari queant.

Quod vero attinet ad antedicta Cortonensis Sodalitii folia, cum in eis quaedam legantur verba, quae pravi quaestus speciem prae se ferre videntur contra claram dispositionem enuntiati decreti Tridentinae Synodi de indulgentiis, cujusmodi sunt, quae recensentur in folio, cui titulus est: *Notifi-*

---

[1]) Summus Pontifex Paulus III concessit, ut Religiosi laici Conventus S. Mariae in Ara Coeli Urbis Romae, qui recitaverint semel in die praedictam coronam B. V. in sacello privilegiato S. Helenae sito in eadem ecclesia, lucrari possint indulgentiam plenariam, qua liberaretur a poenis purgatorii anima, pro qua applicata fuisset indulgentia, non secus ac sacerdotes celebrantes in eodem privilegiato altari.

cazione sacra, ibi: chiunque poi vorrà essere a parte di tanto bene, e venire ascritto in detta Ven. Congregazione sarà contento di fare una tenue e spontanea elemosina [1]) etc. cujus quantitas explicatur in alio folio, quod incipit: Avvisi alli devotissimi Padri etc., num. 8 non ricevere più della consueta limosina di paoli due etc. [2]) Itaque merito suspicari potest, tum librum, tum folia antedicta promulgata fuisse absque approbatione Sacrae istius Congregationis; quare jure meritoque interdicenda essent, saltem quoad indulgentias, ob non servatam legem ab eadem Sacra Congregatione praescriptam. Imo operae pretium esset, renovare enuntiata Sacrae Congregationis decreta, ut hoc pacto dignoscatur, illa in suo robore semper fuisse, et modo in viridi esse observantia, et hujusmodi renovatione omnis tollatur occasio ignorandi mentem Sacrae Congregationis quoad evulgationem Summariorum indulgentiarum.

Quaeritur itaque:

1° *An tum liber Tertii Ordinis S. Francisci, quum folia Sodalitii Cortonensis enuntiata quoad indulgentias tolerari debeant?*

Et quatenus Negative,

2° *Quomodo providendum sit in casu?*

Sac. Congregatio die 23 Septembris 1746 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Renoventur decreta quoad librum Tertii Ordinis; quo vero ad folia Sodalitii Cortonensis ad mentem; et mens est, ut super facultate aggregandi exteros confratres causa ponatur in folio; interim suspendantur folia distributa ab officialibus Sodalitii Cortonensis, donec nova formula a Sacra Congregatione praescribatur juxta Decretum.*

Et facta de his per infrascriptum Secretarium eadem die SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis votum benigne approbavit.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

---

[1]) Qui autem tanti boni particeps esse voluerit et adscribi dictae ven. Congregationi, annuet pro solutione tenuis ac spontaneae eleemosynae.

[2]) Monita devotissimis Patribus etc. num. 8, nihil accipere ultra consuetam eleemosynam duorum juliorum etc.

160.

1746 28 Septembris. Altare privilegiatum.

Conimbricen. Beatissime Pater! Officiales Confraternitatis SS. Cordis Jesu canonice erectae in ecclesia SS. Petri et Pauli civitatis Conimbricensis exponunt Sanctitati Vestrae, se decreto diei 25 Septembris 1745 obtinuisse in perpetuum privilegium altaris pro Missis Confraternitatis et confratrum. Quoniam vero inter alia verba decreti, quod incipit: *Cum sicut humillime exponebatur,* legitur: *Missas etc. celebrare, vel celebrari facere soleant; ideo SSmus etc.*, dubitatur a nonnullis, an particula *ideo* enuntiata verba *Missas . . . soleant,* adeo coarctentur, ut solummodo privilegiatae intelligantur Missae isto tempore obtentae gratiae, vel etiam privilegiatae intelligi debeant Missae, quae in posterum sive ex proventuum augmento, sive ex pietate adscriptorum statutis et consuetudinibus adaugeri possunt a Confraternitate et confratribus in suffragium suorum defunctorum. Oratores itaque ad earumdem Missarum bonum regimen et satisfactionem suppliciter orant Sanctitatem Vestram pro favorabili declaratione dicti dubii. Quod etc.

SSmus D. N. Benedictus PP. XIV benigne declaravit, enuntiata verba *Missas etc. soleant* in asserto decreto diei 25 Septembris 1745 expressa a subsequente particula *ideo* non ita coarctari, ut Missae solum de tempore praedictae expeditionis praefixae privilegio gaudere intelligantur, sed etiam quascumque, juxta ejusdem decreti expressionem, quoquo tempore celebrandas, sive praefigendas, sive adaugendas, fuisse et esse in obtento privilegio comprehensas atque contentas. Servato in reliquis primaevae tenore concessionis.

Datum Romae die 28 Septembris 1746.

J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

161.

1747 21 Januarii. Cruces, Coronae, numismata.

Urbis et Orbis. Cum in concedendis facultatibus benedicendi coronas, aut numismata nulla ut plurimum in

Apostolicis Rescriptis fiat mentio specifica qualitatis coronarum et rosariorum, aut crucis imaginum, nonnulla oborta sunt dubia, nempe an nuncupatione coronarum quaecumque coronae et rosaria, et nomine numismatum etiam cruces comprehendantur; idcirco relatis in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita dubiis:

1° *An, quando in Rescripto alicujus supplicationis conceditur facultas pro benedicendis coronis, intelligatur etiam concessa facultas benedicendi quascumque coronas necnon rosaria?*

2° *An, quando, ut supra, conceditur facultas benedicendi numismata, non expressa facultate pro crucibus, possit etiam intelligi concessa facultas benedicendi cruces?*

Eadem Sac. Congregatio die 16 Januarii 1747 decernendum esse censuit:

Ad 1m: *Intelligi quascumque coronas et rosaria cum communicatione indulgentiarum in formula impressa dumtaxat contentarum.*

Ad 2m: *Juxta eamdem formulam.*

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 21 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. Portocarrero Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

162.

1747 20 Martii. **Ecclesiae et capellae publicae nondum benedictae et oratoria privata quoad indulgentias.**

Frisingen. Cum in dioecesi Frisingensi plures inveniantur ecclesiae, imo et quam plurima tum capellae, tum oratoria publica nondum benedicta vel consecrata, necnon pleraque privata oratoria cum privilegio more Episcoporum, sive absque hujusmodi privilegio, quibus concessae sunt indulgentiae, ortum est dubium, utrum revera hae indulgentiae subsistant. Qua de re obortum dubium ab hac Sacra Congregatione resolvendum proponitur.

Quaeritur igitur:

1° *An ecclesiae, capellae et oratoria publica nondum benedicta, nec consecrata, capacia sint indulgentiarum?*

2° *An eamdem capacitatem habeant capellae et orator- privata tam cum privilegio more Episcoporum, quam si- hujusmodi privilegio?*

Sac. Congregatio die 20 Martii 1747 respondit:

Ad utrumque: *Affirmative, sed de stylo non concedi.*

163.

1747 20 Martii. Confraternitas S. Mariae Mortis.

Bergomen. Cum in Sacra Congregatione Indulgenti- Sacrisque Reliquiis praeposita die 20 Martii 1747 propos- tum fuerit dubium: *An delatio vestis nigrae ac aliarum te- serarum Archiconfraternitatis S. Mariae Mortis de Urbe n- cessario requiratur, ut Sodalitium eidem Archiconfraternita- aggregatum gaudere valeat indulgentiis per dictam aggrega- tionem sibi communicatis?*

Eadem Sac. Congregatio respondendum esse censuit:

Negative, et ad mentem; et mens est, quod Episcopus hor- tetur sodales ad ejusmodi vestis delationem.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

164.

1747 26 Augusti. Confraternitas Adorationis perpetuae.

Ditionis Domus Bavaricae. Nuper Serenissimo Maximiliano Josepho, Bavariae Duce ac S. R. I. Electore et Augustissima Maria Amalia, ejus Matre, Imperatrice, Vidua, humillime supplicantibus SSmus D. N. Benedictus PP. XIV, audito voto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, indulgentiam plenariam etiam fidelibus defunctis applicabilem pro sodalibus Confraternitatum Adorationis perpetuae SS. Eucharistiae Sacramenti in tota ditione Bavaricae Domus erectarum, sive erigendarum per Breve s. m. Clementis X sub die 7 Septembris 1674 solummodo concessam ad omnes et quoscumque praedictae ditionis Christifideles, licet nulli ejusmodi Sodalitio nomen dederint, die 21 Januarii 1747 benigne extendit, dummodo cujusque nomen a proprio parocho describeretur, et ab ipso orationis hora designaretur, servato in reliquis allegati tenore Brevis. Cum autem super hujusmodi gratiae extensione variae in

eadem ditione subortae fuerint opiniones, nomine praelaudatorum Serenissimi Ducis Electoris et Augustissimae Imperatricis Viduae, haec septem discutienda in ipsa Sacra Congregatione proposita sunt dubia:

1m: *An etiam Religiosi et Moniales, quibus horae nocturnae ad adorandum assignatae sunt, possint lucrari praedictam indulgentiam plenariam?*

2m: *An etiam extranei casu degentes in tali loco Bavariae, ubi SS. Sacramentum expositum est, si per horam integram orent, indulgentia gaudeant?*

3m: *An Religiosi et Moniales duabus horis in anno orantes, bis etiam indulgentiam consequi valeant?*

4m: *An reliqui Christifideles si tribus vel quatuor vicibus per horam oraverint, toties indulgentiam praefatam acquirant?*

5m: *An clausula* Dummodo *etc. denotet conditionem sine qua non, ita ut quis horam praescriptam variare non possit, vel quispiam valeat propria auctoritate illam mutare, ob impedimentum superveniens, ut opificibus et rusticis non raro contingere solet?*

6m: *An in quacumque ecclesia expositio fiat, an in propria tantum orare quis teneatur per horam, ut indulgentiae particeps fiat?*

7m: *An aegroti ceterique non valentes visitare ecclesiam, ut orent tempore praescripto, si devote id domi peragant, indulgentiam consequantur?*

Eadem vero Sacra Congregatio omnibus et singulis hujusmodi dubiis mature perpensis die 19 Augusti 1747 respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative ad tenorem Brevis et Decreti.*

Ad 2m: *Affirmative, dummodo non sint per modum transeuntis?*

Ad 3m et 4m: *Negative.*

Ad 5m: *Quoad primam partem, Affirmative; quoad vero secundam, Negative.*

Ad 6m: *Affirmative in quacumque ecclesia de licentia parochi.*

Ad 7m: *Affirmative de licentia parochi.*

De quibus omnibus et singulis facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium die 26 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. Portocarrero Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

165.

1747 26 Augusti. Confraternitas SS. Rosarii.

Constantien. Cum experientia compertum sit, nonnullas SS. Rosarii Confraternitates auctoritate dumtaxat Ordinaria, irrequisito Magistro Generali FF. Ordinis Praedicatorum erigi, ac pro illis Apostolicum Breve cum indulgentiis cuicumque Confraternitati canonice erectae sive erigendae generaliter concedi consuetis expediri, nonnulli extra Urbem, ac praecipue quidam ecclesiastici viri et sanguinis nobilitate et morum probitate insignes ex dioecesi Constantiensi, recte dubitarunt, num hujusmodi Confraternitates canonicae reputari valeant, ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita decidenda fuerunt exhibita:

1m: *An, si inscio P. Generali Ordinis Praedicatorum, per Ordinarium erigatur Confraternitas SS. Rosarii, confratres re ipsa fruantur indulgentiis in Brevi Apostolico per eosdem obtento expressis?*

Et quatenus Affirmative,

2m: *An fruantur etiam aliis indulgentiis in dicto Brevi Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis confratribus SS. Rosarii a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis menstruis, aut aliis diebus?*

Hisce autem dubiis Sacra eadem Congregatio die 19 Augusti 1747, rationum momentis serio matureque perpensis, respondendum esse censuit:

Ad utrumque: *Negative.*

De quibus omnibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 26 praedicti mensis SSmo D. N. Benedicto PP. XIV relatione, Sanctitas Sua

ipsummet votum benigne approbando confirmavit. Ne tamen hujusmodi Confraternitatum inconsulto eodem Magistro Generali erectarum fervor tepescat, sed magis magisque illarum confratrum et consororum devotio potius augeatur, omnes et singulas cujuscumque Confraternitatis SS. Rosarii erectiones in praefata Constantiensi dioecesi, inscio Magistro Ordinis Praedicatorum pro tempore exsistente Generali, hactenus factas motu proprio, ac de plenitudine Suae Apostolicae potestatis sanavit, ac validas esse declaravit; immo praedictae dioecesis Constantiensis populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam moderno ejusdem Ordinis Praedicatorum Magistro Generali humillime supplicante, iisdem Confraternitatibus sic erectis praeter indulgentias in respectivo earum obtento Brevi expressas, etiam omnes et singulas alias Confraternitatibus SS. Rosarii ad formam Constitutionis S. Pii V diei 28 Junii 1569 incipien. *Inter desiderabilia etc.* canonice erectis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas clementer indulsit. In posterum tamen, ut quodcumque dubium, et quaevis abusus aut molestiae vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem SSmus D. N. de Apostolicae pariter plenitudine potestatis voluit et expresse mandavit, quod non aliter Confraternitates seu Societates SS. Rosarii erigantur, nisi requisitis prius et obtentis, juxta formam a S. Pio V in praeallegato Brevi praescriptam, a Magistro laudati Ordinis Praedicatorum pro tempore exsistente Generali litteris facultativis, ut alias a Sacra Rituum Congregatione die 9 Aprilis 1661 resolutum fuit, et ab Auditore Generali Suae Apostolicae Camerae in consimili causa anno 1663 per sententiam definitum. Saepedictus vero Magister Generalis pro hujusmodi Confraternitatum erectione consuetas litteras sacerdotibus sui Ordinis, vel ubi horum Conventus non exsistat, aliis ecclesiasticis personis, sive regularibus, sive saecularibus etiam Episcopo benevisis expediat, ipsaeque litterae nonnisi de consensu Ordinarii, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis, ac servari solitis, exsecutioni mandentur.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.

A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

166.

1747 26 Augusti. Moniales Episcopis subjectae.

Viennen. in Austria. Cum pluribus non obstantibus decretis, quibus Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit, et signanter die 20 Aprilis 1711, monasteria omnia Sanctimonialium, quae a cura et gubernio FF. suorum Ordinum sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse seu amissura fore, sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu exsisterent; die vero 3 Decembris 1736 monasteria Monialium in partibus praesertim Germaniae sita sub nuncupatione Congregationis Elisabethinarum, licet sub cura et gubernio Ordinariorum exsistant, gaudere indulgentiis earum Ordini generaliter concessis, ac die 23 Septembris 1741 SSmus D. N., audito prius voto ejusdem Sacrae Congregationis, die 19 ejusdem mensis declaraverit, et quatenus opus sit, concesserit, ecclesias Monialium Clarissarum Ordinis S. Francisci Assisinatis gaudere indulgentia Portiunculae nuncupata die 2 Mensis Augusti pro omnibus Christifidelibus eo modo, quo gaudent ecclesiae FF. Minorum universi ejusdem Ordinis S. Francisci, et demum 18 Maji 1744, Sanctimoniales quascumque Ordinario locorum subjectas gaudere indulgentiis suorum respective Ordinum, aut Congregationum, quorum ritum in Officio recitando sequuntur, ac simul Institutum profitentur; his, inquam, non obstantibus pro parte Monialium tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Elisabethinarum nuncupat. Civitatis Viennae in Austria Sacrae Congregationi expositum fuit, nonnullos credidisse, sive excogitasse, ipsarum ecclesiam et alias ejusmodi Congregationis et Ordinis utpote Ordinario subjectas, privilegiis et indulgentiis in ecclesiis earum Ordinis et signanter pro die 2 Augusti concessis minime gaudere, sed praefata decreta pro personis dumtaxat Monialium, non vero pro omnibus Christifidelibus illarum ecclesias visitantibus intelligenda fore; quare propo-

sito desuper dubio: *An indulgentiae generaliter concessae ecclesiis Fratrum pariter et Monialium tum in diebus festivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus, cunctae et singulae aeque lucrari queant a Christifidelibus visitantibus ecclesias Monialium, quae Ordinariorum gubernio et jurisdictioni subsunt?*

Sac. eadem Congregatio die 19 Augusti 1747 ad formam alterius decreti die 27 Februarii 1673 respondit ac declaravit: *Gaudere.*

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 26 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. Portocarrero Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

167.

1747 26 Augusti. — De Confraternitate SS. Rosarii.

Missionis Hollandicae. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 19 Augusti 1747 censuit, Confraternitatem seu Societatem SSmi Rosarii cum adnexis indulgentiis in oratorio seu ecclesia parochiali S. Martini in Thargic prope Bredam sub ditione Hollandica canonice a Fratribus Ordinis Praedicatorum ipsam ecclesiam administrantibus jam erectam, non obstante eorumdem Fratrum ab ipsa ecclesia discessu, ac presbyterorum saecularium ad illam regendam subrogatione, subsistere, ac indulgentiis ipsi Sodalitati adnexis gaudere.

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 26 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. Portocarrero Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

168.

1748 5 Februarii. — Clausula Dummodo.

Moguntina. Clausulae restrictivae, quae ex consueta probataque consuetudine appositae fuerunt in quibusdam

indulgentiarum Brevibus expeditis pro ecclesia Montis Adjutorii S. Bonifacii Moguntinae dioecesis, nonnullis dubium injecerunt, utrum ex praefatis clausulis revocatae fuerint aliae indulgentiae praefatae ecclesiae concessae, et praesertim pro concursu peregrinorum pro sextis feriis Quadragesimae, novendialibus Nativitatis Domini, necnon altaris privilegium; quare ad removendas hujusmodi dubitationes proposito dubio:

An indulgentiae concessae tam pro concursu populi ac peregrinorum, quam pro novendialibus ante Natale Domini, necnon pro privilegio altaris impedimento sint concessioni indulgentiarum cum clausula Dummodo *aliisque restrictivis in casu?*

Sac. Congregatio die 5 Februarii 1748 declarandum esse censuit:

Negative.

De quibus facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium die 2 mensis Martii ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

169.

1748 5 Februarii. Cincturati.

Elboren. Sodalitium Cincturatorum S. Monicae sub invocatione SSmi Cordis boni Jesu erectum in oppido Mourae, Elboren. Dioecesis, ex eo quod nullus PP. Eremitarum S. Augustini Conventus in viciniis reperitur, consuevit sacerdotem saecularem confessarium ab Ordinario approbatum deputare ad benedicendum scapularia et cincturas, quas vocant; quoniam vero juxta statuta et constitutiones hujusmodi Sodalitii, tum in quibusdam anni diebus, tum in mortis articulo illius directores benedictionem nomine Summi Pontificis impertiri valent, nonnulli ex sodalibus dubitantes, utrum eorum confessarius et director, utpote saecularis, tali gaudeat facultate PP. Ordinis S. Augustini competente, sequentia dubia solvenda proponunt, et quatenus opus sit, petunt eamdem con-

cedi facultatem saepedicto eorum confessario, ac illius successoribus, quoties deerunt PP. Ordinis S. Augustini.

Quaeritur itaque:

1° *An deputatio sacerdotis saecularis, inscio P. Priore Generali Ord. Eremitarum S. Augustini ad benedicendum scapularia et cincturas a Sodalitio Cincturatorum oppidi Mourae facta sustineatur in casu?*

2° *An idem sacerdos valeat benedictionem nomine Sanctitatis Suae impertiri diebus in statutis Cincturatorum praescriptis necnon in articulo mortis?*

Et quatenus Negative ad utrumque,

3° *Quomodo providendum sit in casu?*

Sac. Congregatio die 5 Februarii 1748 respondit:

Ad 1m et 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Recurrant ad P. Priorem Generalem, non tamen pro facultate impertiendi benedictionem Papalem.*

170.

1748 2 Martii. Tertiarii.

Tridentina. Proposita controversia exorta inter Tertiarios subjectos Patribus Min. Conventualibus S. Francisci, et Tertiarios PP. Reformatorum ejusdem Ordinis Tridenti in Sacra Congregatione habita die 21 Junii 1746, Sacra eadem Congregatio, discussis dubiis, primo videlicet: *An Tertiarii, qui a PP. Conventualibus defecerunt adscriptique fuere in Tertio Ordine PP. Minorum Reformatorum Ordinis S. Francisci, gaudeant privilegiis Tertiariorum in casu?* Secundo: *An Bullae, tam* Quaecumque *Clementis VIII, quam* Paterna Sedis *Benedicti XIII obsint Tertiariis Conventualibus ratione posterioris erectionis in casu?* ad primum respondit: *Ex hactenus deductis Negative, et ad mentem; et mens est, ut scribatur Episcopo juxta Instructionem;* ad secundum: *Negative.*

Quapropter datis Litteris ad Episcopum, quae potissimum versabantur in eo, ut pro sua prudentia curaret partes componere; cumque irrita fuerit omnis industria Episcopi, iterum pro parte utriusque Congregationis Tertiariorum praefatorum propositum fuit dubium:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Sac. Congregatio die 5 Februarii 1748 rescribendum esse censuit:

In decisis, et ad mentem; et mens est, ut Secretarius referat Sanctissimo, Sacram Congregationem esse in sensu, quod quatenus Tertiarii, qui a Conventualibus discesserunt, supplicent Sanctitati Suae pro nova indulgentiarum concessione, illorum precibus Sanctitas Sua dignetur annuere.

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 2 Martii ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

171.

1748 2 Martii. De aggregatione et altari privilegiato.

Ut pietatis opera in christiana republica augeantur, simulque charitatis vincula fideles ipsos magis magisque obstringant, jamdiu mos invaluit privilegia, indulgentias, aliasque spirituales gratias, quibus Patriarchales Basilicae, aliaeque ecclesiæ, nosocomia, Archiconfraternitates et alia hujus generis pia instituta gaudent, aliis per aggregationes communicandi; verum cum super hujusmodi aggregationibus plura quotidie emergant dubia, et praesertim, num qui aggregandi facultatem habent, privilegia sibi competentia ampliare, sive limitare in aggregatione queant; pariterque an pro suo arbitrio ipsas aggregationes ad tempus, vel in perpetuum concedere possint; tum etiam utrum privilegium altaris, quo aggregans fruitur, communicari possit, et revera sub nomine privilegiorum et indulgentiarum intelligatur illud communicatum; idcirco ad occurrendum indulgentiarum indemnitati, neve Christifideles in re tanti momenti decipiantur, decidenda in Sacra Congregatione Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum proposita fuerunt sequentia dubia:

1° *An Patriarchales Basilicae, aliaeque ecclesiae, necnon nosocomia, Archiconfraternitates, Superiores cujuscumque Ordinis, sive Instituti ceterique habentes facultatem communicandi privilegia,*

possint privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro suo arbitrio in aggregationibus?

2° *An aggregationes faciendae sint ad tempus, vel in perpetuum?*

3° *An privilegium altaris sit communicabile?*

Et Sac. eadem Congregatio die 5 Februarii 1748 declarandum esse censuit:

Ad 1m: *Negative, nisi aliter in indultis Apostolicis provideatur.*

Ad 2m: *Aggregationes faciendas esse in perpetuum.*

Ad 3m: *Negative.*

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 2 Martii ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

172.

1748 2 Martii. **Moniales Episcopo subjectae.**

Viennen. in Austria. Moniales Elisabethinae occasione decreti diei 26 Augusti 1747 Viennen. Sacrae Congregationi sequens dubium proposuerunt:

An ipsae, earumque ecclesiae in praeinserto favorabili decreto comprehendantur, ex eo quod licet consueta vota substantialia Instituti et Ordinis S. Francisci profiteantur, attamen non divinum vigore praeallegati decreti 18 Maji 1744, sed B. M. V. Officium tantummodo recitant?

Sac. Congregatio die 5 Februarii 1748 rescribendum esse censuit:

Consulendum Sanctissimo pro benigna declaratione seu, quatenus opus sit, pro nova concessione.

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 2 mensis Martii praedicti anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit, ac ejusdem declarationem seu concessionem quibuscumque etiam reliquis Mo-

nialibus Instituti, aut Ordinis S. Francisci Assisinatis, earu*m*que ecclesiis suffragari voluit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

173.

1748 22 Maji. Altare privilegiatum.

FF. Min. Recollectorum in provinciis Germano-Belgicis. Nuper emanavit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet *Ad humillimas preces P. Gaudiosi Mayer, Provinciarum Germano-Belgicarum FF. Ordinis S. Francisci Minorum Regularis Observantiae Recollectorum in Romana Curia Agentis Generalis, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 20 Martii 1747 altare privilegiatum in omnibus et singulis ecclesiis universi Ordinis praedicti sub die 14 Decembris 1725 in perpetuum jam concessum, in ecclesiis per R. P. D. Nuntium Apostolicum Bruxellen. designandis, nempe illorum dicti Ordinis et Provinciarum Germano-Belgicarum Conventuum, quorum PP. missionibus et aliis pietatis ac misericordiae operibus occupati quibusdam diebus determinato Missarum numero satisfacere nequeunt, pro duabus feriis cujuslibet hebdomadae absque expressione numeri Missarum etiam in perpetuum extendendum esse censuit. De quibus facta per D. Secretarium die 12 Aprilis ejusdem anni SSmo D. relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbando benigne annuit. Fr. J. Card. Portocarrero. A. E. Vicecomes Pro-Secretarius.*

Cum vero occasione ejusmodi decreti exsequutionis nonnulla suborta sint dubia, haec iterum deducta fuerunt proposita:

1° *An ecclesiae contiguae residentiis, hospitiis, domibus, ut vocant, PP. Recollectorum Ordinis S. Francisci Provinciarum Germano-Belgicarum gaudeant privilegio altaris pro duabus in hebdomada feriis in casu?*

2° *An Conventus sive residentiae etc. dictarum Provinciarum, quae non alunt tot Sacerdotes, quot requiruntur pro privilegio duarum feriarum, ut supra, fruantur hujusmodi privilegio?*

3° *An sacerdotes dictorum Conventuum, sive residentiarum actu debeant esse occupati in sacris missionibus, aliisve piis operibus, ut gaudeant praefato privilegio; vel sufficiat si id peragant habitu?*

Quibus eadem Sac. Congregatio die 7 Maji 1748 rescribendum esse censuit:

Ad 1m et 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam.*

Et facta de praedictis omnibus et singulis per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 22 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

174.

1748 3 Augusti. Altare privilegiatum et indulgentiae in ecclesiis Monachorum.

In Brevibus, quae pro altaris privilegio alicui Ordini, sive Congregationi concesso, expediuntur, cum de stylo soleant apponi sequentia verba: *Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas Monachorum Congregationis etc., vel FF. Ordinis aut Clericorum Regularium etc., et in qualibet ex dictis ecclesia altare etc.* sicut etiam in Brevibus indulgentiarum pro eisdem Ordinibus, Congregationibus legantur hujusmodi verba: *Universis etc. qui aliquam ecclesiam talis Congregationis, vel Ordinis etc., in die, vel festo etc., singulis annis devote visitaverint etc., ibique etc., indulgentiam plenariam concedimus etc.*, verentes nonnulli ex nimia generalitate verborum, tam privilegia altaris, quam indulgentias plus aequo extendi praeter Summorum Pontificum illa concedentium intentionem, Christifideles decipi, tam pro indulgentiarum consequutione, quam in offerendis eleemosynis pro Missis in privilegiato altari dicendis; idcirco, ut clare dignosci possit, quasnam personas et ecclesias comprehendant praefatorum Brevium verba, propositum fuit in Sacra Congregatione Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum dubium:

An Brevia tam altaris privilegiati, quam indulgentiarum pro omnibus ecclesiis alicujus Ordinis, vel Congregationis, aut Instituti regularis generaliter obtenta respectivas ecclesias tantummodo monasteriorum et conventuum talis Ordinis, Congregationis, vel Instituti comprehendant, aut etiam alias quascumque tam parochiales, quam non parochiales ab hujusmodi Ordine etc., sive a Monachis, aut Fratribus vel Religiosis dependentes, vel respective administrari solitas?

Et Sac. eadem Congregatio die 30 Julii 1748 censuit rescribendum esse:

Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam.

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Pro-Secretarium die 3 Augusti ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. **Vicecomes** Pro-Secret.

175.

1748 3 Augusti. Via Crucis.

Cum diversis non obstantibus regulis a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 3 Aprilis 1731 ex Brevi s. m. Clementis XII die 16 Januarii ejusdem anni, et sub die 10 Maji 1742 ex Brevi SSmi D. N. diei 30 Augusti 1741 ad varia explananda dubia, circa modum erigendi Stationes, quas Vias Crucis, seu Calvarii vocant, emanatis, non semel controversiae, ad ipsammet Sacram Congregationem delatae fuerint super subsistentia, vel nullitate erectionis Stationum hujusmodi, ex defectu licentiae vel consensus respective obtinendi, ut in praeallegatis Brevibus clare praecipitur; eadem Sacra Congregatio ad quascumque in futurum eliminandas in hac re difficultates, die 30 Julii 1748 censuit praescribendum esse, quod in erigendis in posterum ejusmodi Stationibus, tam sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii, vel Antistitis, et parochi, necnon Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi ejusmodi

erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia, ut praefertur, in scriptis et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae.

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Pro-Secretarium SSmo D. N. die 3 Augusti ejusdem anni relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. **Vicecomes** Pro-Secret.

176.

1748 3 Augusti. **Sodalitium SS. Sacramenti.**

Justinopolitana. Sodalitium SS. Sacramenti in ecclesia cathedrali civitatis Justinopolitanae canonice erectum anno 1500 jam fuit Archiconfraternitati SS. Sacramenti S. Mariae supra Minervam Urbis aggregatum. Cum vero in aggregationis instrumento inserta fuerit quaedam Bulla s. m. Pauli III, quae Brevi fel. rec. Pauli V revocata dicitur; sodales ejusmodi Confraternitatis Justinopolitanae de hac re solliciti ad omnem removendam dubitationis causam duo a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarari supplicarunt. Primum, utrum antedicta aggregatio cum insertione et juxta formam Bullae Pauli III facta adhuc subsistat? Secundum vero, quibusnam indulgentiis gaudere sodales queant, et re vera gaudeant? Examinatis proinde his desuper examinandis et praesertim decreto ejusdem Sacrae Congregationis die 15 Februarii 1608 de mandato laudati Pauli V promulgato, formatisque idcirco dubiis:

1° *An aggregatio Sodalitii SS. Sacramenti erecti in ecclesia cathedrali Justinopolitana facta Archiconfraternitati SS. Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam juxta tenorem Constitutionum s. m. Pauli III adhuc subsistat?*

Et quatenus Negative,

2° *An supplicandum SSmo pro sanatione, sive convalidatione, in casu?*

Et quatenus Affirmative,

3° *Quibus indulgentiis gaudeat?*

Eadem Sac. Congregatio habita die 30 Julii 1748 respondendum esse censuit:

Ad 1m et 2m: *Supplicandum esse SSmo pro sanatione cujuscumque, quatenus sit, defectus.*

Ad 3m: *Gaudere indulgentiis iisdem, quibus gaudet Archiconfraternitas SS. Sacramenti erecta in ecclesia S. Mariae supra Minervam.*

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sac. Congregationis Pro-Secretarium die 3 Augusti ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. Vicecomes Pro-Secret.

177.

1749 21 Januarii. Indulgentia Portiunculae.

Goana. Requisitus Archiepiscopus Goanus a P. Amonio S. Philippi Ord. Min. Observ. S. Francisci Rectoris parochialis ecclesiae B. M. V. de Penha, Provinciae de Bardes, Archidioecesis Goanae, de facultate publice exponendi SS. Eucharistiae Sacramentum die secunda Augusti, ut Christifideles ad eamdem ecclesiam confluentes ob indulgentiam, quam vocant Portiunculae, magis magisque ad pietatem et devotionem excitarentur: Archiepiscopus vero animadvertens hujusmodi ecclesiam minime inter ecclesias Ordinis posse computari, quin facultatem petitam concesserit, privilegium Apostolicum ab eodem Rectore esse exhibendum decrevit, quod cum praestare nequierit, idem Archiepiscopus huic Sacrae Congregationi supplicavit pro declaratione sequentis dubii:

An ecclesiae parochiales Provinciae de Bardes a PP. Min. Observ. Ord. S. Francisci administratae gaudeant indulgentia Portiunculae in casu?

Sac. Congregatio die 21 Januarii 1749 respondit: *Negative.*

178.

1749 1 Februarii. Sodalitium S. Margaritae Cortonen.

Cortonen. Cum Sodalitium S. Margaritae jamdiu Cortonae institutum a SSmo D. N. praevia resolutione S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae die 6 Februarii 1748 in Archiconfraternitatem cum facultate cetera Sodalitia ejusmodi instituti aggregandi, et indulgentias, aliaque privilegia eidem Archiconfraternitati concessa communicandi, nuper erectum fuerit, officiales ejusdem Archiconfraternitatis supplicarunt Summarium indulgentiarum ac privilegiorum hujusmodi approbari, ut publicari typisque mandari tuto posset. Cum vero inter ipsa privilegia illud contineri contenderent per Apostolicas litteras diei 7 Martii 1741 obtentum ac in exhibito Summario paragrapho 12 descriptum, nempe: *La Santità di N. S. Benedetto XIV nella soprallegata Bolla ha di più concesso per via d' estensione, che detta Indulgenza Plenaria e Indulgenza di sette anni e sette quarantene dalla s. m. di Alessandro VII respettivamente concesse come sopra nel giorno della Solennità principale e nelle altre quattro feste possino conseguirsi dai Confratelli e Consorelle della medesima Archiconfraternita, che sono assenti, visitando invece della Chiesa, Cappella, od Oratorio di detta Archiconfraternita un altra Chiesa, Cappella, od Oratorio dello stesso Ordine di S. Francesco, quando vi sia; altrimenti qualsivoglia altra Chiesa, Cappella, od Oratorio a loro arbitrio;* [1]) dubitatum fuit, an ejusmodi extensionem favore absentium sodalium, quae ipsius Sodalitii erectioni in Archiconfraternitatem causam dedit, adhuc subsistere ac sustineri deceat, ideoque in Summario exprimi, vel deleri potius debeat. Hinc proposito his desuper dubio:

---

[1]) Sanctitas Sua Benedictus XIV in supradicta Bulla insuper extendit dictam indulgentiam plenariam et indulgentiam septem annorum et septem Quadragenarum a fel. rec. Alexandro VII respective concessas, ut supra, in die solemnitatis principalis et in quatuor aliis festis ad confratres et consorores ejusdem Archiconfraternitatis, qui absentes sunt, visitando loco ecclesiae, capellae vel oratorii dictae Archiconfraternitatis aliam ecclesiam, capellam aut oratorium ejusdem Ordinis S. Francisci, si ibi habeantur; secus quamcumque aliam ecclesiam, capellam aut oratorium eorum arbitrio.

An Summarium indulgentiarum Archiconfraternitatis S. Margaritae Cortonensis sit approbandum in casu?

Eadem Sacra Congregatio die 27 Januarii 1749 respondendum esse censuit:

Approbandum esse, dempta paragrapho duodecima, et supplicandum SSmo, ut declarare dignetur, quod eadem extensione inpraesentiarum gaudere valeant tantummodo sodales adscripti Sodalitio, antequam illud in Archiconfraternitatem erigeretur, et quousque iidem in iis locis degant, in quibus similis Confraternitas erecta non reperiatur.

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 1 Februarii ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

179.

1749 6 Septembris. De clausula: „Si vero aliae similes etc."

Brevia sive indulgentiarum sive altàrium privilegiatorum cum ut plurimum expediri soleant cum clausula: *Si vero aliae similes indulgentiae (idem est de privilegiis) eidem ecclesiae aut altari in ea sito, sive perpetuo sive ad tempus nondum elapsum concessae reperiuntur, praesentes nullae sint etc.* in aliquibus regionibus mos invaluit, et praesertim ultra montes, eadem Brevia Romam remittendi ante temporis in iis praefixi finem pro confirmatione obtinenda, quae revera impetratur ante ejusdem temporis lapsum. Ex hujusmodi anticipata expeditione dubitarunt nonnulli de novorum Brevium subsistentia.

Quare proposito his desuper dubio:

An vi clausulae: Si vero etc. *in Brevibus appositae nullae sint renovationes indulgentiarum et privilegiorum, quae expediuntur ante exspirationem antiquarum in casu?*

Sac. Congregatio die 6 Septembris 1749 rescribendum esse censuit:

Negative.

Henricus Card. Pro-Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

180.

1749 6 Septembris. De clausula: „Volumus, ut si .... aliquid minimum detur.“

Cum Episcopus Vicarius Apostolicus in Bosnia per suas litteras diei 29 Julii 1748 ad Sacram Propagandae Fidei Congregationem datas, et ab eadem ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam remissas, in iis partibus, ubi tabellae indulgentiarum libere exponi nequeunt, indulgentias viva voce populo annuntiari, eodemque tempore solitam quaestuationem commendari retulerit; et, metuens hac de causa irritas fieri indulgentias ob clausulam: *Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint,* in Brevibus apponi solitam, pro opportuna declaratione supplicaverit, ideo propositis his desuper dubiis:

1° *An dicta clausula* Volumus etc. *obstet recommendationi eleemosynae factae in annuntiatione indulgentiarum?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An liceat fieri quaestuationem et liberam eleemosynae oblationem juxta antiquam patriae consuetudinem nullo habito respectu ad indulgentias diebus festivis tempore Missarum et aliarum functionum?*

Eadem Sacra Congregatio Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum habita die 6 Septembris 1749 respondendum esse censuit:

Ad utrumque: *Solitas quaestuationes esse permittendas, et populum simul instruendum, easdem eleemosynas non esse intuitu indulgentiarum impertiendas.*

Henricus Card. Pro-Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

181.

1749 6 Septembris. De jubilaeo.

Cum durante anno universalis jubilaei omnes fere indulgentiae, sive plenariae, sive partiales, suspendi soleant, vel suspensae remaneant, putant nonnulli, tempus quoque in Brevibus apponi consuetum suspendi.

Ideoque proposito his desuper dubio:

An in septennio, vel alio breviori vel longiori tempore in Brevibus indulgentiarum praescribi solito, computetur annus universalis jubilaei?

Sac. Congregatio die 6 Septembris 1749 respondendum esse censuit:

Affirmative.

Henricus Card. Pro-Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

182.

1749 16 Decembris. Altare privilegiatum.

Ut defunctorum animae suffragiis haud fraudentur proxime futuro jubilaei anno, quo indulgentiae ubique terrarum solent suspendi, SSmus D. N. Bulla, cujus est initium *Cum nos etc.* nuper edita super indulgentiarum suspensione, reservavit nedum altarium privilegia, verum etiam ceteras indulgentias pro vivis concessas, dummodo pro defunctis applicentur, ut sequentia verba denotant: „Item salvis et firmis remanentibus indulgentiis altarium privilegiatorum pro „fidelibus defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque indulgentiis et peccatorum remissionibus alias pro vivis concessis „ad effectum dumtaxat, ut Christifideles illas animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab „hac luce migraverint per modum suffragii directe applicare „valeant; quas omnes et singulas, licet pro eo quod respicit „vivorum favorem, hoc jubilaei anno durante, generaliter, ut „infra, suspensas, ad praedictum tamen effectum ipsius anni „decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque „sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus „opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse „concedimus et indulgemus.“ Cum autem ex hisce Bullae verbis nonnulli putent, reservatas solummodo fuisse indulgentias et altarium privilegia jam concessa, non autem ea, quae anno jubilaei concedentur, et ista gaudere non posse

antedicta reservatione, eo quod reservari nequeant, quae adhuc concessa non sunt, praesertim quando de futuris concessionibus nulla in Pontificiis Constitutionibus facta est mentio, ac proinde quamplures ecclesiae, in quibus concessionum Brevia exspirabunt proxime futuro jubilaei anno, suffragiis pro defunctis nequibunt gaudere; ad tollendas subortas dubietates proponuntur sequentia dubia:

1° *An Bulla* Cum nos etc. *intelligenda sit pro indulgentiis tam concessis, quam post ejusdem Bullae Datam, ac durante anno jubilaei concedendis?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An attenta clausula:* Praesentibus absoluto anno jubilaei ad septennium etc. valituris, *quae in Brevibus anni jubilaei apponitur, publicanda sit aliqua declaratio?*

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1749 respondit:

Satis provisum in Bulla SSmi D. N.

183.

1749 16 Decembris. Reliquiae.

Cum Sancta Tridentina Synodus *Sess. 25 cap. de Reliquiis* decreverit: *Non esse recipiendas novas Reliquias, nisi recognoscente et approbante Episcopo,* nonnulla dubia exorta sunt super facultate Episcopis tributa recognoscendi et approbandi Sanctorum Reliquias, quae, ut quam citius dirimantur, Sacrae Congregationi proponuntur, nempe:

1° *An unusquisque Episcopus extra Romam sua in dioecesi quascumque sacras Reliquias valeat authenticare?*

2° *An sacrae Sanctorum Reliquiae a quodam Episcopo in Italia authenticatae (si ex parte subscriptionis, sigilli et thecae nulla erroris aut falsitatis nota deprehendatur), ab altero Episcopo ultra montes possint reprobari, quin et confiscari, vel impediri, ne publicae venerationi exponantur?*

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1749 respondit:

Ad utrumque: *Affirmative ad formam Concilii.*

184.

1749 16 Decembris. An fruantur indulgentiis Ord. Eremit. S. Augustini.

Monialium S. Ursulae. Proposito dubio a Monialibus S. Ursulae excitato, utrum fruerentur indulgentiis Ordini Eremitarum S. Augustini concessis, Sacra ista Congregatio die 12 Januarii 1677 rescripsit: *indulgentiis praedictis Moniales perfrui posse.* Nuper autem in aliquibus hujusmodi monasteriis alia duo dubia sunt exorta, quae solvenda proponuntur:

1m: *An Moniales S. Ursulae fruantur indulgentiis concessis ac concedendis Ordini Eremitarum S. Augustini?*

Et quatenus Affirmative,

2m: *An praefatas indulgentias consequi possint omnes visitantes illarum ecclesias in suis respectivis festivitatibus?*

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1749 respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Affirmative, exceptis sex festivitatibus, in quibus impertitur Benedictio Papalis pro Monialibus tantum valitura.*

185.

1750 17 Martii. Altare privileg.

Urbis et Orbis. Cum S. Sedes peculiaribus privilegiis ac gratiis de se benemerentes prosequi soleat, nuper simplici Apostolico Rescripto altaris privilegium omnibus quorumdam Regularium Ordinum ecclesiis concessit, nulla prorsus apposita clausula restrictiva, vel praeservativa, aut irritante aliud simile privilegium pro omnibus iisdem ecclesiis jam obtentum; at nonnulli in dubium revocantes, utrum re vera adhuc subsistente priori privilegio, posterius vigeat, vel utrumque potius sustineatur necne? factus est locus dubiis:

1° *An hujusmodi privilegium etiam cum expressione primi, sed sine ejusdem revocatione obtentum subsistat?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An intelligatur revocatum privilegium antea concessum, ita ut ad formam Brevis, si expediretur, cum consuetis clausulis irritantibus, sit reducendum novissime obtentum?*

Quibus in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque eliquiis praeposita relatis et mature perpensis, eadem ac. Congregatio die 17 Martii 1750 rescribendum esse ensuit:

Ad utrumque: *Affirmative.*

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

186.

1750 8 Augusti. **Altare privilegiatum.**

Ordinis Praemonstratensis. In Ordine Praemonratensi nonnullae erant ecclesiae, in quibus quandoque mplures convivebant ejusdem Ordinis Canonici, modo vero m temporum injuria, tum haereticorum odio adeo sunt pauperatae, ut in eis vix duo tresve Canonici degere eant; cumque multa Missarum onera sive ex benefactom dispositione, sive ex Ordinis praescripto sint implenda, nonnulli coeperint in dubium revocare, num praefatae clesiae gaudeant privilegio altaris Ordinis ecclesiis consso, ad obortam dubitationem removendam huic Sacrae Conregationi sequentia dubia solvenda proponuntur:

1m: *An ecclesiae, in quibus duo vel tres Canonici Praemonstraenses degunt, gaudeant privilegio altaris, sicuti reliquae ejusdem Ordinis ecclesiae?*

Et quatenus Negative,

2m: *An sit hujusmodi privilegium concedendum in casu?*

Sac. Congregatio die 8 Augusti 1750 respondit:

Ad 1m: *Gaudere.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

187.

1750 23 Novembris. **De clausula „non tamen Regularium".**

In Brevibus indulgentiarum pro ecclesiis saecularibus cum xta praxim soleat apponi clausula *non tamen Regularium,* n raro contingit, ut hujusmodi Brevia expedita pro eccles et parochiis, quae dumtaxat dependent et administrantur e a rectore, sive a parocho regulari, nonnulli Episcopi

Germaniae attenta praefata clausula renuant exsequi; quare ad removenda nata dubia, et quae in posterum possent oriri, supplicatur pro opportuna declaratione.

Quaeritur igitur:

An vi clausulae non tamen Regularium, quae solet apponi in Brevibus indulgentiarum, excludantur dumtaxat ecclesiae Regularium vere conventuales in casu?

Sac. Congregatio die 23 Novembris 1750 respondit:

Excluduntur vere conventuales.

188.

1751 30 Martii. **Indulgentiae ecclesiae, cujus denominatio immutata est.**

Bisinianen. Diruta parochiali ecclesia S. Crucis Bisiniani, decreto Sacrae Concilii Congregationis eadem paroecia cum ipsamet denominatione translata est ad ecclesiam S. Josephi ejusdem civitatis, ea sub lege ac conditione, ut altare in praefati Sancti honorem, necnon cultus ac veneratio erga illum in ea remanerent. Qua de causa nata est dubitatio, utrum saepedicta ecclesia amplius gaudeat indulgentiis a s. m. Innocentio XI concessis omnibus ecclesiis Hispaniae in honorem S. Joseph erectis vel erigendis; ideo ad movendam ortam dubitationem quaeritur:

1° *An dicta ecclesia S. Joseph adhuc gaudeat indulgentiis a s. m. Innocentio XI concessis, etsi nunc denominetur S. Crucis?*

Et quatenus Negative,

2° *An sit concedenda in perpetuum in casu?*

Sac. Congregatio die 30 Martii 1751 respondit:

Ad 1m: *Gaudere, facto verbo cum SSmo.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

189.

1751 20 Julii. **Missa de semiduplici etc. in altari privilegiato.**

Urbis et Orbis. Quae et quanta fuerit semper cura, et sollicitudo Ecclesiae, ut incruentum Missae Sacrificium eo quo decet honore et decentia celebraretur, argui facile potest ex iteratis sanctionibus, tum Summorum Pontificum, tum Sacrorum Conciliorum, et maxime Tridentini, sess. 22 de eodem Sacrificio Missae; et quamvis praeterea a Sacris Con-

gregationibus, et praesertim Sacrorum Rituum plura emanaverint decreta pro debita ac convenienti Missae celebratione, nihilo tamen minus cum ex rerum temporumque varietate nova in dies nascantur dubia, novis declarationibus ipsa dubia enucleare oportet.

Quare Praepositus Haybacensis, dioecesis Frisingensis, sequens dubium solvendum proposuit:

An Missa de festo semiduplici, votiva, vel de feria celebrata in altari privilegiato, in quo exponitur SS. Eucharistiae Sacramentum, sive in ostensorio, sive in ciborio, suffragetur pro defunctis, ac si Missa de Requie dicatur in casu?

Sac. Congregatio die 20 Julii 1751 respondit:

Affirmative.[1])

190.

1752 15 Januarii. Ecclesia in qua exsistit Confraternitas Ordini aggregata non gaudet indulgentiis Ordinis.

Lauden. Exstat in parochiali ecclesia SS. Naboris et Felicis civitatis Laudensis Confraternitas sub invocatione SS. Nominum Jesu et Mariae, Ordini SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum juxta Constitutionem fel. rec. Clementis VIII incip. *Quaecumque,* anno 1664 aggregata. Parochus dictae ecclesiae, ea ductus opinione, quod ista, in qua Confraternitas praedicta reperitur erecta, sit et dici possit ecclesia Ordinis laudati, ac proinde eaedem omnino in illa reperiantur indulgentiae, quae in ista, super januam dictae parochialis ecclesiae, invitatoriam posuit retinetque tabellam hisce verbis inscriptam: *Visitando questa chiesa s' acquistano l' indulgenze concesse ad ogni chiesa dell' Ordine della SS. Trinità.*[2]) Hinc Episcopus Lauden., ne fideles in re tanti momenti maneant decepti, veritatis amore permotus, rem totam huic Sacrae Congregationi discutiendam humillime proposuit.

Sacra igitur Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito prius his desuper Procuratore Generali

---

[1]) Vide etiam decretum Urbis et Orbis diei 11 Aprilis 1864.

[2]) Visitando istam ecclesiam fideles lucrantur indulgentias concessas cuicumque ecclesiae Ordinis SS. Trinitatis.

Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum, ac diligenter examinatis rationibus hinc inde deductis, formatisque tandem dubiis: 1° *Quot et quales sint indulgentiae, quibus gaudent Confraternitates aggregatae Ordini SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum.* 2° *An ecclesiae, in quibus erectae sunt Confraternitates praedictae, dici possint ecclesiae Ordinis ad hoc, ut fidelis quilibet, qui non fuerit eis adscriptus, consequi valeat aliquas indulgentias eas visitando? Et quatenus Affirmative,* 3° *Quot et quales sint in hoc casu indulgentiae consequendae vi Bullae SSmi D. N.?* — die 12 Januarii 1752 rescribendum esse censuit: Ad 1m: *Dummodo constet de canonica aggregatione, gaudere indulgentiis contentis in Summario die 14 Augusti 1741 a Sacra Congregatione recognito et approbato.* Ad 2m: *Negative et amplius.* Ad 3m: *Provisum in primo, et ad mentem; et mens est, ut Secretarius Sacrae Congregationis litteras det Episcopo, qui tabellam ab ecclesia removeri omnino faciat, et assertam inscriptionem, seu schedulas colligere curet, ac publicari deinceps inhibeat, et Procuratorem Generalem Ordinis juxta praescriptum a Sacra Congregatione moneat.*

De quibus omnibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 15 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

191.

1752 17 Aprilis. Altare privilegiatum.

S. m. Benedictus XIII ecclesiasticae disciplinae studiosissimus, ut ecclesiarum praecipuarum honori prospiceret, Patriarchales, Metropolitanas et Cathedrales privilegio altaris quotidiani decoravit; verum animadvertentes Abbates, et praesertim Commendatarii, qui ut plurimum sunt in conspicua dignitate constituti, eorum majores ecclesias hujusmodi haud gaudere privilegio, ut illarum decori consulant, pro eodem privilegio supplicant Sacrae huic Congregationi.

Quaeritur itaque:

An privilegium quotidianum altaris concedendum sit ecclesiis majoribus Abbatiarum?

Sac. Congregatio die 17 Aprilis 1752 respondit:

Negative. [1])

192.

1752 22 Aprilis. Confraternitates SS. Sacramenti.

Urbis et Orbis. Ut debito jugique cultu ubique terrarum SS. Eucharistiae Sacramentum Christifideles venerarentur, summopere semper exoptavit Apostolica Sedes; quapropter voluit, ut Confraternitates SS. Sacramenti ubique terrarum in quacumque ecclesia parochiali erigi possent; quinimo, ut fideles ipsi ad hujusmodi devotionem propagandam allicerentur, spiritualibus gratiis easdem Confraternitates cumulavit. Verum, quamvis decreto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sub die 23 Aprilis 1676 edito et a ven. mem. Innocentio XI sub die 1 Octobris 1678 per Apostolicum Breve confirmato, sancitum jam fuerit, ut quocumque in loco Confraternitates SS. Eucharistiae Sacramenti canonice fuissent erectae, hujusmodi Confraternitates absque ulla aggregatione, aliove actu immediate gaudere indulgentiis Archiconfraternitati ejusdem SS. Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam Urbis exsistenti concessis et concedendis. Attamen cum ab ipsamet aliisque Archiconfraternitatibus SS. pariter Eucharistiae Sacramenti aggregandi facultate eisdem ab Apostolica Sede concessa jam fruentibus, plures etiam pro una eademque civitate, oppido vel loco aggregationes passim expediantur, ex quibus jurgia pariter et dissensiones non tantum timeri possunt, sed ortas jam esse nonnulli testantur, ideo supplicatum fuit praedictae Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro declaratione: *An aggregationes, quae fiunt ab Archiconfraternitatibus SS. Eucharistiae Sacramenti post decretum editum ab ipsa Sacra Congregatione anno 1676 et postea a s. m. Innocentio XI anno 1678 confirmatum subsistant in casu?* Et Sac. Congregatio die 17 Aprilis

[1]) Cfr. tamen decretum Urbis et Orbis diei 19 Maji 1759.

1752 declarandum esse censuit: *Aggregationes hujusmodi quantum ad communicationem indulgentiarum ab Archiconfraternitatibus praetensam esse inutiles.*

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 22 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

193.

1752 22 Aprilis. Capellae et oratoria publica nondum benedicta.

Urbis et Orbis. Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita diei 20 Martii 1747 fuerint proposita sequentia dubia: 1° *An ecclesiae, capellae, et oratoria publica nondum benedicta nec consecrata capacia sint indulgentiis?* 2° *An eamdem capacitatem habeant capellae et oratoria privata tam cum privilegio more Episcoporum, quam sine hujusmodi privilegio?* responsum fuit ad utrumque: *Affirmative, sed de stylo non concedi.* Cum vero super hujusmodi decreto nonnullae quaestiones ortae sint, praesertim in Germania, alii enim putant eamdem resolutionem afficere etiam altare privilegiatum, quod quidem est vera indulgentia pro defunctis, alii vero existimant excludere, eo quia licet altare privilegiatum sit indulgentia, attamen in generali indulgentiarum concessione ex pluribus ejusdem Sacrae Congregationis decretis numquam comprehenditur; ideoque privilegium in litteris Apostolicis nuncupatur; alii demum sustinent, ecclesias, capellas et oratoria publica non sufficere pro altari privilegiato in iis obtinendo, quod sint benedicta, sed necessario requiri, quod sint consecrata; idcirco ad eliminandas super hujusmodi re quascumque quaestiones, propositum fuit dubium:

An pro altaris privilegio sufficiat, ecclesias, capellas et oratoria publica esse benedicta, vel necessario debeant esse consecrata?

Et eadem Sac. Congregatio sub die 17 Aprilis 1752 censuit rescribendum esse: *Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam; nempe sufficere esse benedicta.*

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. relatione die 22 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

194.

1752 28 Augusti. Via Crucis.

Pia ac sancta Viae Crucis devotio, qua Christi Domini Passio recolitur, utpote remedium speciale ac utilissimum ad curandum conscientiae vulnera, quibus humana infirmitas quotidie sauciatur, feliciter in toto fere christiano orbe cum magno animarum fructu diffusa est. Contingit tamen aliquibus in regionibus, et praesertim in Lusitania, Vias Crucis sive Calvariae, ut vocant, Stationes adeo esse multiplicatas, ut eaedem erectae inveniantur nedum in ecclesiis, verum etiam in oratoriis, capellis, aliisque in locis tam angustis, in quibus totum Calvarii iter duobus aut tribus passibus conficitur, ex qua locorum angustia et nimia Viarum Crucis multiplicitate diversae quin immo contrariae sententiae circa illarum subsistentiam exortae sunt. Quoniam vero suspicari potest, praefatam erigendi Viam Crucis facilitatem ex eo potissimum posse promanare, quod FF. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, sive Reformatorum, sive Recollectorum nuncupat. illas erigant insciis Ordinariis et parochis contra decretum Sacrae hujus Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 30 Julii 1748 emanatum, ac die 3 Augusti ejusdem anni a SSmo D. N. Benedicto PP. XIV approbatum, quo praescribitur, ut in saepe dictis erectionibus faciendis extra ecclesias Conventuum FF. dicti Ordinis, necessario requiratur in scriptis et non aliter licentia Ordinariorum, necnon parochorum, et aliorum Superiorum consensus, in quorum jurisdictione Viam Crucis erigi contigerit, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae; idcirco ad impediendum hujusmodi erectionum abusus, haec duo formata et proposita fuerunt super praemissis dubia:

1m: *An pro consequutione indulgentiarum in erectione Viae Crucis in oratoriis et capellis publicis, requiratur aliqualis distantia inter unam et aliam stationem?*

2m: *An in hujusmodi erectionibus, quae fiunt extra ambitum Conventuum FF. Ordinis S. Francisci, tam de Observantia, quam Reformatorum et Recollectorum, requiratur licentia Ordinariorum, necnon parochorum, aliorumque respective Superiorum consensus in scriptis?*

Quibus eadem Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 28 Augusti 1752 respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Affirmative, et transmittantur decreta.*

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

195.

1752 28 Augusti. — De canonica erectione Confraternitatis.

Angelopolitana. Cum in parochiali ecclesia, loci de Huamantla, Angelopolitanae dioecesis, magnam habeat venerationem quaedam miraculis clara imago Jesu Christi Redemptoris Nostri Domini *del Desposo* nuncupat., et in ejus capella, ejusque in honorem et cultum centum abhinc circiter annis auctoritate Ordinarii instituta sit pia utriusque sexus Christifidelium Confraternitas; nunc vero presbyteri Joseph Nicolaus et Ignatius Xaverius Cavallero, germani fratres, dictae capellae reparatores et egregii benefactores ceterique ejusdem Confraternitatis confratres et consorores dubitantes de ipsius subsistentia et canonica erectione, ad effectum gaudendi indulgentiis, tam obtentis, quam obtinendis, eo quia ab Apostolica Sede non fuerit confirmata, supplicarunt humillime pro benigna declaratione:

1° *An dici possit canonica dictae Confraternitatis erectio solius Ordinarii auctoritate facta?*

2° *An reportari debeat Apostolica confirmatio?*

Quibus Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 28 Augusti 1752 rescribendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Non indigere.*

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

196.

1753 23 Januarii. **Altare privileg. circa numerum Missarum.**

Albiganen. Agitata non semel inter Doctores controversia super clausula *dummodo tot Missae quotidie in tali ecclesia celebrentur,* quae in Brevibus altarium privilegiorum apponi solet, tandem haec tria in Sacra Congregatione Concilii discussa fuerunt dubia: 1° *An absentibus Religiosis ex causa praedicationis tempore Quadragesimae et Adventus, vel quando occasione festivitatum, vel funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi mittuntur, indulgentiae concessae cum certo Missarum numero, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro tempore quo dictus numerus non fuerit adimpletus, sint suspensae, vel potius maneant in suo robore?* 2° *An idem sit statuendum deficiente praefixo numero Missarum ob infirmitatem sacerdotum tam Regularium, quam Saecularium?* 3° *An pariter idem sit statuendum deficiente praedicto numero Missarum ob absentiam ab ecclesiis saecularibus Canonicorum, et sacerdotum per aliquot dies et menses?* Quibus eadem Sacra Congregatio Concilii die 30 Julii 1706 rescripsit: Ad 1m: *Quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimae remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat.* Ad 2m: *Non remanere suspensas.* Ad 3m: *Provisum in primo.*

Has resolutiones servari pluries decrevit Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita. Verum impetrato nuper ab ecclesia parochiali loci Lucinaschi, dioecesis Albiganensis, altaris privilegio pro duabus cujuslibet hebdomadae feriis sub conditione quotidianae octo Missarum celebrationis, haec cum diebus festis minime adimpleatur, eo quod aliquis ex sacerdotibus dictae ecclesiae in alia celebrare

teneatur, orta est inter nonnullos dubitatio, an ob deficientiam alicujus ex praescriptis octo Missis privilegium obtentum suffragetur? Quapropter proposito in Sacra Congregatione Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum hujusmodi dubio, scilicet:

An attenta clausula praefata Dummodo etc. *in dicta ecclesia privilegium altaris obtentum non obstante praescripti Missarum numeri in diebus festis deficientia, subsistat in casu?*

Eadem Sac. Congregatio die 22 Januarii 1753 decernendum esse censuit:

Privilegium remanere suspensum diebus, quibus praescriptus Missarum numerus non verificatur.

De quibus facta per me infrascriptum praefatae Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

197.

1753 22 Januarii. De indulgentia perpetua.

Cum olim nonnulla indulgentiarum Brevia a Cancellaria Apostolica expedirentur sub sequenti expressione: *Pro tali die cujuslibet anni futuri,* et attenta praedictae Cancellariae regula 57 seu verius 56 a s. m. Innocentio VIII edita,[1]) a nonnullis in dubium fuerit revocatum, an hujusmodi concessiones reducendae sint ad viginti annos, vel in perpetuum durent; immo an sub eadem restrictione comprehendantur etiam expeditae sub hac forma: *in perpetuum;* ideo ad veritatem in hac re dilucidandam, et ad quamcumque removendam controversiam, examinanda in Sacra Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum Congregatione proposita fuerunt haec dubia:

1º *An indulgentia concessa* pro tali die cujuslibet anni futuri *restringenda sit ad viginti annos?*

[1]) Regula illa his verbis effertur: „Item voluit, quod in Litteris indulgentiarum solum dentur festa per Cancellariam dari solita, et quod durent per 20 annos; nisi petantur pro unica die tunc durent perpetuo.“

2° *An sub eadem restrictione comprehendantur quoque indulgentiae, quae dantur sub hac forma:* in perpetuum?

Sac. Congregatio die 22 Januarii 1753 respondit:

Ad utrumque: *Negative.*

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. **Erba** Prot. Apost. Secret.

198.

1753 28 Januarii. Confraternitatum SS. Sacramenti.

Confraternitatum SS. Eucharistiae Sacramenti.

Ad recolendam institutionis SS. Eucharistiae Sacramenti memoriam, necnon ad illius veritatem confirmandam, reparandasque injurias Eidem illatas, s. m. Urbanus IV festum Corporis Christi celebrandum decrevit, voluitque praefatis de causis, ut solemnibus indictis supplicationibus potiori, qua posset, pompa, sacra Hostia circumferretur. Quinimmo Apostolica Sedes, ut Christifideles ad majorem erga tantum Sacramentum devotionem excitarentur, atque ad illud comitandum magis magisque allicerentur, spirituales favores elargita est, et signanter Archiconfraternitati ejusdem SS. Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam Urbis erectae inter ceteras indulgentias plenariam pro sodalibus, supplicationem, quae ab eadem ecclesia feria sexta post solemnitatem Corporis Christi immediate quotannis habetur, comitantibus concessit. Verum cum extra Urbem plura hujusmodi Sodalitia SS. Sacramenti reperiantur, quae, si canonice erecta jam sint, vel deinceps erigantur, vigore decreti a Sacra Congregatione Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum sub die 23 Aprilis 1636 editi, ac per Apostolicum etiam Breve a ven. mem. Innocentio XI die prima Octobris 1678 confirmati, omnibus et singulis indulgentiis praedictae Archiconfraternitati quoquo modo jam concessis et in posterum concedendis, sine ulla speciali aggregatione pariformiter gaudeant, et haec ipsa Sodalitia suas solemnes supplicationes sive in ipso festo Corporis Christi, sive Dominica immediate sequenti, sive alia commodiori octavae die respective habeant, ab nonnullis in dubium revocatur, utrum ipsam indulgentiam plenariam pro supplicatione, quae ab

antedicta Archiconfraternitate feria sexta fieri solet, concessam, sodales ejusmodi Confraternitatum extra Urbem existentium consequi valeant in sola praefata feria sexta, an etiam quacumque die, sive festi, vel octavae, sive infra octavam SS. Corporis Christi supplicationem faciant; ideo ad rem omnem dilucidandam in eadem Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita discussum fuit dubium:

An pro consequenda indulgentia plenaria concessa pro supplicatione, quae habetur feria sexta post festum Corporis Christi in ecclesia S. Mariae supra Minervam Urbis, necessario ab aliis ecclesiis peragi debeat eadem die; vel sufficiat illam habere in alia quacumque ejusdem octavae die?

Et eadem Sac. Congregatio die 22 Januarii 1753 rescribendum esse censuit:

Affirmative ad primam partem, et *Negative ad secundam; sed supplicandum esse SSmo pro extensione praedictae indulgentiae plenariae ad quamlibet sive festi, sive infra octavam, sive octavae diem, in qua quaevis Confraternitas suam peragit supplicationem seu processionem.*

De quibus facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium die 23 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum ejusdem Sacrae Congregationis approbando, praefatae extensioni benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

199.

1754 4 Februarii. Benedictio Papalis.

Urbis et Orbis. Nonnulli parochi, in quorum ecclesiis erectae sunt Confraternitates B. M. V. de Consolatione, Cincturae nuncupatae, necnon B. M. V. de Monte Carmelo, a Sede Apostolica praeter plenariam indulgentiam in praecipua festivitate earumdem Confraternitatum, facultatem impertiendi Pontificiam benedictionem, juxta modum a Sanctitate Sua praescriptum, obtinuerunt. Dum autem eadem facultate parochi pacifice utebantur, aliqui Religiosi Ordinis S. Augustini evulgare coeperunt, antedictam facultatem inutilem esse, nec ullo modo subsistere, eo quod hujusmodi

facultas privative competeret Ordini S. Augustini ex speciali concessione Sedis Apostolicae; quinimo praefatam Benedictionem a PP. ejusdem Ordinis dari posse, nedum in ecclesiis eorum Conventuum, verum etiam Monialium Ordinis, necnon in aliis quibuscumque, in quibus Confraternitas Cincturae sit erecta. Verum de hujusmodi evulgato rumore nimis offensi parochi supradicti tanquam sibi Sanctaeque Sedi nimis injurioso, rem ad Sacram istam Congregationem detulerunt, ut scandala oborta ex praefata seditiosa oblocutione e medio tolli queant. Quod ut facile praestari possit, subscripta dubia decidenda proponuntur:

1m: *An facultate, quae ex indulto Sedis Apostolicae nonnullis Ordinibus Regularibus competit, dandi Pontificiam Benedictionem statutis anni diebus, Regulares uti dumtaxat possint in ecclesiis suorum Conventuum; vel potius sit eis potestas illam impertiendi in ecclesiis Monialium, tam Ordini, quam Ordinario locorum subjectis?*

2m: *An eadem facultate uti etiam possint in aliis quibuscumque ecclesiis, in quibus Confraternitates dictorum Ordinum sunt erectae?*

Sac. Congregatio die 4 Februarii 1754 respondit:

Ad 1m: *Affirmative quod ad primam partem, et Negative quod ad secundam.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

200.

1754 4 Februarii. **De Confraternitate Suffragii.**

Comen. Ut Confraternitas Suffragii oppidi Telii Comen. dioecesis spiritualibus gratiis ac peculiaribus privilegiis posset gaudere, aggregationem ab Archiconfraternitate Suffragii Urbis obtinuit. Verum cum in constitutionibus Archiconfraternitatis cautum sit, ut aggregati gestare debeant vestes ac tesseram, quibus sodales Archiconfraternitatis utuntur, nec fieri possit, ut confratres Telii id praestent, istorum nomine supplicatur pro dispensatione praefatorum indumentorum, ita ut privilegiis ac indulgentiis ex aggregatione promanantibus

confratres gaudere queant, quamvis vestes et tesseram requisitas non deferant.

Quaeritur igitur:

1° *An Confraternitas Suffragii oppidi Telii dioecesis Comensis dispensari queat a gestatione vestis et tesserae Archiconfraternitatis Suffragii Urbis, ita ut absque illis gaudere possit indulgentiis ceterisque privilegiis per aggregationem sibi communicatis in casu?*

Et quatenus Negative,

2° *An remittendae sint preces ad Sacram Congregationem Concilii?*

Sac. Congregatio die 4 Februarii 1754 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

201.

1754 3 Julii. De initio indulgentiae concessae sine clausula „a primis Vesperis etc."

Cum in nonnullis Brevibus ac indulgentiarum decretis, praesertim triduorum pro Sanctis et Officiorum generalium pro defunctis praetermittantur verba *a primis Vesperis usque ad occasum solis etc.*, *et devote visitaverint etc.* quae passim in Apostolicis Brevibus inseri solent, orta est dubitatio, *a quonam tempore indulgentiae sine praefata clausula expeditae initium sumant?* Quapropter hujusmodi dubio in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita discusso die 2 Julii 1754, eadem Sac. Congregatio declaravit: *Tempus antedictarum concessionum ab initio diei naturalis, videlicet ab ortu solis incipere.*

Et facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 3 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit. [1])

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

---

[1]) Vide tamen decretum Geneven. diei 12 Januarii 1878.

202.

1754 3 Julii. De indulgentia pro peregrinantibus.

Ut ecclesiam B. M. Virginis de Cella nuncupat. in Stiria peculiari praerogativa decoraret, s. m. Benedictus XIII plenariam indulgentiam quotidianam perpetuam semel in anno lucrandam peregrinantibus ad eam concessit. Nuper autem a nonnullis dubium excitatum est, utrum incolae oppidi, in quo sita est dicta ecclesia, consequi revera valeant praefatam indulgentiam. Quare formatis in Sacra Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita dubiis:

1° *An indulgentiam, quae concedi solet pro peregrinantibus ad aliquam insignem ecclesiam, consequi valeant incolae oppidi ejusdem ecclesiae?*

Et quatenus Negative,

2° *An alia hujusmodi indulgentia pro incolis sit concedenda?*

Sac. eadem Congregatio die 2 Julii 1754 censuit rescribendum esse:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Concedendas esse indulgentias juxta qualitatem ecclesiae.*

De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 3 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

203.

1754 3 Julii. Indulgentiae apocryphae.

Ut indulgentiarum thesaurus, quantum fieri potest, ab hominum commentis et falsitate custodiatur immunis, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita summopere semper adlaboravit. Quapropter eadem Sacra Congregatio, cui delatum est quoddam folium primo Hispanica lingua sub hoc titulo impressum: *Alabado sea el Santisimo Sacramento de el Altar y la pura y limpia Concepcion de la Virgen Maria Santisima Nuestra Señora. Sumario de las gracias e Indulgencias, Jubileos, y Estaciones concedidas á los Señores*

Reyes Catolicos en su Real Capilla de Nuestra Señora de la Concepcion en el Convento de Nuestro Padre S. Francisco, Casa Grande de la Ciudad de Granada y á las Medallas, que en dicha Capilla se reparten, concedidas por el Señor Leon X confirmadas per muchos Sumos Pontífices, y hoy nuevamente confirmada por Nuestro Santisimo Padre Benedicto XIII dia 30 de Abril de esle año de 1727[1]) et deinde in italicum sermonem hisce verbis *Lodato sia il Santissimo Sagramento dell' Altare e la pura ed illibata Concezione della Santissima Vergine Maria Nostra Signora. Sommario delle Grazie, Indulgenze, Giubilei e Stazioni concedute ai Rè Cattolici nella loro Reale Cappella di Nostra Signora della Concezione, e nel Convento del S. Padre Francesco, Casa Grande, della Città di Granata, e alle Medaglie che nella detta Cappella si dispensano concedute da Leone X e confermate da molti Sommi Pontefici, ed oggi nuovamente dal N. S. Padre Benedetto XIII il giorno 30 Aprile di quell' anno 1727* translatum, praevio diligenti ac maturo examine die 2 Julii 1754 praefatum folium quocumque idiomate et quocumque loco impressum veluti continens falsas et apocryphas indulgentias prohibuit et damnavit, sicuti illud praesenti decreto damnat et prohibet. Praeterea eadem prohibitionis nota inclusit aliud folium, quod inscribitur: *Sommario di tutte le indulgenze concessa dalla Fel. Mem. di N. S. Paolo III alla Ven. Compagnia del Santissimo Sagramento del Corpo di Cristo, come per li Brevi e Bolle Apostoliche appare, che riservate sono in Roma nella detta Compagnia, che è nella Chiesa della Minerva. In Jesi per Gio. Battista de Giuli Stampatore publico Vescovile 1741*[2]) utpote

---

[1]) Laudetur sanctissimum altaris Sacramentum et pura et immaculata Conceptio Virginis Mariae, Sanctissimae Dominae Nostrae. Summarium gratiarum et indulgentiarum, et jubilaeorum Stationum concessarum regibus catholicis in eorum regia capella Nostrae Dominae de Conceptione in Conventu S. Patris Francisci, Magnae Domus civitatis Granatensis, et indulgentiarum numismatibus, quae in dicta capella distribuuntur, concessarum a Leone X et confirmatarum a plurimis Summis Pontificibus, et nunc denuo a SS. D. N. Benedicto XIII die 30 Aprilis currentis anni 1727.

[2]) Summarium omnium indulgentiarum concessarum a fel. rec. SSmo D. N. Paulo III venerabili Societati SS. Sacramenti Corporis Christi, uti apparet ex Brevibus et Bullis Apostolicis, quae asservantur Romae in dicta Societate, quae exstat in ecclesia S. Mariae supra Minervam. Aesi per J. B. de Juliis, typographum publicum episcopalem 1741.

exhibens indulgentias vel apocryphas, vel dubias, vel revocatas, et idcirco recensita folia proscribenda censuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis. Quinimo, ut omnis in posterum erroris ac deceptionis occasio tollatur, districte prohibuit, ne aliae indulgentiae voce ac scripto evulgentur pro Sodalitiis SS. Eucharistiae Sacramenti, ac pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui nonnullis piis operibus in honorem et cultum ejusdem SS. Eucharistiae Sacramenti vacaverint, praeter eas, quae in Summario a Sacra Congregatione approbato die 13 Septembris anno 1749 recensentur.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. die 3 Julii 1754 relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit, et in omnibus servari jussit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

204.

1755 9 Aprilis. Capellae Regularium quoad indulgentias.

Ordinis Minor. Recollector. S. Francisci. Cum anno 1753 SSmus D. N. ecclesias Missionum FF. Ord. Minorum Recollectorum S. Francisci nationis Germano-Belgicae indulgentiis Ordini concessis decoraverit, nonnulli in dubium revocare coeperunt, utrum nomine ecclesiarum pro indulgentiis praefatis acquirendis veniant, necne, capellae et oratoria earumdem Missionum, ubi publicae ecclesiae non habentur, nec haberi permittuntur. Quare ad removendam hujusmodi dubitationem praesens proponitur dubium:

An sub nomine ecclesiarum veniant etiam capellae et oratoria PP. Recollectorum Ord. S. Francisci Missionum nationis Germano-Belgicae, ita ut illa gaudere valeant indulgentiis a SSmo D. N. ecclesiis dictarum Missionum concessis in casu?

Sac. Congregatio die 8 Aprilis 1755 respondit:

Affirmative, dummodo ibi peragantur sacrae functiones consuetae.

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 9 ejusdem mensis SSmo D. N.

relatione, Sanctitas Sua votum ejusdem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. Vicecomes S. C. Indulg. Secret.

205.

1756 28 Januarii. De concessionibus generalibus.

Etsi a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem, plura saluberrima prodierint decreta, et praesertim super earumdem indulgentiarum publicatione et impressione; cum tamen, sive hominum malitia sive incuria nuper nonnulli abusus irrepserint, inhaerendo decretis alias editis, eadem Sacra Congregatio die 19 Januarii 1756 censuit, illa esse confirmanda et innovanda, prout praesenti decreto confirmat et innovat. Praeterea, cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi promanant abusus a confusiones, re mature perpensa, praesenti itidem decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exempla earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem Sacrae Congregationis deferre.

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione die 28 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando, omnia confirmavit publicarique mandavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. Vicecomes Sac. Cong. Secret.

206.

1756 28 Januarii. Altare privilegiatum.

Pragen. Regularium Ordines, et maxime qui in vinea Domini sedulo laborantes Christifidelium indigentiis praesto sunt, Sedes Apostolica specialibus favoribus decorare consuevit; quare SSmus D. N., animadvertens Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum merita

erga pauperes captivos sub Turcarum tyrannide gementes, hujusce Ordinis ecclesias privilegio altaris quotidiani perpetui insigniri voluit; quapropter volentes hujusmodi privilegio frui Patres conventus oppidi Stinovicensis, Pragen. dioecesis, instituerunt pro designatione antedicti altaris in eorum ecclesia coram Vicario Generali, qui renuens eorum votis obsecundare, eo quod praefata ecclesia, utpote tantummodo in administrationem, etsi perpetuam concessa iisdem Patribus, sub generali privilegii altaris concessione putabat minime comprehendi posse. Quare praefati PP. huic Sacrae Congregationi supplicant pro declaratione dubii a Vicario Generali excitati.

Quaeritur itaque:

An ecclesia Stinovicensis dici debeat ecclesia Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, et idcirco frui possit altaris privilegio, quo gaudent ecclesiae ejusdem Ordinis?

Sac. Congregatio die 19 Januarii 1756 respondit:

Affirmative.

Factaque de his omnibus per infrascriptum Secretarium SSmo D. N. die 28 ejusdem mensis relatione, Sanctitas Sua benigne omnia approbando confirmavit et indulsit.

A. E. Vicecomes Secret.

207.

1756 24 Julii. Altare privilegiatum in hon. SS. Fundatorum.

Ut peculiarem suam benevolentiam erga nonnullos Ordines Regulares ostendat, Apostolica Sedes inter caeteras gratias ac praerogativas privilegio quotidiano perpetuo decorare solet altare in honorem SS. Fundatorum erectum, sive erigendum in singulis eorumdem Ordinum ecclesiis; porro cum nonnumquam contingat hujusmodi altare in quibusdam ecclesiis deesse, nec ob peculiares circumstantias spem affulgere illud erigendi, apud nonnullos Ordines mos invaluit collocandi prope crucem arae alterius Sancti, effigiem S. Fundatoris in parva tabula depictam, ut hoc pacto, meliori quo potest modo, dici possit altare S. Fundatoris in ecclesia reperiri. Ut autem sciri possit, utrum dictae

parvae tabulae appositio sufficiat ad hoc, ut praefatae ecclesiae gaudeant privilegio altaris generaliter omnibus Ordinis ecclesiis concesso, quaeritur:

1° *An in ecclesiis alicujus Ordinis, in quibus non reperitur altare S. Fundatoris, cui concessum est privilegium quotidianum perpetuum, sufficiat parvam tabulam S. Fundatorem repraesentantem in alterius Sancti ara collocare, ut privilegio antedicto possint gaudere?*

Et quatenus Negative,

2° *Quomodo providendum in casu?*

Sac. Congregatio die 24 Julii 1756 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Recurrant in casibus particularibus.*

208.

1756 24 Julii. De Sodalitio in capella erecto.

Nuscana. Cum quotidie augeretur numerus Christifidelium exoptantium nomen dare Sodalitio Septem Dolorum B. M. V. anno 1723 erecto in publico oratorio, sive potius patronali capella quondam Antonii Natelli, oppidi Montellae, Nuscanae dioecesis, et deinde Archiconfraternitati S. Marcelli Urbis aggregato, experientia compertum est praefatum oratorium prorsus ineptum Sodalitii functionibus, tum propter situm pene inaccessum et segregatum a majori parte populi, tum ob angustiam loci vix capientis tres aut quatuor familias; quare populus Casalium, ut vocant, Sorbi et S. Simeonis ejusdem oppidi aliud Sodalitium in aptiori loco instituere desiderabat; verum populus animadvertens, Sodalitium jam erectum ex dispositione Apostolicarum Constitutionum, et praesertim s. m. Clementis VIII obesse erectioni alterius Sodalitii sub eadem denominatione, opportunum duxit, Secretarium Generalem Ordinis Servorum B. M. V. super hac re consulere, a quo, accepta instructione, in qua asserebatur, Sodalitium jam erectum haud subsistere, eo quod carebat altari sub speciali titulo Septem Dolorum B. M. V., coronam consuetam singulis feriis sextis non recitabat, nec singulis annis peragebat publicam supplicationem, aliaque hujus-

modi negligebat, quae in formula institutionis requiruntur, ut Sodalitium dici possit rite et canonice erectum, ac possit indulgentiis ac privilegiis concessis gaudere, ac propterea permissum esse, aliud simile erigere Sodalitium. Idcirco populus orator novam ampliorem et commodiorem exstruxit ecclesiam septem ornatam altaribus, quorum majus in honorem septem Dolorum B. M. V. dedicatum est, et novum fuit erectum Sodalitium sub eadem denominatione, quod anno 1750 eidem S. Marcelli Archiconfraternitati fuit aggregatum. Porro dum nuper erectum Sodalitium alacriter pia opera praescripta obibat, oborta est dubitatio de subsistentia suae erectionis, eo quod s. m. Clemens XII Bullâ editâ die 14 Decembris 1733 defectus omnes sanaverit erectionum Sodalitiorum Septem Dolorum B. M. V. male forsan factarum, ita ut, quando etiam antiquius Sodalitium aliquo vitio laborasset, Clementina Constitutione sanatum convalidatumque dicendum esset, ac propterea erectionem novi Sodalitii male perperamque factam videri. Quocirca populus, ex quo coalescit novum Sodalitium, instat pro declaratione nati dubii, et, quatenus opus sit, pro sanatione et convalidatione suae erectionis.

Quaeritur itaque:

1° *An Sodalitium Septem Dolorum B. M. V. erectum in capella domus Natelli revera subsistat, ita ut obesse possit erectioni alterius Sodalitii?*

Et quatenus Affirmative ad utramque partem,

2° *An sit locus sanationi posterioris erectionis?*

Sac. Congregatio die 24 Julii 1756 rescribendum esse censuit:

Ad 1m: *Negative quoad utramque partem.* [1])

Ad 2m: *Non indigere sanatione.*

A. E. Vicecomes Secret.

209.

1756 31 Julii. De aggregatione Confraternitatum.

Urbis. Ut in aggregationibus Sodalitiorum ab Archiconfraternitatibus faciendis omnia rite recteque peragantur,

[1]) Cfr. tamen decretum Lemovicen. diei 22 Aug. 1842 ad 2. et Pinerolien. diei 12 Maji 1843.

plura tum Summorum Pontificum, tum Sacrae hujus Congregationis saluberrima prodiere decreta, et praesertim ad removendam turpis lucri suspicionem pluries cautum est, ut in expeditione litterarum patentium nuncupat. aggregationis, seu potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena, scriptura, sigillo, capsulis, cordulis, cera, intortitio, Secretarii Notariique labore vel mercede, aliisque omnibus quibuscumque, nihil omnino ultra unum scutatum aureum pro singula aggregatione, institutione vel confirmatione, quovis praetextu, colore, aut titulo, etiam eleemosynae, exigi aut recipi valeat, sub poenis ipso facto incurrendis, nullitatis videlicet aggregationis, amissionis indulgentiarum et spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, item privationis facultatis aggregandi et officiorum, necnon inhabilitatis ad eadem officia in posterum obtinenda, quoad ministros, Superiores, officiales, aliosque contra hujusmodi decretum facere praesumentes, quae a nullo alio nisi a Romano Pontifice pro tempore exsistente remitti valeant, aliisque etiam sub gravioribus poenis arbitrio ejusdem Romani Pontificis imponendis. Nuper autem cum eidem Sacrae Congregationi delatum sit, officiales nonnullarum Archiconfraternitatum titulo *strenae* ministris ipsarum Archiconfraternitatum debitae, alioque mentito colore praeter scutatum aureum, intortitium et aliam summam exigere; quinimmo sibi persuadentes, secretario sive amanuensi Archiconfraternitatis privative quoad omnes competere facultatem transcribendi formulam aggregationis, renuere idcirco hujusmodi formulam ad transcribendum tradere petentibus aggregationem, ab eis pro hujusmodi transcriptione summam sibi benevisam exigere. Quapropter Sacra Congregatio, ne longo temporis decursu antiquorum decretorum oblivio inducatur, et tam veteres, quam novi abusus omnino removeantur, die 24 Julii 1756 inhaerendo enuntiatis decretis, et praesertim editis diebus 10 Aprilis 1720 et 11 Maji 1722, censuit, ea esse innovanda et confirmanda, prout praesenti decreto innovat et confirmat, iterumque decernit in praefata summa scutati aurei omnia et singula supra enuntiata contineri.

Praeterea declarat, nullum jus nullamque facultatem privativam competere secretariis, amanuensibus aliisque quocumque nomine nuncupatis ministris Archiconfraternitatum, transscribendi formulam aggregationis, nihilque ultra praefatam summam scutati aurei pro hujusmodi transscriptione uti comprehensa in supra enuntiatis expensis, exigere posse; propterea que mandat singulis Ordinibus, Religionibus, Institutis et Archiconfraternitatibus quibuscumque, eorumque Superioribus, ministris et officialibus quocumque nomine nuncupatis, ut in expediendis litteris patentibus aggregationum, seu pro illarum expensis supra expressis aliisque quibuscumque nihil ultra scutatum unum aureum sub quovis praetextu, aut quaesito colore, etiam a sponte dantibus, titulo *strenae,* aut eleemosynae recipere audeant, aut recipi permittant, sub eisdem poenis supra indicatis, ne Confraternitates aggregandae sumptibus nimium graventur, et ut omnes intelligant, coelestes ecclesiae thesauros non quaestus, aut alicujus lucri causa, sed ad pietatem potissimum fidelium excitandam ex Apostolicae Sedis benignitate aperiri.

Quibus per me Secretarium SSmo D. N. die 31. Julii 1756 relatis, Sanctitas Sua decretum Sacrae Congregationis approbavit, et in omnibus exsecutioni mandari jussit.[1])

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. Vicecomes Secret.

210.

1757 6 Augusti. De modo peragendi exercitium Viae Crucis.

Etsi pro pio Viae Crucis exercitio peragendo plura prodierint saluberrima tum Summorum Pontificum Brevia, tum Sacrae hujus Congregationis decreta, adhuc tamen variae opiniones evulgabantur circa illius modum, et praesertim an pro indulgentiis consequendis semper necessarius esset localis motus de una statione ad aliam; quapropter ad removenda dubia, quae quotidie super modo hujusce visitationis excitabantur, et ut Christifideles certo scirent, quomodo deberent se gerere pro indulgentiarum consecutione, operae pretium fuit, huic Sacrae Congregationi sequentia dubia proponere:

---

[1]) Cfr. tamen decretum Urbis et Orbis diei 8 Januarii 1861 „Ad Religionis".

1m: *An in peragendo Viae Crucis exercitio semper necessario requiratur localis motus de una statione ad aliam pro acquirendis indulgentiis concessis pium hujusmodi opus peragentibus?*

Et quatenus Negative,

2m: *An et quaenam methodus sit praescribenda?*

Et eadem Sac. Congregatio post maturum evulgatarum opinionum examen die 23 Julii 1757 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Ad mentem, quae in eo versabatur, ut Eminentissimus Praefectus cum Secretario sequentem praescriberet methodum, ut nimirum pro publico exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus; pro privato autem tribuatur Episcopis facultas praescribendi tempus pro peragendo dicto exercitio opportunum.*

De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 6 Augusti ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis votum benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. Vicecomes Secret.

211.

1759 6 Aprilis. De clausula „diebus tamen non impeditis“.

Ut quantocius defunctorum animae a purgatorii poenis liberarentur, Christifidelium ingeniosa pietas morem induxit celebrandi Officium generale unius, vel trium, vel etiam octo dierum, in quibus, praeter plenariam indulgentiam defunctorum animabus applicabilem, quamplures Missae dicuntur in omnibus ecclesiae supplicantis altaribus cum privilegio, ac si in privilegiato altari essent celebratae. Verum cum juxta Ecclesiae rubricam occasione praefati Officii generalis pro defunctis celebrandae sint Missae tantum de Requie, in hujusmodi concessionum decretis sequens clausula inseritur: *diebus tamen non impeditis;* at cum nonnunquam spatio illo-

rum dierum contingat festivitas alicujus Sancti ritus duplicis, vel ut plurimum eodem tempore habeatur expositio SS. Sacramenti, et in utroque casu Missae defunctorum celebrari nequeant, orta est dubitatio, an, attentis verbis supra enuntiatis, Missarum privilegium defunctis suffragetur, etiamsi hujusmodi Missae non sint de Requie.

Ut igitur consuli possit tum defunctorum suffragiis, tum sacris Ecclesiae ritibus, quaeritur:

1° *An clausula* diebus tamen non impeditis, *quae apponitur in decretis Officiorum generalium pro defunctis in posterum sit apponenda?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An Missae, quae dicuntur tempore Officii generalis pro defunctis, exposito SS. Eucharistiae Sacramento, vel in festis Sanctorum ritus duplicis tunc occurrentibus gaudere debeant privilegio?*

Sac. Congregatio die 31 Martii 1759 respondit:

Affirmative ad utrumque.

Et facta per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. relatione die 6 Aprilis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. **Vicecomes** Secret.

212.

1759 31 Martii. **Moniales quoad indulgentias Sodalitiorum.**

Quamplures Sanctimoniales pio, quo flagrant desiderio magis magisque sacro indulgentiarum thesauro gaudendi, adscribi curant in albo aliquarum Confraternitatum saecularium uti nimirum consorores Rosarii, sacri Scapularis B. M. V. etc., adimplentes tantummodo, prout valent, ea pia opera pro respectivis indulgentiis lucrandis praescripta, inter quae cum visitatio ecclesiae designatae ab ipsis peragi nequeat, nec Benedictio in articulo mortis constitutis a Religiosis Ordinum praedictarum Confraternitatum possit impertiri, eo quod ipsis vetatur ingressus in monasteria ad hunc dumtaxat finem, ne hujusmodi indulgentiis fraudentur, enixe postulant, ut propriae ecclesiae visitatio aequivaleat pro ipsis solummodo visitationi alterius pro omnibus assignatae,

necnon ut proprius confessarius loco Religiosorum Ordinum, quibus competit facultas dandi Benedictionem, eam in mortis articulo conferre queat.

Quaeritur igitur:

1° *An pro Monialibus descriptis in albo Sodalitiorum subroganda sit ecclesia suorum monasteriorum in locum ecclesiae a sodalibus visitandae pro indulgentiarum consecutione?*

2° *An confessario pro tempore Monialium concedenda sit facultas impertiendi ipsis Monialibus Benedictionem Sodalitiorum, quibus Moniales sunt adscriptae?*

Sac. Congregatio die 31 Martii 1759 respondit:

Negative ad utrumque.

213.

1759 6 Aprilis. De altari privilegiato.

Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 31 Martii proximi praeteriti discussum fuerit dubium: *An privilegium quotidianum altaris concessum die 17 Decembris 1748, et confirmatum die 21 Januarii 1756, pro ecclesiis FF. Minorum Observ. S. Francisci suffragetur pro ecclesiis et aliis Religiosis, qui, etsi Minores Obs. haud nuncupentur, subsunt tamen jurisdictioni P. Ministri Generalis Ordinis Minorum Observant.*, eadem Sacra Congregatio praefata die declaravit: *Gaudere.*

Et facta de praemissis SSmo D. N. relatione per me infrascriptum Secretarium die 6 Aprilis 1759, Sanctitas Su[a] benigne Sacrae Congregationis resolutionem approbavit.

Fr. J. Card. Portocarrero Praef.
A. E. Vicecomes Secret.

214.

1759 19 Maji. De Confessione sacramentali et de visitatione ecclesiae.

Ut Christifideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum *qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti ecclesiam visitaverint*, quae in indulgentiarum Brevibus inseri solent, in Sacra Congregatione Indulgentiis

acrisque Reliquiis praeposita discussis die 31 Martii proximi praeteriti nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregatio fuit in voto, *Confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apposite pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; necnon praefatam Confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia festivitatis. Quod autem ad ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum.*

Factaque de iis per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione SSmo D. N. die 19 Maji 1759, Sanctitas Sua ejusdem Sacrae Congregationis votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. **Vicecomes** Secret.

215.

1759 19 Maji. Altare privilegiatum.

Urbis et Orbis. Ut erga parochiales ecclesias, quae ob earum tum dignitatem, tum antiquitatem magno semper in honore habitae sunt, Christifidelium amor magis magisque augeatur, utque suam erga eas benevolentiam peculiarem demonstraret, SSmus D. N. Clemens PP. XIII, praevio Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae voto, speciali gratia altaris privilegiati quotidiani ad septennium omnes et singulas totius Orbis praefatas ecclesias benigne decorari voluit, revocatis hujusmodi privilegiis intuitu paroeciae sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis; ea tamen adjecta lege, ut quilibet Episcopus de hujusmodi gratia supplicet pro sua respectiva dioecesi, et unum dumtaxat Breve pro omnibus uniuscujusque dioecesis parochialibus ecclesiis suffragetur. Praeterea, ne hujusmodi privilegio fraudentur aliae ecclesiae pollentes speciali praerogativa, veluti Collegiatae, et Abbatiales Nullius, et parochiales a se dependentes, Sanctitas Sua pari benevolentia modo supra indicato hoc idem privilegium mox enuntiatis ecclesiis communicatum voluit. Exspirato vero septennio,

Sede plena, eadem Sanctitas Sua mandat, ut ipsimet Episcopi et Abbates, Sede autem vacante, Vicarii Capitulares, sive in spiritualibus Abbatiarum administratores pro renovatione ejusmodi privilegii supplicent.

Ne autem parochi expensis graventur, voluit insuper Sanctitas Sua, nihil omnino exigi posse, sub poena nullitatis privilegii, ab officialibus tum Episcoporum, quum Abbatum in certiorandis parochis, sive in expediendis litteris pro designatione altaris privilegiati in unaquaque parochiali ecclesia dioecesis. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae die 19 Maji 1759.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. **Vicecomes** Secret.

216.

1759 5 Septembris. — **Divisio provinciae Ordinis Religiosi quoad indulgentias.**

Beatissime Pater! Modernus Rector Generalis, aliique Religiosi Congregationis S. Pauli, primi Eremitae de Serradossa nuncupat. provinciae Portugalliae et Algarbiorum, reverenter exponunt Sanctitati Vestrae, quod memorata provincia usque de tempore s. m. Alexandri PP. VI unita fuit provinciis Ungariae, Poloniae, Sueviae aliisque ejusdem Ordinis sub regimine unius Generalis. Verum decursu temporis ex causa praemaximae distantiae accedendi ad illas provincias ratione Capituli generalis, et ex mora, quae intercedebat occasione recursuum Religiosorum, necnon propter bella, quae tunc effervescebant in Germania contra Turcas, separata exstitit ab aliis supranominatis quoad gubernium temporale tantum et oeconomicum. Quamvis vero certo credant Oratores, quod ex dicta separatione temporali nunquam amiserint illam spiritualem unionem, scilicet privilegiorum, indulgentiarum, et praecipua celebrationis festivitatum, quibus totus Ordo S. Pauli, primi Eremitae, universaliter potitur et fruitur, prout gaudere solent diversae Congregationes et Ordines, videlicet S. Benedicti, Canonicorum Regularium S. Augustini, Carmelitarum discalceatorum etc. in praefato

Portugalliae regno, licet sint disjunctae ab aliis eorum respective provinciis, nihilo tamen minus Oratores praefati in obsequium majoris obedientiae et subjectionis erga Sanctam Sedem, ac etiam pro eorum conscientiae quiete supplicant humiliter S. V. pro declaratione, quod, non obstante separatione quoad gubernium temporale et oeconomicum a praefatis aliis provinciis, memorata eorum Congregatio seu provincia gaudeat unione et uniformitate spirituali etiam pro celebratione festivitatum, prout fruuntur aliae provinciae S. Pauli, primi Eremitae, eo modo et forma, qua fruebatur eadem provincia Portugalliae et Algarbiorum ante separationem a memorato gubernio temporali et oeconomico. — Et Deus etc.

SSmus D. N. Clemens PP. XIII in Audientia SSmi die 5 Septembris 1759 benigne declaravit, per enuntiatam provinciarum divisionem quoad indulgentias universo Ordini concessas nullum omnino praejudicium provinciae Oratrici fuisse irrogatum, ita ut illis eo prorsus modo gaudeat, acsi divisio secuta non fuisset. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

A. E. Vicecomes Secret.

217.

1759 28 Novembris. De jubilaeo.

Montis Pessulan. Propositis dubiis a Reverendissimo Episcopo Montis Pessulani pro lucrando jubilaeo ab eodem Sanctissimo initio sui Pontificatus indicto, videlicet:

1° *An in casu, quo quis peractis una hebdomada praescriptis operibus, inabsolutus remittatur ad aliud tempus, teneatur ille iterum, quae peregit tempore jubilaei opera repetere, dum absolvetur, ad effectum lucrandi jubilaei indulgentias?*

2° *An qui disponuntur ad lucrandas jubilaei indulgentias, et quandoque ob negotia teneantur exire e loco, ubi commorantur, ibique per duos aut tres dies commorari, possint in illo loco peragere quaedam ex praedictis operibus pro jubilaeo?*

SSmus D. N. in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 28 Novembris 1759 respondit:

Ad 1m: *Non teneri in casu proposito repetere opera praescripta jam adimpleta.*

Ad 2m: *Posse peragere etiam extra locum domicilii.*

A. E. Vicecomes Secret.

218.

1760 30 Januarii. Altare privilegiatum.

Bergomen. Episcopus Bergomen. quaerit:

1° *An Summus Pontifex decorare voluerit non solum omnes ecclesias parochiales et collegiatas, sed etiam eas, quae non sunt parochiales, nec collegiatae, sed sunt in honore habitae ob earum antiquitatem, dignitatem et speciales praerogativas, an tantum parochiales et collegiatas, quae etiam habitae sunt semper in honore ob earum antiquitatem, dignitatem et speciales praerogativas?*

2° *An privilegium pro collegiatis extendi possit ad omnes, vel saltem ad aliquas ecclesias hujus Bergomen. civitatis, et dioecesis, quae habent residentias ad instar collegiatarum?*

3° *Quaenam sint ecclesiae dignitate et antiquitate semper in honore habitae, et speciali praerogativa pollentes?*

4° *An per designationem novi altaris ad septennium juxta Breve intelligantur suppressa non solum privilegia antea concessa intuitu paroeciae, verum etiam quaedam alia?*

5° *An Missae, ut gaudeant privilegio hujusmodi, debeant celebrari de Requie, an sufficiat earum applicatio pro defunctis cum non possint celebrari de Requie?*

Relatis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Clementi PP. XIII in Audientia diei 30 Januarii 1760 supra expositis dubiis, Sanctitas Sua respondendum esse decrevit:

Ad 1m: *Ecclesias, quae neque parochiales sunt, neque collegiatae, etsi dignitate et antiquitate pollentes, non gaudere concessione privilegiati altaris quotidiani ad septennium, atque eo tantummodo gaudere ecclesias parochiales, et per communicationem collegiatas. Antiquitas vero ecclesiarum parochialium et collegiatarum ex primaeva earum origine desumitur, ac proinde in honore habitae et habendae sunt.*

Ad 2m: *Poterit extendi etiam ad illas, etsi collegiatae non denominentur, in quibus ad instar collegiatarum choro assidue inservitur.*

Ad 3m: *Concessionem altaris privilegiati quotidiani ad septennium non indigere hujusmodi declaratione, et satis responsum ad primum.*

Ad 4m: *Nova designatione altaris privilegiati quotidiani ad septennium revocanda esse anteriora privilegia unice intuitu paroeciae concessa, non alia de causa, e. g. Confraternitatis, capellae seu altaris jurispatronatus alicujus familiae, sive ratione publici coemeterii, aut praefixi numeri Missarum in ecclesia seu particulari altari satisfaciendi.*

Ad 5m: *Sufficere applicationem, cum nequit celebrari Missa de Requie juxta decretum S. C. Rituum a Ven. Innocentio XI approbatum sub datum 4 Maji 1688 Pontificatus sui anno XII.*

J. de Comitibus Secret.

219.

1760 30 Januarii. Varia dubia de altari privilegiato.

Wormatien. Beatissime Pater! Cum non ita pridem a Sanctitate Vestra Eminentissimus Elector Moguntinus Breve Apostolicum obtinuerit, vi cujus in dioecesi Wormatiensi, sibi qua Episcopo, subjecta, in omnibus ecclesiis tam collegiatis, quam parochialibus designare posset unum altare privilegiatum pro defunctis, et in exsecutione illius Brevis dubia obveniant, nempe:

1m: *An illud privilegium ad septennium obtineat pro singulis diebus totius anni, quandocumque sacerdos approbatus in designato altari Missam applicaverit pro certo defuncto?*

2m: *An ecclesia, in qua designatur altare, debeat esse consecrata, vel saltem altare lapideum consecratum, cum in hac dioecesi, in qua religio catholica vix a saeculo iterum inducta, perpaucae numerentur ecclesiae, vel etiam altaria consecrata, sed ut plurimum super portatilibus Missae celebrentur?*

3m: *Cum in Brevi Apostolico solum de parochialibus ecclesiis mentio fiat, an non etiam istud privilegium ad filiales ecclesias extendendum, cum etiam in singulis saltem Dominicis et festis, et*

quando sepultura occurrit, divina habeantur, ne catholici in filialibus (quae olim omnes fuerunt matrices, sed per introductum Calvinismum ab Electoribus Palatinis, pastoribus suis destitutae, et nunc tandem recuperatae, ita ut in illis simultaneum exercitium Religionis cum acatholicis habeatur), sint praeter culpam deterioris conditionis, quam in matricibus, quae per accidens matrices factae sunt ob commodiorem sustentationem parochi in uno loco, quam in altero, cui et postea tres, quatuor et quandoque plures filiales ad deserviendum assignatae reperiuntur?

4° *Cum etiam pagi reperiantur, in quibus pastor catholicus quidem habitat, sed propria ecclesia non potitur, ideoque assignatam acceperit domum publicam, in qua divina tractet; an non etiam altare inibi positum, vel alia sacella domestica publico cultui tamen destinata gaudere possint privilegio altaris a Summo Pontifice pro defunctis privilegiati?*

Proinde Christianus de Merle, Episcopus Synopen. et suffraganeus Wormatiensis, humillime supplicat Sanctitat[illegible] Vestrae benigne resolvere et declarare dicta dubia ad eff[illegible]ctum, ut scire valeat, quomodo in eis tuto se gerere debe[illegible]

Relatis per me infrascriptum Secretarium in Audien[illegible] habita sub die 30 Januarii 1760, SSmo D. N. Cleme[illegible] PP. XIII supra propositis dubiis, idem SSmus respondend[illegible] esse decrevit:

Ad 1m: *Affirmative juxta decretum Sac. Congregationis [illegible] tuum approbatum a Ven. Innocentio XI sub datum 4 Maji 16[illegible]*

Ad 2m: *In medio altaris, in quo Sacrum peragendum e[illegible] debet saltem reponi sacer lapis consecratus cum capsula Reliqu[illegible]rum SS. Martyrum.*

Ad 3m: *Poterit extendi privilegium ad eas dumtaxat filiales ecclesias, in quibus parochus functiones vere parochiales exercet, uti sepelire mortuos, baptizare, SSmum Eucharistiae Sacramentum ministrare in Paschate et similia.*

Ad 4m: *Similiter dicendum, si in ejusmodi domibus et capellis publico cultui designatis parochus catholicus functiones vere parochiales exerceat.*

J. de Comitibus Secret.

220.

1760 12 Martii. Indulgentiae in ecclesiis Monialium.

Monialium in genere. Ex Audientia SSmi die 12 Martii 1760. Quum SSmo D. N. Clementi PP. XIII constiterit, in ecclesiis Monialium praeter indulgentias Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus concessas, aliam et alias quandoque moris fuisse concedi infra annum indulgentiam, et indulgentias plenarias ab omnibus pariter Christifidelibus earumdem ecclesias visitantibus lucrandam, idem SSmus praesenti decreto statuit et mandavit, ut in posterum quaecumque alia indulgentia plenaria etiam pro unica vice, quae praeter indulgentias Ordinis in praefatis Monialium ecclesiis cujuscumque Ordinis et ubicumque exsistentibus concedenda expostuletur, nonnisi pro ipsis Monialibus tantum ceterisque in monasterio degentibus concedi possit et debeat.

J. de Comitibus Secret.

221.

1760 26 Martii. Altare privilegiatum.

Beatissime Pater! Cum Cardinalis Patriarcha Delphinus, Archiepiscopus Utinensis ex gratia Sanctitatis Vestrae acceperit Breve, quo ipsi concessa fuit facultas declarandi altare privilegiatum quotidianum ad septennium in omnibus ecclesiis parochialibus et collegiatis suae civitatis et dioecesis, et eidem Cardinali suborta sint infrascripta dubia circa eamdem concessionem, supplicat Sanctitati Vestrae, ut eadem supremo suo judicio dirimere dignetur:

1m: *An gratiae altaris privilegiati capaces sint eae ecclesiae parochiales aut curatae, quarum rector exercet parochialia officia cum independentia et tenetur ad orandum pro populo, vel ad quas ex supradictis ecclesiis debeat coarctari tale privilegium?*

2m: *An concedendum sit altare privilegiatum ecclesiis dissitis et sitis in montibus et collibus, aut iis, in quibus nunc fiunt officia parochialia?*

3m: *An in parochiis, quae habent duas ecclesias (filiales), possit utrique concedi supradicta gratia, an vero alternatim?*

SSmus D. N. Clemens PP. XIII in Audientia ab infrascripto Secretario habita die 26 Martii 1760, propositis dubiis mentem suam benigne declarando, ita respondendum mandavit:

Ad 1m: *Ex decreto diei 30 Januarii hujus anni omnes ecclesiae, de quibus in dubio, capaces sunt altaris privilegiati.*

Ad 2m: *Privilegium concedendum esse primis enuntiatis ecclesiis, secundis negandum.*

Ad 3m: *Ambabus concedendum esse privilegium, dummodo in ipsis exstent sepulchra, et functiones proprie parochiales exerceantur.*

J. de Comitibus Secret.

222.

1760 2 Augusti. Indultum pro confratribus infirmis.

Urbis et Orbis. SSmus D. N. Clemens PP. XIII benigne concessit, ut confratres et consorores cujuscumque Confraternitatis, seu Sodalitii, aut Congregationis ubique locorum exsistentis, dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possint et valeant; ita tamen, ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera injuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exsequantur. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces cujuscumque [1]) Sodalitii, Confraternitatis, seu Congregationis concedi absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae die 2 Augusti 1760.

N. Card. Antonellus Praef.
J. de Comitibus Secret.

223.

1760 16 Decembris. Via Crucis.

Camerinen. In ecclesia Abbatiali Plebis Taurinae Camerinen. dioecesis, multis abhinc annis canonice erecta

[1]) Cfr. tamen decretum diei 12 Febr. 1877.

fuit Via Crucis, et parietibus appositae fuerunt stationes decenter pictae ornataeque cum parvulis crucibus auro linitis. Nunc vero occasione fabricae, ne cruces et stationes pulvere sordescerent, per D. Abbatem remotae fuerunt, earum loco aliis vulgaribus stationibus et crucibus suffectis. Hac de causa maxima orta est inter populum contentio super indulgentiarum acquisitione. Quamobrem sequentia dubia examinanda proponit:

1m: *An in ecclesia, ubi canonice erecta est Via Crucis, si stationes et cruces renoventur, vel mutentur, cessent indulgentiae; ac proinde opus sit nova erectione seu approbatione?*

2m: *An, ad tempus ablatis et remotis ab ecclesia stationibus et crucibus, indulgentiae ab iis acquirantur, qui in dicta ecclesia, tamquam si stationes et cruces exstarent, exercitium devote peragunt?*

3m: *An si dictae stationes et cruces remotae, ut supra, apponantur in parietibus sacrarii seu oratorii sub diverso tecto, vel alterius ecclesiae, lucrentur indulgentias pium peragentes exercitium ante easdem stationes in praedictis locis ad tempus repositas?*

4m: *An qui exercitium Viae Crucis peragunt et illud ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam etc., indulgentias lucrentur si illud prosequantur, vel ad indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio reassumere?*

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1760 respondit:

Ad 1m: *Negative juxta modum; et modus est, quod si renoventur et mutentur salva substantia, negative simpliciter, ut supra; si non salva substantia, negative pariter, sed in hoc casu novae cruces denuo benedicantur ad formam Constitutionum.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Negative quoad diversas ecclesias; in reliquis recurrant in casibus particularibus.*

Ad 4m: *Affirmative ad primam partem, dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant; negative quoad secundam; et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere.*

224.

1760 16 Decembris. De nonnullis clausulis etc.

Cum Episcopis in regionibus Americae, Indiarum orientalium, Africae, et in Europa sub ditione Principum infidelium in mari Aegeo et in Albania ea inter ceteras a Sancta Sede Sacrae Congregationis Universalis Inquisitionis decreto facultas tribuatur *largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra Communione refectis*, exortum est dubium, an, quando hujusmodi indulgentiae a praedictis Episcopis suae dioecesis ecclesiis assignantur, et plerumque, uti relatum est, parochialibus, cadant sub clausulis in Brevibus indulgentiarum expressis, quarum una sic se habet: *dummodo alia similis indulgentia ad tempus nondum elapsum duratura concessa non sit*, excipit tamen indulgentias Ordinibus Regularibus universim concessas; altera: *volumus autem, ut si alia indulgentia ad tempus nondum elapsum duratura concessa sit, praesentes nullae sint*, cum ceteroquin praedictis ecclesiis seorsim per se rogantibus juxta earum qualitatem indulgentiae, quae de stylo hujus Sacrae Congregationis elargiri solent, concedantur, et concessae reperiantur.

Quaeritur itaque:

An indulgentiae, quae ex facultate Sanctae Sedis Apostolicae ab enuntiatis Episcopis assignantur benevisis suae dioecesis ecclesiis, comprehendantur sub clausulis in Brevibus indulgentiarum expressis?

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1760 respondit:

Negative, seu non comprehendi.

225.

1761 14 Februarii. Altare privilegiatum.

Curien. Beatissime Pater! Attentis Sanctitatis Vestrae Litteris in forma Brevis, quibus conceditur Episcopis facultas declarandi in ecclesiis parochialibus et collegiatis altare privilegiatum, sacerdotes et parochi dioecesis Curiensis in Grisonibus, ne in errorem inducantur, supplices adeunt Sanctitatem Vestram pro sequentium dubiorum solutione:

1° *An hujusmodi privilegium suffragetur pro defunctis etiam per aliam Missam, quam de Requie?*

2° *An per idem privilegium revocata censeantur alia privilegia uni vel pluribus altaribus ecclesiarum parochialium concessa, et quaenam in casu?*

3° *An eodem privilegio saltem per epikeiam gaudere possint ecclesiae curatae, aut tales, ubi parochi proprie non inveniuntur, sed in quibus parochiales functiones a propriis parochis peraguntur?*

SSmus D. N. in Audientia habita die 14 Februarii 1761 ab infrascripto Secretario propositis dubiis respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Hujusmodi privilegia non censentur revocata, dummodo non intuitu ecclesiae parochialis, verum alio titulo concessa fuerint.*

Ad 3m: *Ejusmodi privilegio gaudere praefatas ecclesias, dummodo in ipsis functiones vere et proprie parochiales peragantur.*

N. Card. **Antonellus** Praef.
J. de Comitibus Secret.

226.

1761 28 Aprilis. Absentes in Confraternit. non admittendi.

Americana novi Regni Hispanici. Fel. rec. Benedictus XIV per suas Litteras Apostolicas in forma Brevis sub datum Romae apud S. Mariam Majorem die 25 Maji 1754, cujus initium: *Non est equidem etc.*, confirmavit omnes et singulas indulgentias ac privilegia in perpetuum concessa Congregationi, seu Confraternitati B. M. V. Guadalupensi, Patronae novi Regni Hispanici in America, nonnullasque alias per dictum Breve indulgentias concessit cum facultate, ut eas confratres etiam absentes et ubicumque locorum commorantes lucrari possint. Ampliavitque dictum privilegium regibus principibusque et eorum consanguineis usque ad secundum inclusive gradum adscribendi se confratres, et acquirendi omnes et singulas indulgentias praedictae Congregationis etiam absentes. Hinc exortum est dubium, *an fideles absentes possint admitti et adscribi in confratres?*

Ratio dubitandi ea potissimum videtur, quod impedimentum absentiae non tanti habitum est a Summo Pontifice, ut ex eo absentes confratres et reges ac principes ab acquisitione indulgentiarum excluderet; adeoque absentes a numero confratrum non forent rejiciendi. Attamen cum declaraverit Pontifex defectum absentiae non obesse confratribus jam adscriptis et regibus et principibus, quibus specialis adscribi in confratres facultas impertita est, nullo pacto videntur admittendi absentes, qui neque vi admissionis, aut gratiae dici possunt confratres.

Additur in precibus, quod si absentes nequeant admitti in confratres, dignentur EE. PP. rescribere, quod admitti valeant, et ad minus incolae novi regni praedicti, ad quod extenditur patronatus praedictae B. Mariae Virginis, quemadmodum nonnullis similibus Confraternitatibus Europaeis clementer indultum est, et signanter Confraternitati Sanctissimae Conceptionis Liciensis (de Lece).

Quaeritur itaque:

1° *An absentes admitti possint in confratres?*

Et quatenus Negative,

2° *An supplicandum sit SSmo pro eorum admissione, vel ad minus pro admissione incolarum praedicti novi Regni Hispanici?*

Sac. Congregatio die 28 Aprilis 1761 respondit:

Negative in omnibus.

N. Card. **Antonellus** Praef.
J. de Comitibus Secret.

227.

1761 28 Aprilis. Indulg. Tertii Ord. S. Francisci.

Malacitana. Quum Sacrae Congregationi S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum delata fuerint folia et Summaria indulgentiarum pro Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis typis impressa, in quibus complures referebantur indulgentiae, quarum concessiones apocryphas esse aut revocatas, aut incertas, et contra mentem Sedis Apostolicae per-

peram intellectas agnovit, eadem Sacra Congregatio consuluit s. m. Benedicto XIV, expedire, ut omnes quovis modo indulgentias hactenus concessas praedicto Tertio Ordini Saecularium S. Francisci annullaret et revocaret, aliasque peculiares de novo concederet, quod idem Summus Pontifex edidit in sua Constitutione sub datum die 17 Martii 1751, quae incipit *Ad Romanum Pontificem.* Statim vero ac ad Malacitanum Episcopum dicta Constitutio pervenit, eamque in sua civitate et dioecesi publicare studuit, praecipiens, ne FF. Tertii Ordinis saecularis de Poenitentia alias indulgentias praeter in eadem Constitutione expressas auderent in posterum nuntiare, contentiones non solum inter FF., verum, ut ipse exponit, inter Theologos exortae sunt. Contendunt enim Tertii Ordinis FF., se intuitu sui Instituti plurimas praeter in praefata Constitutione concessas indulgentias plenarias nuntiare et lucrari posse. Contendunt, non esse revocatam Papalem absolutionem et remissionem omnium peccatorum in prima feria II Quadragesimae. Propugnant demum, in eadem Constitutione ipsis concessam indulgentiam plenariam in omnibus diebus Stationum Urbis et extra illam in Missali Romano descriptis. Ad has igitur contentiones dirimendas Episcopus sequentia dubia proponit:

1m: *Utrum Fratres saeculares Tertii Ordinis de Poenitentia possint nuntiare ut sibi propriam aliam indulgentiam plenariam, praeter assignatas in Constitutione sub datum die 17 Martii 1751, quae incipit:* Ad Romanum Pontificem.

2m: *Utrum in prima secunda feria Quadragesimae sit ipsis concessa absolutio Papalis et remissio omnium peccatorum?*

3m: *Utrum, quando in praedicta Constitutione conceduntur Tertiariis Ordinis de Poenitentia in diebus Stationum in Missali Romano descriptis omnes indulgentiae, quas lucrarentur Stationes Urbis et extra illam pie et devote visitantes; per hoc maneat licitum ipsis Tertiariis proponere et nuntiare sibi indulgentiam plenariam in omnibus, vel in aliquo ipsorum dierum?*

Sac. Congregatio die 28 Aprilis 1761 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Pariter Negative.*

Ad 3^{m}: *Non licere, et tantummodo publicetur, quod praefinitum est in praedicta Constitutione s. m. Benedicti XIV, nimirum easdem indulgentias fore consecuturos, ac si personaliter ecclesias Urbis, diebus in Missali Romano descriptis pro Stationibus visitarent.*

J. de Comitibus Secret.

228.

1761 19 Maji. Altare privilegiatum die 2 Novembris.

Urbis et Orbis. Cum ex veteri more, et laudabili Ecclesiae instituto die secunda Novembris omnium Defunctorum memoria recoli, eorumque animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus et Ecclesiae suffragiis, potissimum vero acceptabili sacrosanctae Missae Sacrificio juvari soleant, SSmus D. N. Clemens PP. XIII ex paterna sua charitate erga omnes fideles tam vivos quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia et charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, decesserunt, de inexhausto catholicae Ecclesiae thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius e purgatorii poenis liberatae ad aeternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio Venerabilium S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum, universali hoc decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, ut Missa die praedicta Commemorationis Defunctorum a quocumque sacerdote saeculari vel cujuslibet Ordinis et Instituti Regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in altari privilegiato celebrata, decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque sacerdos pro dicta Missa licet privilegiata, accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus Constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae die 19 Maji 1761.

N. Card. Antonellus Praef.
J. de Comitibus Secret.

229.

1762 8 Februarii. Via Crucis.

Relata in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita habita feria secunda, die 8 currentis Febr. causa verten. inter PP. Reformatos et Recollectos Ordinis S. Francisci et PP. Ord. Minor. Capucinorum, riteque examinatis propositis in ea dubiis, videlicet: 1° *An subsistat facultas a P. Delegato Generali Minor. Observ. Antonio de Rubeis concessa PP. Provincialibus Capucinorum in Germania sub die 17 Decembris 1756?* et quatenus Negative, 2° *An expediat, ne fideles decipiantur, declarare, stationes Viae Crucis vigore supradictae facultatis erectas a PP. Capucinis in Germania non subsistere, consuetisque indulgentiis minime gaudere?* 3° *An facultas eisdem PP. Capucinis concessa pro quinque Episcopatibus Archidioecesis Coloniensis et Episcopatu Constantiensi a s. m. Benedicto XIV restringenda sit ad solas ecclesias PP. Capucinorum et ad ea dumtaxat loca, ubi non exstant Conventus PP. Reformatorum et Recollectorum Ordinis S. Francisci?* Ad 1m et 2m eadem Sacra Congregatio rescribendum esse censuit: *Consulendum Sanctissimo pro sanatione, et quatenus opus sit, pro nova concessione.* Ad 3m: *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.* De quibus facta relatione per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Clementi PP. XIII sub eadem die 8 Februarii currentis anni 1762 Eadem Sanctitas Sua benigne annuit pro sanatione stationum Viae Crucis vigore supradictae facultatis erectarum in Germania a PP. Provincialibus Ordinis Minorum Capucinorum, et, quatenus opus sit, pro nova concessione clementer annuit; easque sic erectas consuetis indulgentiis gaudere declaravit. Ac insuper declaravit, jussitque facultatem eisdem PP. Capucinis concessam pro quinque Episcopatibus Archidioecesis Coloniensis et Episcopatu Constantiensi restringendam esse ad solas ecclesias PP. Capucinorum, non autem ad ea dumtaxat loca, ubi non exstant Conventus PP. Reformatorum et Recollectorum Ordinis S. Francisci. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

N. Card. **Antonellus** Praef.

J. de Comitibus Secret.

230.

1762 8 Februarii. De indulg. plen. ab Innoc. XIII concessa in statibus haereditariis Caroli VI.

Belgica. Quum a commorantibus in Belgio Theologis infrascripta dubia Sacrae Congregationi Indulgentiarum proposita fuerint definienda, videlicet: 1° *An cum Dominica secunda post Epiphaniam Officium SS. Nominis Jesu, et Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis Officium SS. Nominis Mariae est transferendum, Missae solemni, quae tunc istis diebus cantatur de Dominica, vel de festo altiori occurrente, adnexa sit indulgentia plenaria a fel. rec. Innocentio XIII concessa illis, qui, consistentes intra status haereditarios Caroli VI Imperatoris,, interfuerint? et quatenus Negative,* 2° *An tunc, et eo casu, ut Christifideles eam indulgentiam valeant adipisci, cantari debeat Missa votiva solemnis de SS. Nomine Jesu vel Mariae respective?*

Eadem Sacra Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali feria II, 8 Februarii currentis anni 1762 supradictis dubiis rite examinatis rescribendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

De quibus facta per me infrascriptum Secretarium relatione SSmo D. N. Clementi PP. XIII in Audientia habita sub eadem die 8 Februarii, Sanctitas Sua decreta Sacrae Congregationis benigne approbavit; atque ita perpetuis futuris temporibus indultum fel. rec. Innocentii XIII intelligendum esse ac in praxi exsequendum declaravit atque mandavit. [1])

N. Card. **Antonellus** Praef.
J. de **Comitibus** Secret.

231.

1763 9 Decembris. Confessio hebdomadalis ad lucr. indulg.

Quum Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die 31 mensis Martii anno 1759 fuerit in voto, Confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur

---

[1]) Cfr. decret. Cameracen. diei 12 Julii 1847 ad 4; Briocen. 6 Maji ad 1. et Urbis et Orbis 9 Aug. 1852.

pro indulgentiae consecutione, peragi omnino debere etiam ab his, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, necnon praefatam Confessionem suffragari etiam posse, si in vigilia festivitatis expleatur, votumque Sacrae Congregationis SSmus D. N. Clemens PP. XIII benigne approbaverit, illudque typis publicari sub datum 19 Maji praedicti anni mandaverit; quamplures supplices libelli tum Regularium Communitatum et praesertim Monialium, tum etiam parochorum, et nonnullorum Episcoporum pro suis dioecesibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quae interdum, imo persaepe incidit pro sacramentali Confessione sive in festo vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem ut adeo proficuus indulgentiarum thesaurus reddatur fidelibus accommode comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati Suae, ut opportuno aliquo remedio de Apostolica benignitate providere dignaretur. Quibus precibus ad praedictam Sacram Congregationem remissis, propositum in ea fuit dubium: *An, et quomodo sit consulendum SSmo super praefati decreti exsecutione, vel declaratione in casu?* et responsum fuit: *Consulendum SSmo D. N., ut concedere dignetur indultum omnibus Christifidelibus, qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, ut omnes et quascumque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin juxta praefati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias jubilaei, tam ordinarii, quam extraordinarii aliasque ad instar jubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis Confessio tempore in earum concessione praescripto peragantur.*

Et facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium de praemissis omnibus SSmo D. N. relatione die 9 Decembris 1763, Sanctitas Sua piis bonorum desideriis ac votis satisfacere, et indulgentiarum gratias iis potissimum, qui pie sancteque vivendo, donis divinae misericordiae digniores efficiuntur, elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, et praefatum indultum in forma suprascripta

expediri, et publicari mandavit; quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

N. Card. **Antonellus** Praef.
J. de **Comitibus** Secret.

232.

1764 6 Novembris. — Benedictio Apostolica.

Tarvisin. Exstant in Tarvisina dioecesi parochiales ecclesiae quamplures, in quibus canonice sunt erecta fidelium utriusque sexus Sodalitia, quae gaudent indulgentiis omnibus, privilegiis, praerogativis ac specialibus gratiis, quas Summi Pontifices alicui ex approbatis Archiconfraternitatibus olim concesserunt; iis etiam parochialium earumdem ecclesiarum rectores praesunt vicaria quadam auctoritate tributa a Generalibus Regularis Ordinis Magistris seu Praepositis ac Ministris, ad quos ipsae pertinent Archiconfraternitates. Quoniam vero Apostolicis Litteris datis anno 1762 3 Nonas Septembris, et recenti anno proxime praeterito, 3 Kalendas Septembris data Constitutione SSmus D. N. Clemens PP. XIII facultates impertiendi Romani Pontificis nomine Apostolicam Benedictionem Regularibus jam concessas Ordinibus reservavit, Paulus Franciscus Justinianus, Tarvisinus Episcopus Sacrae Congregationi definiendum proponit, *num istiusmodi parochialium ecclesiarum rectores, salvis tamen Apostolicis mandatis, praesertimque Benedicti XIV Epistola Encyclica diei 19 Maji 1748, possint statis anni diebus super populum Apostolicam Benedictionem effundere, ex donata facultate, quae a Generalibus Regularium Ordinum Ministris, una cum universitate privilegiorum suorum in diplomate erectionis Sodalitii, aut alio quovis modo fuit ipsis communicata?* Dubitat praeterea idem Episcopus, *num maneat facultas nomine Pontificis populum benedicendi concionatoribus die postrema Quadragesimae, necnon aliis sacerdotibus Regularium Ordinum pro spiritualibus exercitiis, sive missionibus?* Quae dubia declaranda humiliter exposcit.

Relatis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Clementi PP. XIII in Audientia diei 6 Novembris 1764 supradictis dubiis ab Episcopo Tarvisino propositis, idem SSmus respondit: *Negative ad utrumque, ad formam Constitu-*

tionis a Sanctitate Sua edita sub datum apud Sanctam Mariam Majorem anno 1762 tertio Nonas Septembris.

N. **Antonellus** Praef.
S. **Borgia** Secret.

233.

1764 27 Novembris. **Altare privilegiatum.**

Civitatis Castellan. Confraternitas Rosarii terrae de Vallerano, dioecesis Civitatis Castellanae, antiquitus erecta et jam aggregata Archiconfraternitati Romanae, exponit, inter alias gratias et indulgentias concessas tali Confraternitati in Summario inserto Bullae Innocentii XI d. d. 3 Julii 1679, confirmatae etiam a Benedicto XIII per Bullam *Pretiosus* d. d. 7 Junii 1727, contineri indultum altaris privilegiati primum concessum a Gregorio XIII pro altari existenti in Conventu Dominicanorum de Raconisio restrictum ad eos tantum, deinde vero extensum ad omnes capellas erectas et erigendas prout in dicta Bulla Innocentii XI, ita ut inter indulgentias communes *ita* legatur in dicto Summario, capite 12: *Indulgentiae pro defunctis: Gregorius XIII in Bulla, quae incipit:* Omnium saluti *30 Octobris 1582, concedit ecclesiae Praedicatorum loci Raconisii, ubi est altare SSmi Rosarii, quod non est altare majus, indultum altaris privilegiati, quoties ab aliquo dictae domus sacerdote dumtaxat Missa defunctorum celebrabitur pro animabus cujuscumque fidelis defuncti confratris SSmi Rosarii.* Credit ergo Oratrix Confraternitas, suum altare gaudere hoc indulto, quia videt hoc commune factum esse omnibus Confraternitatibus in dicta Bulla et Summario, sine aliqua communicatione, et proinde facit ibi celebrare Missas. Quia tamen dubitatur, stante decreto quod indultum non sit communicabile, supplicatur, ut declaretur:

1° *An altare Rosarii virtute dicti Summarii et Bullae gaudeat indulto altaris privilegiati pro confratribus defunctis?*

2° *An quando Missa de Requie dici nequit, etiam Missa de Sancto currente gaudeat eodem indulto, juxta declarationem s. m. Clementis IX d. d. 23 Septembris 1669?*

3° *An locum habeat pro omni sacerdote, qui celebrat in dicto altari?*

Relatis a me infrascripto supradictis dubiis in Audientia habita die 27 Novembris 1764, Sanctitas Sua respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Negative; etenim in communicatione indulgentiarum nusquam communicatur privilegium altaris, quod non nisi speciali et individua mentione concessum in Brevibus reperitur; tum quia recensitum privilegium altaris SS. Rosarii a fel. rec. Gregorio XIII concessum, ac deinde a s. m. Benedicto XIII ad quaecumque altaria Rosarii extensum, tantummodo privilegium personale est; nimirum solis dumtaxat sacerdotibus regularibus Ordinis Praedicatorum.*

Ad 2m: *Affirmative ex decretis Sac. Rituum Congregationis, atque hujus Sacrae Congregationis Indulgentiarum.*

Ad 3m: *Negative eadem ratione, quod privilegium restrictum sit ad solos sacerdotes Ordinis Praedicatorum.*

Cum autem Sanctitas Sua inspexerit, Missas ad praefatum Rosarii altare uti privilegiatum bona fide hactenus celebratas fuisse, benigne annuit pro earum sanatione; ac insuper declaravit supradictum SS. Rosarii altare privilegiatum ad septennium in una feria cujuslibet hebdomadae ab Ordinario designanda pro confratribus et consororibus.

S. Borgia Secret.

234.

1764 27 Novembris. Altare privilegiatum.

Wladislavien. Episcopus Wladislaviensis humillimis precibus exponit, se obtinuisse a Sanctitate Vestra Breve altaris privilegiati quotidiani ad septennium pro omnibus et singulis ecclesiis parochialibus, necnon collegiatis et abbatialibus suae civitatis et dioeceseos, revocando intuitu hujusmodi indulti privilegia omnia paroeciis sive in perpetuum sive ad tempus concessa; itaque Orator tria sequentia dubia declarari expostulat:

1m: *An indulgentiae altaris privilegiati adnecti possint altaribus portatilibus, quae plurima sunt in sua dioecesi?*

2m: *Quum in sua dioecesi ob tenuitatem beneficiorum pleraeque parochiales unitae sint, an idem privilegium intelligatur con-*

cessum omnibus et singulis, vel iis tantum, in quibus aliqua parochialia munia aliquando fiant per annum, licet cum ceteris majoribus sint unitae?

3m: *An Missis de festo vel de feria lectis, diebus in quibus Missae defunctorum prohibentur, applicari possit idem altaris privilegium ad formam Decretorum a S. Rituum Congregatione emanatorum de anno 1667, 1669 et 1688?*

SSmus D. N. Clemens PP. XIII in Audientia habita die 27 Novembris 1764 relatis a me infrascripto Secretario supradictis dubiis ab Episcopo Wladislaviensi propositis respondendum esse jussit:

Ad 1m: *Negative; namque ex ipsis terminis concessionis, qua tribuitur Ordinario facultas designandi semel unum tantum altare, satis innuitur, quod dictum altare debeat esse fixum ac stabile; necnon quum in casu reaptationis altaris privilegiati soleat peti translatio privilegii ad aliud altare, conceditur dicta translatio durante tantum tempore fabricae, ex quo colligitur, privilegium in eodem altari stabile permanere.*

Ad 2m: *Eadem Sanctitas Sua declaravit, privilegium altaris quotidiani ad septennium illis tantummodo ecclesiis per extensionem concedendum esse, quae parochiali unitae, seu ejusdem subsidiariae, plerasque parochiales functiones (quae proprie parochiales sint) infra annum exercent.*

Ad 3m: *Affirmative ex decretis tum Sacrorum Rituum Congregationis, tum hujus Sacrae Congregationis Indulgentiarum.*[1])

S. Borgia Secret.

235.

1766 14 Novembris. Altare privilegiatum.

Clodien. In ecclesia cathedrali Clodiensi adest altare sanctorum Felicis et Fortunati Martyrum, Patronorum illius civitatis, privilegiatum per Breve Gregorii XV 13 Januarii 1623, in quo haec habentur *Omnium saluti etc. . . . . volentes igitur ecclesiam cathedralem Clodien. simili ad praesens privilegio, ut accepimus, minime decoratum, dummodo in ea duodecim ad*

[1]) Cfr. decretum Urbis et Orbis diei 19 Maji 1759.

minus sacerdotes existant, et in ea situm altare sanctorum Felicis et Fortunati hoc speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Domino tradita etc. . . . . ut quandocumque sacerdos aliquis ejusdem ecclesiae dumtaxat, Missam defunctorum in singulis diebus, non tamen impeditis, pro anima cujuscumque fidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur . . . . concedimus et indulgemus etc. . . . . Praesentibus etc. . . . . Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die etc.

Et quamvis vigore hujus Brevis privilegium dicti altaris sit pro solis Missis celebratis *diebus non impeditis*, nihilominus, stante declaratione Innocentii XI 4 Maji 1688 incipien. *Alias postquam etc.*, quae extendit talia privilegia etiam ad dies impeditos, festivos ac duplices etc., altare praedictorum sanctorum Martyrum dici potest privilegiatum quotidianum pro omnibus fidelibus defunctis, sed pro solis Missis sacerdotum ejusdem cathedralis. Benedictus XIII postea suo Brevi 20 Julii 1724 concessit omnibus cathedralibus orbis catholici altare privilegiatum quotidianum perpetuum designandum ab Episcopis pro omnibus defunctis in cunctis Missis celebrandis a quocumque sacerdote saeculari vel regulari; sed quoniam idem Benedictus declarat, esse suam intentionem concedendi suum privilegium iis ecclesiis cathedralibus, *in quibus altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum*, ideo oritur dubium, an privilegium Benedicti XIII possit competere ecclesiae cathedrali Clodien., in qua jam pridem existebat, et existit altare sanctorum Felicis ac Fortunati privilegiatum quotidianum perpetuum, sed in Missis sacerdotum tantum illius ecclesiae, quando alterum privilegium Benedicti XIII concessum est in Missis cujuslibet sacerdotis, nullo excepto. Porro cum sit cathedralis Clodien. non solum cathedralis, sed etiam parochialis, supplicatur pro resolutione, an possit insimul gaudere et frui uti cathedralis privilegio Benedicti XIII, et uti parochialis nota gratia altaris privilegiati concessi a regnante Summo Pontifice Clemente XIII omnibus ecclesiis parochialibus.

Itaque Episcopus Clodien. quaerit:

1° *An non obstante praeallegato privilegio Gregorii XV cathedralis Clodien. sit capax alterius enuntiati privilegii Benedicti XIII anni 1724?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An Episcopus possit designare pro indulto seu privilegio Benedicti XIII aut altare sanctorum Felicis et Fortunati, aut aliud altare suo arbitrio?*

3° *An cathedralis Clodien. possit eodem tempore gaudere et frui uti cathedralis altari privilegiato quotidiano perpetuo concesso a Benedicto XIII cathedralibus anno 1724, et uti parochialis altero altari privilegiato vigore concessionis Clementis PP. XIII?*

Sac. Congregatio die 14 Novembris 1766 respondit:

Ad 1m: *Negative; etenim privilegium concessum a fel. rec. Gregorio XV altari sanctorum Felicis et Fortunati concessum fuit ecclesiae uti cathedrali, quod clare constat ex illis verbis enuntiati Brevis:* Volentes igitur ecclesiam cathedralem Clodiensem. *Accedente deinde declaratione s. m. Innocentii XI, quod privilegium altaris quotidiani suffragetur etiam in diebus impeditis, idem altare sanctorum Felicis et Fortunati gaudet privilegio in hujusmodi diebus. Vigore postmodum indulti Benedicti XIII idem altare sanctorum Felicis et Fortunati, in quo pro solis dumtaxat duodecim sacerdotibus ejusdem cathedralis ecclesiae privilegium designatum fuerat, gaudet extensione ad quoscumque alios sacerdotes sive saeculares sive regulares.*

Ad 2m: *Pariter negative, cum ex dictis ecclesia uti cathedralis gaudeat privilegio quotidiano perpetuo in praefato altari sanctorum Felicis et Fortunati.*

Ad 3m: *Affirmative, videlicet, quod juxta decretum SSmi D. N. Clementis PP. XIII eadem ecclesia uti parochialis possit gaudere privilegio quotidiano ad aliud altare ab Episcopo semel tantum designandum, non in perpetuum, sed ad septennium, ad formam decreti.* [1]

S. **Borgia** Secret.

---

[1] Vide tamen decretum diei 18 Septembris 1776 et 10 Septembris 1781.

236.

1767 4 Augusti. Via Crucis.

In monasterio N. Via Crucis erecta reperitur in quatuor distinctis locis; sed in uno ex iis necessitatis tempore non solum collocant Moniales aegrotas, verum etiam recreationes instituunt, Via Crucis tamen in praedictis circumstantiis ablata, ibique postea denuo reposita.

Quaeritur igitur:

An dictae Moniales visitantes in praefato loco Viam Crucis gaudeant indulgentiis?

SSmus D. N. Clemens PP. XIII die 4 Augusti 1767 commisit confessario praedicti monasterii, onerando ipsius conscientiam, ut Viam Crucis ex loco, quo Moniales ad profanos usus hucusque usae sunt, omnino amoveat, et ibidem nunquam in futurum collocari permittat; visitet deinde tria alia distincta loca ejusdem monasterii, in quibus Via Crucis erecta reperitur, et videat, an decenter in ipsis servetur, et cum pari devotione pium ejusdem Viae Crucis exercitium in iis peragatur, ac stricte injungat Monialibus, ne ullo anni tempore eadem loca ad alios usus convertant.

S. Borgia Secret.

237.

1775 23 Septembris. De benedictione coronar. cruc. et in artic. mortis.

Vindana. Nonnulla dubia ad hanc Sacram Congregationem delata fuerunt a Vicario Generali dioecesis Vindanae in Britannia Minori nimirum:

1m: *Qui accepit facultatem benedicendi centum cruces, seu numismata cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, potestne, dummodo praescriptum numerum non excedat, ad eumdem effectum benedicere coronas, parvas statuas, immo et Crucifixos; etiamsi, ut plerumque accidit, crux sit efformata ex ligno, ebore, aliave materia fragili, et ad hanc benedictionem inepta, et tantum effigies Christi sit metallica?*

2m: *Qui accepit facultatem benedicendi tercentum coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum divae Birgittae nuncupatarum, accepitne eo ipso facultatem benedicendi totidem ro-*

aria loco coronarum? Ratio dubitandi est, rosaria quindecim onstare decadibus, et coronas quinque tantum, unde tercentum rosaria nongentis coronis aequivalent?

3^m^: *In facultate benedicendi cruces seu numismata cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, etsi nulla de eo fiat mentio, subauditurne hoc additum, cum applicatione omnium indulgentiarum in elencho recensitarum?*

4^m^: *In fine ejusdem elenchi vetat Sanctitas Sua hujusmodi impressionem extra Urbem; haec prohibitio estne mere politica, et ad ecclesiastici regni incolas tantum, non ad universos orbis fideles directa? Obligatne in conscientia extra fines Romani Imperii?*

5^m^: *Benedictio in articulo mortis cum applicatione indulgentiae plenariae potestne, si sit periculum in mora, concedi tum valide, tum licite iis, qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti vel Poenitentiae, vel Eucharistiae, vel extremae Unctionis, vel nullo horum, subitoque vergunt ad interitum?*

6^m^: *Benedictio supradicta potestne bis aut amplius in eodem morbo, qui insperate protrahitur, impertiri, etiamsi non convaluerit aegrotus? Si possit iterari haec benedictio, quodnam requiritur intervallum inter ejus largitiones?*

7^m^: *Invocatio saltem mentalis SS. Nominis Jesu, de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac benedictione missis, praescribiturne, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, ut conditio sine qua non, ad indulgentiam vi istius benedictionis lucrandam?*

8^m^: *Episcopus ad supradictam benedictionem impertiendam delegatus cum facultate subdelegandi:* Primo *debetne perpaucos subdelegare sacerdotes, ut majus sit benedictionis istius et indulgentiae huic adnexae desiderium, simul et major utrique concilietur reverentia?* Secundo: *potestne omnes suae dioecesis subdelegare confessarios, ne etiam una, si fieri possit, ex suis ovibus tanta privetur gratia?* Tertio: *potestne subdelegare omnes directe et speciatim parochos sive plurimos sacerdotes in dignitate constitutos, et indirecte et confuse omnes Confessarios hisce verbis:* Dilecto nobis in Christo etc. te delegamus, eligimus et deputamus, quatenus valeas etc. insuper quemcumque confessarium a te ad tui libitum semel vel pluries, et quandocumque opus fuerit, eligendum pariter eligimus et deputamus

ad eamdem gratiam conferendam, *hic subdelegandi modus estne validus?*

9m: *Quae in supradictis Brevibus exstat clausula:* et quoad Moniales, illarum confessarium ordinarium, *statuitne, tale munus invalide quoad illas exerceri a quolibet sacerdote (etiam Vicario Generali) deputato ad hanc benedictionem impertiendam, sive omnibus et singulis fidelibus in tota dioecesi, sive Monialibus tantum, sive specialiter Moniali hic et nunc aegrotanti, nisi sit illarum confessarius ordinarius? Si ita sit, quisnam est ille confessarius ordinarius? An qui jurisdictione in illas gaudet ordinaria? an monasterii, de quo agitur, confessarius ordinarius? Seu confessarii ordinarii, si plures sint? An Monialis aegrotae confessarius actualis, sive ejus, qui ante morbum, quo laborat, confessiones exceperit, sive non? Sive sit monasterii confessarius ordinarius, sive non?*

Sac. Congregatio die 20 Septembris 1775 respondit:

Ad 1m: *Standum verbis concessionis.*

Ad 2m: *Rosaria et coronae promiscue accipienda sunt.*

Ad 3m: *Affirmative.*

Ad 4m: *Relatum, et servetur decretum.*

Ad 5m: *Affirmative ad formam Bullae Benedicti XIV.*

Ad 6m: *Semel in eodem statu morbi.*

Ad 7m: *Affirmative.*

Ad 8m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam; Affirmative ad tertiam partem quoad parochos speciatim rure degentes.*

Ad 9m: *Facultas pro confessario ordinario tantum.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. in Audientia diei 23 Septembris 1775 per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

J. C. de Somalia Secret.

238.

1776 18 Septembris. — **Ecclesiae cathedrales etsi parochiales uno gaudent altari privilegiato.**

Cum in quibusdam ecclesiis cathedralibus, quae simul etiam sunt parochiales, exortum fuerit dubium: *An eaedem*

ecclesiae gaudeant duplici altari privilegiato, uno a fel. rec. Benedicto PP. XIII concesso omnibus cathedralibus, altero a s. m. Clemente PP. XIII, qui concessit facultatem de septennio in septennium renovandam omnibus Episcopis concedendi altare privilegiatum ecclesiis parochialibus suarum dioecesium? supplicatum fuit huic Sacrae Congregationi, ut dignarentur pro spirituali regimine earumdem ecclesiarum praesens dubium resolvere.

De quo, facto per me infrascriptum Sac. Congregationis Indulgentiarum Secretarium verbo cum SSmo D. N. in Audientia diei 18 Septembris 1776, eadem Sanctitas Sua declaravit: *cathedrales ecclesias, quamvis sint etiam parochiales, uno tantum gaudere altari privilegiato, vel illo in perpetuum concesso a Benedicto XIII omnibus cathedralibus, vel illo a Clemente XIII omnibus parochialibus impertito, salvis tamen peculiaribus circumstantiis.*[1])

J. C. de Somalia Secret.

239.

1777 9 Julii. De precum, quibus adnecti debet indulgentia, approbatione a S. R. C. peragenda.

Quum Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae nonnulli porrecti fuerint supplices libelli, in quibus continebantur preces ab aliquibus piis et religiosis viris exaratae vel in memoriam Passionis Christi Domini, vel in honorem SS. Eucharistiae Sacramenti, vel ad implorandam B. V. Mariae et Sanctorum opem atque intercessionem, pro quibus precibus specialis aliqua dierum vel annorum indulgentia postulabatur, eadem Sacra Congregatio habita in Palatio Quirinali die 7 Julii 1777, ut iisdem instantiis aliisque similibus in posterum faciendis consuleret, decrevit: *Preces in publico recitandae, pro quibus petitur indulgentia, exhibeantur prius Sacrae Congregationi Rituum, quibus, si ita ei visum fuerit, probatis, tunc ab hac Sacra Congregatione examinentur, utrum expediat, iisdem applicare aliquas indulgentias.*[2])

De quibus facta relatione SSmo D. N. in Audientia habita per me infrascriptum Secretarium die 9 ejusdem mensis

[1]) Cfr. decretum Urbis et Orbis diei 10 Septembris 1781.
[2]) Cfr. decretum diei 9 Julii 1816.

et anni, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando confirmavit, illudque publicari mandavit, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae die 9 Julii 1777.

L. Card. **Calinus** Praef.
J. C. de **Somalia** Secret.

240.

1780 23 Septembris. — De authenticis Reliquiarum non subscribendis a solis Vicariis Generalibus.

Ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita quaesitum fuit: *Num admitti possint authenticae Reliquiarum a solis Vicariis Generalibus subscriptae?*

Et Sacra Congregatio respondendum censuit:

Authenticas Reliquiarum a solis Vicariis Generalibus subscriptas esse rejiciendas.

Quam Sacrae Congregationis regulam SSmus D. N. Pius PP. VI in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 23 Septembris 1780 confirmavit, et quatenus opus esset, de novo mandavit.

J. C. de **Somalia** Secret.

241.

1781 10 Septembris. — Altare privilegiatum.

Urbis et Orbis. Capitulum ecclesiae cathedralis Segusii in Gallia subalpina, sive provincia Pedemontana, declarari postulat, an liceat sibi uti in eadem ecclesia duplici altari privilegiato. Alterum enim in ara majori, ubi nunc exercentur functiones Pontificales et canonicales, concessum autumat ex Brevi anni 1724 s. m. Benedicti XIII, quod incipit *Omnium saluti*, cum eadem ecclesia nuperrime erecta sit in cathedralem, alterum autem, quo hactenus gavisum est ex decreto anni 1759 s. m. Clementis XIII, quod incipit *Ut erga parochiales*, concessum ait eidem ecclesiae uti parochiali in ara, ubi nunc asservatur augustissimum Eucharistiae Sacramentum, et fiunt functiones parochiales. Ex duplici itaque hoc titulo, quia scilicet ecclesia est unica parochialis et quia erecta nunc est in cathedralem, duplici altari privilegiato posse gaudere petit.

Quaeritur itaque:

1m: *An ecclesiae cathedrales, quae simul sunt parochiales e Pontificis decretis, jus habeant ad duplex altare privilegiatum?*

Et quatenus Negative,

2m: *An consulendum Sanctissimo pro hujusmodi concessione?*

Sac. Congregatio die 10 Septembris 1781 respondit:

Ad utrumque: *Negative.*

242.

1816 9 Julii. **Supplices libelli non admittantur postulantes indulgentias pro novis exaratis precibus.**

Cum Sacrae Congregationi Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae nonnulli porrecti fuerint supplices libelli, in quibus continebantur preces ab aliquibus piis et religiosis viris exaratae, vel in memoriam Passionis Christi Domini vel Sanctorum etc. aut in suffragium defunctorum fidelium etc. pro quibus precibus specialis aliqua dierum, annorum, et etiam plenaria indulgentia postulabatur; hinc facto verbo cum SSmo per me infrascriptum Secretarium, ut iisdem instantiis, aliisque similibus in posterum consuleret, SSmus D. N. Pius PP. VII in Audientia diei 9 Julii 1816, inhaerendo decreto s. m. Pii PP. VI Praedecessoris Sui sub die 9 Julii 1777, et quoniam de his jam satis satisque provisum, illud approbando confirmavit et publicari mandavit, ut in posterum nullae admittantur instantiae, nec concedantur indulgentiae supplicibus libellis, novas preces continentibus, novasque pro iisdem indulgentias postulantibus. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae die 9 Julii 1816.

Laurentius **Mattei** Secret.

243.

1818 10 Februarii. **De indulgentiis ecclesiarum, quae olim ad Religiosos pertinebant. Portiuncula.**

Anconitana. Cum ad Sacram Indulgentiarum Congregationem delatum fuerit quaesitum: An ecclesia olim FF. Minorum gaudeat indulgentiis Ordini praefato concessis, cum idem Ordo non amplius extiterit; et hinc proposita dubia:

1° *Utrum ecclesia Ordinis Minorum nunc devoluta Ordinario propter circumstantias, in qua Sacra faciunt sacerdotes saeculares, fruatur iisdem indulgentiis, ut primum, praecipue illa de Portiuncula?*

2° *Utrum ecclesia Ordinis Minorum utique vendita, sed sacerdoti Ordinis Minorum sine habitu Religionis tradita, ut in ipsa Sacra faciat, gaudeat pariter indulgentiis supradictis?*

3° *Utrum ecclesia Ordinis Minorum pariter vendita, sed in qua ab acquirente curatur, ut Sacra aliquando fiant a presbytero saeculari, supradictis fruatur indulgentiis?*

Eadem Sac. Congregatio particulariter habita die 10 mensis Januarii anni 1818, auditis Consultorum votis, re mature perpensa, fuit in voto:

Negative ad primum, quoad indulgentias concessas generaliter vel specialiter omnibus Christifidelibus visitantibus ecclesias Ordinis Minorum, et ideo etiam quoad illam de Portiuncula; et similiter Negative, quoad secundum et tertium.

De quibus facto verbo cum SSmo per me infrascriptum Secretarium in Audientia habita die 10 Februarii 1818 eadem Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne confirmavit.

J. Ph. Card. **Scotti.**
Angelus **Costaguti** Secret.

244.

1818 16 Junii. **Religiosi quoad indulgentias, quae ipsorum familiae erant concessae.**

Quidam ab Apostolica Sede obtinuerat indulgentiam plenariam in articulo mortis pro se suisque consanguineis et affinibus usque ad tertium gradum. Cum vero ejus filia Monialis graviter aegrotavisset, dubium exortum est, num praefata indulgentia frui valeret, cum amplius ad familiam non pertineret.

Quare a Sacra Congregatione Indulgentiarum quaesitum fuit:

An Religiosus vel Monialis ad gratias spirituales, indulgentias videlicet, quae a Summis Pontificibus olim propriae familiae concessae reperiuntur, jus suum amittat?

Eadem Sacra Congregatio particulariter habita, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa respondit: *Non amittere.*

De quo facto verbo cum SSmo per me infrascriptum Secretarium, eadem Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne confirmavit in Audientia diei 16 Junii 1818.

Angelus Costaguti Secret.

245.

1819 1 Martii. **Via Crucis.**

Urbis et Orbis. Decretum. Quum Sacrae Indulgentiarum Congregationi dubium relatum fuerit: *Utrum indulgentiae Viae Crucis adnexae, uti ceterae possint noctu obtineri, opera injuncta adimplendo?* eadem Sac. Congregatio rebus ad trutinam redactis matureque per Consultorum vota perpensis, ipsas indulgentias aeque diei ac noctis tempore lucrifieri posse definiit, atque ad perpetuam rei memoriam in propriae Secretariae regesta praesens decretum inserendum esse mandavit.

Datum Romae die 1 Martii 1819.

B. Card. Naro Praef.
Angelus Costaguti Secret.

246.

1819 24 Maji. **Indulgentiae ecclesiae, quae non administratur ab Ordine, sed adhuc sub ejus regimine etc.**

Faventin. Congregatio quaedam pia Tertiariorum S. Francisci in ecclesia S. Antonii Patavini, civitatis et dioecesis Faventinae, canonice reperitur erecta sub cura et directione Minorum Reformatorum. Verum PP. Minores Conventuales, ac iterum tandem Minores Observantes, aliquibus de causis Sacra in dicta ecclesia non amplius facientes, minime vero regimen et auctoritatem amittentes, saeculares sacerdotes in administratione ecclesiae in spiritualibus substituerunt. Non obstante autem regimine, auctoritate et directione FF. Minorum Observantium hujus praefatae Congregationis Tertiariorum, dubitatum tamen fuit, an indulgentiae non modo pro Tertiariis, verum etiam pro omnibus Christi-

fidelibus in ecclesia subsisterent, praesertim vero dubium invaluit circa indulgentiam de Portiuncula nuncupat.

Hinc proposito huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum triplici dubio, videlicet:

1° *An apponere ad januam ecclesiae tabellam annuntiantem indulgentias in festis Ordinis, ut fideles omnes et Tertiarii eas consequi possint, amplius liceat?*

2° *An ecclesiae praefatae S. Antonii, Kalendario S. Francisci, ac Missali Seraphico uti permissum sit?*

3° *An fideles, etiam non Tertiarii praelaudatam ecclesiam visitando die 2 Augusti indulgentia de Portiuncula appellata frui possint et valeant?*

Eadem Sac. Congregatio Indulgentiarum, auditis Consultorum votis, ac re mature perpensa, ad tria supraenuntiata dubia respondendum censuit:

Ad 1m: *Non licere apponere ad januam templi S. Antonii Faventiae tabellam describentem indulgentias in festis Ordinis Minorum S. Francisci.*

Ad 2m: *Affirmative pro Tertiariis dumtaxat, Negative vero pro iis, qui Tertio Ordini non sunt adscripti.*

Ad 3m: *Affirmative pro Tertiariis, Negative quoad omnes Christifideles.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. in Audientia diei 24 Maji 1819 relatione, Sanctitas Sua ipsius Sacrae Congregationis votum benigne approbavit.

B. Card. **Naro** Praef.
Angelus **Costaguti** Secret.

247.

1819 15 Junii. Portiuncula.

Lauretan. Proposito dubio huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum: *An sacellum hospitii, sive Conventus Minorum Observantium sub titulo S. Benigni, Episcopi et Confessoris, in civitate Lauretana existentis indulgentia de Portiuncula nuncupata, die videlicet 2 Augusti recurrente, aeque gaudeat, ac si foret ecclesia ejusdem Ordinis, exclusive tamen quoad mulieres ob rationem clausurae?* eadem Sacra Con-

gregatio auditis Consultorum votis, ac re maturo examine perpensa respondit: *Negative, et consulendum SSmo pro gratia extensionis indulti exclusive quoad mulieres.*

Hinc facta relatione SSmo D. N. Pio PP. VII per me infrascriptum Secretarium in Audientia habita sub die 15 Junii 1819, eadem Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis adprobavit, et indulgentiae de Portiuncula indultum, die nempe 2 Augusti ab omnibus Christifidelibus, exceptis tamen mulieribus, in praefato sacello lucrandae, servatis servandis, et perpetuis futuris temporibus valiturum benigne extendit, absque ulla Brevis expeditione.

J. Ph. Card. **Scotti.**
Angelus **Costaguti** Secret.

248.

1819 21 Decembris. De authenticitate.

Urbis et Orbis. Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem, proposito dubio: *An indulgentiae aliquibus crucifixis appositae, et in scriptis aut typis impressae, realiter existerent? quae sunt tenoris videlicet*: Vi facultatis obtentae a SSmo D. N. Pio VII die 1 Junii 1804, confirmatae per Rescriptum ex Audientia SSmi diei 6 Novembris 1805 conceduntur huic Crucifixo sequentes indulgentiae particulares: 1° Indulgentia plenaria in articulo mortis cuicumque illum in extremis deosculaturo et penes se super lectum habituro. 2° Indulgentia centum dierum, quotiescumque aliquis coram eo recitaverit ter *Pater, Ave* et *Gloria* orando juxta intentionem Summi Pontificis. 3° Alia indulgentia centum dierum, quotiescumque aliquis illum devote osculatus corde saltem invocaverit ejus sanctissimum auxilium. 4° Indulgentia plenaria bis in mense ad libitum cuicumque, qui illum secum habens Sacra Communione fuerit refectus. 5° Indulgentia 7 annorum et totidem Quadragenarum lucranda ab omnibus accipientibus benedictionem, quae cum illo post concionem populo dabitur. 6° Hae indulgentiae immediate adnectuntur Crucifixo, quare non amittuntur per mutationem crucis. 7° Datae sunt

naturali vita durante possessorum respectivorum Crucifixi. 8° Transeunt successive cum iisdem privilegiis ad quamcumque personam, cui possessor pro arbitrio suo illum legat, dat aut commodat. Poterit insuper possessor Crucifixi (sed non ii, quibus illum commodabit), si fuerit legitime impeditus, lucrari indulgentias Stationum, dicendo 7 *Pater* et *Ave*, et illas Viae Crucis recitando 14 *Pater* et *Ave*.

Eadem Sac. Congregatio, praevio diligenti examine, et cognita earumdem indulgentiarum existentia, quamvis per ejusdem Sacrae Congregationis organum concessae non sint; fuit tamen in voto: *Consulendum SSmo pro confirmatione seu abrogatione praedictarum indulgentiarum.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione SSmo D. N. in Audientia diei 21 Decembris 1819, Sanctitas Sua declaravit, *eas abrogari, et lucrari posse ab iis tantum Christifidelibus, qui nunc pro tunc possident crucifixum, cui adnexae hujusmodi indulgentiae reperiuntur, eorum vita naturali durante. Prohibet autem eisdem possessoribus, dictos crucifixos aliis commodare, donare, aut ratione legati concedere ad effectum lucrandi supradictas indulgentias.*[1])

Quae omnia ut omnibus patefiant, decreto hujus Sacrae Congregationis typis Rev. Cam. Apost. imprimi, et publicari mandavit.

Datum Romae die 21 Decembris 1819.

B. Card. **Naro** Praef.
Angelus Costaguti Secret.

249.

1820 29 Februarii. De benedictione coronarum et de recitatione precum cum socio.

U r b i s e t O r b i s. In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi indulgentias, expresse dicitur, quod „ab hujusmodi benedi„ctione Sanctitas Sua rejicit imagines sive impressas, siv„depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismat

[1]) Cfr. decretum Ditionis Helveticae diei 11 Aprilis 1856.

„vulgo *medaglie* nuncupata, quae ex ferro, stamno, plumbo, „vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur". Hinc propositis dubiis huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum:

1° *An ab hujusmodi benedictione rejiciantur etiam coronae seu rosaria, quae ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficientur?*

2° *Specialiter an possint applicari indulgentiae coronis ex vitro, seu cristallo confectis?*

3° *An uni et eidem rei, puta, uni coronae, possint applicari indulgentiae diversae v. g. indulgentiae dictae Apostolicae, et indulgentiae dictae S. Birgittae?*

4° *An recitans alternatim cum socio orationem, cui applicatae sunt indulgentiae v. g. coronam, vel salutationem Angelicam, dictam* Angelus Domini, *possit lucrari indulgentias huic orationi applicatas?*

Eadem Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa, respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative, dummodo globuli sint ex vitro solido, atque compacto.*

Ad 3m: *Affirmative, dummodo ad eas lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia.*

Ad 4m: *Affirmative.*

Factaque de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. VII per me infrascriptum Secretarium in Audientia habita die 29 Februarii 1820, eadem Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

B. Card. **Naro** Praef.
Angelus Costaguti Secret.

250.

1820 21 Martii. De indulg. Sacro solemni seu Missae cantatae adnexis.

Urbis et Orbis. In concessionibus indulgentiarum nonnullae pro earum consequutione generaliter apponi solent conditiones, juxta veterem praxim et intentionem Summi Pontificis concedentis, quibus non adimpletis, indulgentiae

praefatae lucrari nullatenus possunt. Hujusmodi est aliquarum indulgentiarum concessio, quam SSmus D. N. Pius PP. VII elargitus est cum extensione ad totam octavam festi. Hinc oriuntur infrascripta dubia, quae Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae explicanda proponuntur; videlicet:

1m: *An cum inter ceteras conditiones praescriptas auditio Sacri solemnis requiratur, istud vero diebus feriatis infra octavam, exceptis cathedralibus ecclesiis, vix alibi, praesertim ruri, celebrari soleat, indulgentiae hae diebus infra octavam feriatis, ceteris conditionibus adimpletis, auditione etiam Missae lectae et non solemnis, lucrifieri possint?*

2m: *An ex intentione Concedentis per solemne Sacrum juxta liturgistas, Sacrum cum thurificationibus et assistentiis intelligi debeat?*

3m: *An Sacrum cantatum, prout ruri in ecclesiis parochialibus diebus Domini et festis absque praedictis ritibus celebrari solet, sufficiat?*[1]

4m: *Qui sit super his Romae sensus et quae consuetudo?*

Eadem Sacra Congregatio auditis Consultorum votis, e re maturo examine perpensa, respondit:

Ad 1m: *Negative, et consulendum SSmo pro declaratione, v extensione appositae conditionis ad Missas lectas in diebus, ecclesiis et locis, in quibus Missa cum cantu non celebratur.*

Ad 2m: *Consulendum SSmo.*

Ad 3m: *Provisum in antecedentibus.*

Ad 4m: *Sensus est, quod ad lucrandas indulgentias implendae sunt conditiones appositae, et haec nedum Romana consuetudo verum etiam est regula ubique servanda.*

Factaque de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. VII in Audientia habita die 21 mensis Martii anni 1820 per me infrascriptum Secretarium, eadem Sanctitas Sua Congregationis votum benigne approbavit, et insuper quoad primum et secundum concessit et declaravit, quod ad effectum lucrandi indulgentias in casu appositae conditionis, ubi cantatur Missa sine sacris ministris, nec adhibitis thurificatio-

[1]) Cfr. decret. Cremonen. diei 14 Nov. 1724.

nibus, satis erit huic assistere, et audire Missam lectam in diebus, ecclesiis et locis, ubi Missa cum cantu minime celebratur.

B. Card. **Naro** Praef.
Angelus **Costagnti** Secret.

251.

1822 11 Junii. An os femoris sit Reliquia insignis.

Viterbien. Quamvis quaelibet sanctorum corporum pars veneratione colenda sit, *haec est enim Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo*, nihilo tamen secius major solet esse fidelium devotio erga integrum alicujus Sancti corpus aut ejusdem membra praecipua. An autem haec inter enumeranda sint femoris ossa, ut veluti reliquia insignis habeatur, a Capitulo et Canonicis collegiatae ecclesiae SS. Luciae et Faustinae Viterbii postulatum fuit Sacrae hujus Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae oraculum.

Eadem Sacra Congregatio in Palatio Apostolico Quirinali sub die 15 Aprilis currentis anni, re mature perpensa, auditisque insuper Consultorum votis, protulit negativam sententiam.

Et facto verbo cum SSmo in Audientia habita die 11 Junii 1822 Sacrae Congregationis votum nedum approbavit, verum etiam publicari mandavit.

Datum Romae die 11 Junii 1822.

G. Card. ab Auria **Pamphily** Praef.
Pro R. P. D. Bernardo **Ugo** Secret.
Petrus Canonicus **Torraca** Substitutus.

252.

1822 12 Junii. De confessione hebdomadali.

Urbis et Orbis. Cum non pauci ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam supplices libelli porrecti fuerint, praesertim e Gallia ob confessariorum inopiam, pro obtinenda facultate sacramentalem Confessionem peragendi per plures dies ante Eucharisticam

Communionem ad indulgentias acquirendas praescriptam; necnon ut explicetur, an ad easdem lucrandas liceat sacra Synaxi refici in pervigilio diei festi, pro quo declarantur concessae; eadem Sacra Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali sub die 15 Aprilis proxime praeteriti, auditis Consultorum votis, omnibusque mature perpensis, censuit, *licere ad praefatum effectum, Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis*; *quo vero ad petitam explicationem respondendum censuit: Firmo remanente decreto 9 Decembris 1763 pro iis fidelibus, qui ad Confessionem saltem semel in hebdomada accedunt: pro ceteris autem fidelibus, in locis, in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter Confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur dictum decretum, et, facto verbo cum Sanctissimo, extendatur ad omnes utriusque sexus Christifideles, ut Confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpae post peractam Confessionem commissae conscii sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam jubilaei concessas, ut in citato decreto 9 Decembris 1763.*

Factoque verbo cum Sanctissimo in Audientia habita per me infrascriptum Secretarium die 11 Junii 1822, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis votum benigne approbavit, ac publicari mandavit.

Datum Romae die 12 Junii 1822.

G. Card. ab Auria **Pamphily** Praef.
Pro R. P. D. Bernardo **Ugo** Secret.
Petrus Canonicus **Torraca** Substitutus.

253.

1822 20 Augusti. Varia dubia.

Montis Falisci. Tria dubia Sacrae Congregationi Indulgentiarum solvenda proponit Franciscus Fioroni, rector collegiatae et parochialis ecclesiae B. M. V. Assumptae, necnon Vicarius foraneus Capitis Montis, Montis Falisci dioecesis:

1° *Parochus, delata Communione infirmo, illum hortatur, ut unum Pater et Ave devote recitet pro consecutione indulgentiarum de quibus sermo est in Rituali Romano, titulo de Communione infirmorum. Quaeritur, an dictas indulgentias revera etiam ipse infirmus lucrari possit, et quatenus negative, supplicatur pro benigna earumdem concessione ad utilitatem spiritualem infirmi languentis, qui in gravi periculo vitae versatur.*

2° *Cum ex Sacrae Congregationis Indulgentiarum decreto diei 19 Maji 1759 Confessio sacramentalis ad acquirendam indulgentiam peragenda omnino sit, etiam ab iis, qui lethalis peccati conscii non sunt post ultimam Confessionem, quaeritur, an sacramentalis quoque absolutio necessaria sit pro iis, qui post ultimam Confessionem nullum peccatum veniale admiserunt; vel si in aliquam levem culpam prolapsi sunt, opportunum confessario videatur, absolutionem non esse eisdem impertiendam?*

3° *An ad lucrandas indulgentias tam directe quam indirecte pro defunctis concessas, status gratiae necessario requiratur?*

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 20 Augusti 1822 respondit:

Ad 1m: *Negative in omnibus.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Dilata.*

Pro R. P. D. Bernardo Ugo Secret.
Petrus Can. Torraca Substitutus.

254.

1824 24 Januarii. Reliquiae.

Urbinaten. Cum sicut humillime exponebatur ex parte Archiepiscopi Urbinaten., haeredes familiae *Bonaventura* inter cetera bona ad ipsos spectantia, nonnullas Sanctorum reliquias haereditasse, praesertim vero corpus S. Alexandri Martyris, necnon cives desiderium ac devotionem illas possidendi ac venerandi ostendisse; cum autem *haec sit Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo,* cumque proprium sit, ut locorum Ordinarii, debitum ipsarum Reliquiarum (iisdem recognitis) cultus et venerationis incrementum quaerant et augeant, hinc SSmus D. N. Leo

PP. XII Archiepiscopi Oratoris precibus annuens in Audientia die 24 Januarii 1824 habita per me infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Secretarium, decrevit et statuit, ut idem Archiepiscopus Urbinaten. praenuntiatas Reliquias, ne in contemptionem incidant, recognoscat, et proprio sigillo munitas una cum S. Alexandri Corpore apud se ipsum retineat, ad effectum donandi alicui ecclesiae pro suo arbitrio eligendae, ut publicae fidelium venerationi exponantur.

A. Archiepiscopus Trapezuntin. Secret.

255.

1824 22 Decembris. **De suspensione indulgentiarum in jubilaeo.**

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem, necnon dubiorum interpretationem; cum non obstante Brevi emanato a SSmo D. N. Leone PP. XII, quod incipit *Cum Nos nuper* quoad universale jubilaeum, nonnulla oborta sint dubia:

1° *An suspensa censeatur indulgentia plenaria occasione Benedictionis solemnis ab Episcopis impertiri solitae in aliquibus diebus solemnioribus?*

2° *An etiam inter indulgentiarum suspensionem locum teneat indulgentia* della Crociata *nuncupata?*

Hinc ut ista dubia penitus amoveantur, Sacra eadem Congregatio de mandato SSmi D. N. Leonis XII habita in Palatio Vaticano die 19 Decembris 1824, re praevio diligenti examine discussa, fuit in voto:

Ad 1^m^: *Affirmative.*

Ad 2^m^: *Ad mentem SSmi.*

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione SSmo D. N. in Audientia habita die 22 Decembris 1824, Sanctitas Sua ipsius Sacrae Congregationis votum quoad primum approbavit; quoad vero secundum commisit mihi infrascripto, ut Eminentissimo Domino de Somalia, Secretario Status, patefacerem suam mentem, videlicet, ut Nuntiis Hispaniarum, Portugalliae, Algarbiorum et utriusque Siciliae regni notum

faceret, quod attentis peculiaribus temporum circumstantiis ex speciali gratia, et in exemplum non afferenda, Sanctitas Sua pro hac vice clementissime annuit, ut indulgentiae *Cruciatae* hoc anno jubilaei haud suspensae remaneant.

A. Archiepiscopus Trapezuntin. Secret.

256.

1826 1 Julii. Visitatio capellae loco ecclesiae.

Pisan. Cum in hac Sacra Congregatione Indulgentiarum propositum fuerit dubium, *an visitationes a Christifidelibus peractae in capella S. Sebastiani loci Pontedera nuncupati dioecesis Pisanae pro consequutione jubilaei fuissent validae, cum aliunde ecclesia praeposituræ fuerit ab Ordinario ad hunc effectum designata?* SSmus audita relatione die 1 Julii 1826 per me infrascriptum hujus Sacrae Congregationis Secretarium ad tollendam omnem dubitationem declaravit, visitationes peractas et peragendas in praedicta capella S. Sebastiani, utpote quae facit partem ejusdem ecclesiae praepositurae, et in qua adservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, validas fuisse, necnon valituras fore pro consequendo jubilaeo. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

A. Archiepiscopus Trapezuntin. Secret.

257.

1836 20 Junii. Varia dubia.

Aturen. Episcopus Aturen. Sanctitatem Vestram humiliter rogat, ut sequentibus dubiis et quaesitis per Sacram Indulgentiarum Congregationem respondere dignetur:

1° *Multoties ad dealbandas parietes, ab iis disjunguntur simul vel successive quatuordecim cruces vel imagines Viae Crucis, aliquando ex una ecclesia in aliam transferuntur vel in oratorium; quaeritur an amittantur benedictio et indulgentiae?*

2° *Ad lucrandas indulgentias Viae Crucis in ecclesia vel oratorio erectae adnexas, requiriturne recitatio sex Pater et Ave post quatuordecim stationes?*

3° *Quando propter gravem causam accidentalem Ordinarius praecipit vel approbat Orationem Quadraginta Horarum dictam, possuntne fideles indulgentiam plenariam lucrari positis de jure ponendis?*

4° *Facultas data die 12 Junii anni 1822 confitendi sua peccata infra octo dies, quae praecedunt festum, cui adnexa est indulgentia plenaria, extenditurne ad dies Orationi 40 horarum consecratas, et Communio potestne fieri die praecedente, modo visitetur SSmum Sacramentum fidelium adorationi expositum?*

5° *Possuntne applicari indulgentiae coronis, seu annulis argenteis, vel aureis, in quibus sculpti sunt globuli decem ad recitandum Rosarium, vel tertiam ejus partem?*

6° *Possuntne indulgentiis S. Birgittae dictis donari coronae precatoriae quinque et non sex decadum? Post quamlibet decadem requiriturne recitatio Symboli Apostolorum ad lucrandas indulgentias?*

7° *Licetne, aut saltem convenitne iterum applicare indulgentiam in articulo mortis 1° quando aegrotus accepit applicationem in statu peccati mortalis? 2° quando post applicationem in peccatum relapsus est? 3° quando post applicationem diuturna labor(at) aegritudine, uno verbo, quando Rituale permittit, aut praecipit iterationem Extremae Unctionis, aut confessarius judicat iterandam esse absolutionem?*

Sac. Congregatio die 20 Junii 1836 respondit:

Ad 1m: *Non amittuntur benedictio et indulgentiae, si una vel altera tantum crux removeatur a pariete ecclesiae ad illam dealbandam; sed si simul omnes cruces removeantur, ut postea iterum ponantur in dicta ecclesia, fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam ecclesiam vel oratorium translatae sint cruces sine Apostolica facultate.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Quoad* Confessionem *Affirmative, i. e. extenditur etiam ad indulgentiam lucrandam in Oratione XL horarum concessam; quoad* Communionem peragendam die praecedente, *Negative.*[1])

[1]) Vide tamen decretum Urbis et Orbis diei 6 Octobris 1870.

Ad 5^{m}: *Negative pro indulgentiis Rosarii recitationi concessis.*

Ad 6^{m}: *Negative quoad primam partem, nisi habeantur peculiares facultates; Affirmative quoad secundam partem, si dicatur corona sex decadum S. Birgittae nuncupatae.*

Ad 7^{m}: Ad 1^{m} et 2^{m}: *Negative*; ad 3^{m}: *prout jacet, Negative pariter in omnibus.*

258.

1837 13 Novembris. Via Crucis.

Cameracen. Vicarius Generalis dioecesis Cameracensis humiliter quaerit:

Utrum indulgentiae, quae lucrantur in visitatione stationum Viae Crucis cessent, si quaedam tabulae vel cruces, non omnes, neque major pars tollantur vetustatis causa, et in earum locum absque facultate Pontificia novae tabulae vel cruces substituantur?

Et quatenus Negative,

2° *Utrum novae praefatae tabulae vel cruces gaudeant indulgentiis, quibus gaudebant veteres?*

Sac. Congregatio die 13 Novembris 1837 respondit:

Cum ad lucrifaciendas indulgentias, quae pro stationum Viae Crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio, sed crucium, proinde si ob vetustatis causam ipsae tabulae removeantur, ac in earum locum, etiam absque Pontificia facultate, novae tabulae substituantur, indulgentiarum concessio perseverat; imo etsi cruces ipsae, quae solae necessario requiruntur, ob eamdem rationem, vetustate scilicet labentes renovari debeant, dummodo earum non sit major pars, nec nova erectione opus est, nec indulgentiarum beneficium amittitur.

H. Ginnasi Secret.

259.

1838 2 Junii. Via Crucis.

Bituricen. Multi Doctores contendunt, ad lucrandas sacrae Viae Crucis indulgentias omnino necessarium esse, recitare sexies Orationem Dominicam, et Angelicam Salutationem post absolutas omnes stationes; cum autem haec conditio a paucis fidelibus adimpleatur, Superior Jesuitarum quaerit:

An sine praedicta Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis recitatione indulgentiae stationum Viae Crucis lucrari queant, necne?

Sac. Congregatio die 2 Junii 1838 respondit:

Recitatio Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione, quam sexies easdem preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria conditio ad lucrifaciendas Viae Crucis indulgentias, uti clare aperteque declaravit Sacra Congregatio Indulgentiis praeposita in admonitionibus servandis pro Viae Crucis exercitio peragendo, jussu et approbatione editis tum Clementis XII sub die 3 Aprilis 1731, tum Benedicti XIV sub die 10 Maji 1742.[1])

H. Ginnasi Secret.

260.

1838 11 Junii. De eleemosynis colligendis in Confraternitate.

Cameracen. Episcopus Cameracensis exponit, legem totam dioecesim afficientem promulgatam fuisse quoad Sodalitates canonice erectas; quae lex fert, ut a duobus confratribus singulis anni Dominicis diebus quaestuando argentum colligatur. Cum vero a §. 8 Bullae Clementis VIII hoc prohibeatur, quaerit:

Utrum ob factum, quod lex praelaudata ferebat, Sodalitatum associationes nullae sint, ita ut confratres privilegiis et indulgentiis frui nequeant.

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, ac re mature perpensa, die 11 Junii 1838 respondit:

Nihil obstare juxta citatam Clementis VIII Constitutionem §. 8, quominus Confraternitates eleemosynas colligant juxta legem totam dioecesim afficientem ab Ordinario praescriptam erogandas in ecclesiae seu oratorii reparationem atque ornatum, vel in alios pios usus de consensu ejusdem Ordinarii; proindeque Sodalitatum associationes sustineri, et confratres privilegiis et indulgentiis gaudere.

261.

1838 20 Junii. Via Crucis.

Cameracen. Episcopus Cameracensis exponit, quod in sua dioecesi arbitrabatur, indulgentias stationum Viae Crucis tabulis, et non crucibus adnexas fuisse. Ex hoc ortum est,

[1]) Cfr. decret. Aturen. diei 20 Juni 1836 ad 2.

quod in pluribus ecclesiis, ubi erectae existunt stationes Viae Crucis, tabulae tantum apparent. At cum id bona fide factum fuerit, supplicat pro facultate adnectendi omnes indulgentias Viae Crucis stationibus jam erectis, quamvis tabulae tantum appareant, et hoc ne scandalum oriatur in populo.

De quo facto verbo cum Sanctissimo die 20 Junii 1838 per me infrascriptum Secretarium,

SSmus, attenta bona fide, convalidavit stationes hucusque erectas sine crucibus, ac mandavit, ut idem Episcopus Orator sive per se, sive per ejus Vicarium cruces ligneas privatim benedicat, easque benedictas stationibus sic jam erectis superponat meliori quo fieri potest modo, ne scandalum oriatur.

C. Card. **Castracane** Praef.
H. **Ginnasi** Secret.

262.

1838 10 Julii. **De indulgentia perpetua.**

Faventina. Proposito dubio huic Sacrae Congregationi ex parte Vicarii Ordinis Minorum Observ. S. Francisci vulgo de Cotignola, dioecesis Faventinae:

Utrum indulgentia perpetuis futuris temporibus concessa pro ecclesia S. Francisci dicti loci acquirenda a Christifidelibus uno ex diebus octidui Paschatis Resurrectionis, adhuc vigeat, cum nonnullis abhinc annis eadem perpetua indulgentia data sit ad septennium a Pio VIII s. m. nulla facta mentione de perpetua concessione praecedenti?

Eadem Sac. Congregatio die 10 Julii 1838 respondit:
Vigere.

263.

1838 24 Septembris. **Circa pulsation. campanae hor. 21, et de benedictione in art. mortis.**

Veronen. Episcopus Veronensis petit solutionem dubiorum, ut infra:

1° *Ex Constitutione Benedicti XIV Summi Pontificis diei 13 Decembris 1740 conceditur indulgentia in memoriam agoniae D. N. J. Ch. pro singulis sextis feriis; num pulsatio campanae*

fieri debet hora tertia post meridiem, ut innuit laudata Constitutio, vel hora 21 horologii Italici, ut vult libellus Romae editus anno 1834 inscriptus Raccolta di orazioni, e pie opere etc. Typis Perego-Salvioni?

2° *Utrum benedictio Apostolica pluries impertiri possit infirmis, novo mortis periculo redeunte?*

Sac. Congregatio die 24 Septembris 1838 respondit:

Ad 1m: *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam juxta Romanam consuetudinem.*

Ad 2m: *Negative, eadem permanente infirmitate etsi diuturna; Affirmative, si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.*

264.

1838 28 Septembris. Varia dubia.

Aturen. Episcopus Aturensis deprecatur pro solutione dubiorum, quae sequuntur:

1° *An vigore decreti 12 Junii 1822 possint omnes Christifideles ad lucrandam indulgentiam festivitati cuidam adnexam confiteri intra octo dies festivitatem hanc praecedentes? Et in hypotesi negativa deprecatur, ut haec facultas concedatur fidelibus dioecesis Aturensis propter inopiam confessariorum.*

2° *An possint fideles post quamlibet Communionem, quae sequitur Confessionem hebdomadalem lucrari indulgentiam die 10 Aprilis 1821 concessam orationi:* En ego, o bone et dulcissime Jesu?

3° *Ex responsis Sacrae Congregationis die 20 Junii 1836 ad lucrandas indulgentias S. Birgittae dictas, requiritur corona precatoria sex decadum, nisi habeantur peculiares facultates, benedicendi coronas quinque decadum cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae, sed requiriturne recitatio Symboli* Credo *post quamlibet decadem? Et in hypotesi affirmativa deprecatur, ut dispensatio ab hac duplici conditione ipsi concedatur, et extendatur ad facultatem jam obtentam die 30 Aprilis 1836 ad quinquennium applicandi coronis precatoriis indulgentias S. Birgittae, quia non sunt in usu coronae precatoriae sex decadum, nec recitatio Symboli* Credo *post quamlibet decadem.*

4° *An de novo benedicendae sint cruces et imagines Viae Crucis ad tempus a parietibus disjunctae propter rationabilem causam?*

5° *Insuper deprecatur idem Episcopus Aturen. ut favores per indultum Clementis XIII 9 Decembris 1763 Confessioni hebdomadali adnexi extendantur ad Confessionem bis in mense factam propter inopiam confessariorum et locorum distantiam, praecipue pro sacerdotibus ruri degentibus etc.*

Sac. Congregatio die 28 Septembris 1838 respondit:

Ad 1m: *Negative quoad primam partem; quoad secundam recurrat Episcopus ad hanc Sacram Congregationem pro gratia, ut Confessio scilicet peracta a fidelibus suae dioecesis infra hebdomadam ante festivitatem, attenta confessariorum inopia, suffragari possit ad indulgentias acquirendas.*

Ad 2m: *Affirmative; adnotandum vero est, quod in cit. decreto diei 10 Aprilis 1821 a s. m. Pio PP. VII non modo concessa erat plenaria indulgentia, verum etiam liberatio unius animae a purgatorii poenis; nunc vero per decretum Leonis PP. XII fel. rec. diei 17 Septembris 1825 confirmatur praefata indulgentia, sed loco praedictae liberationis additum est: cum facultate eamdem indulgentiam in suffragium defunctorum fidelium applicandi.*

Ad 3m: *Quoad primam partem jam responsum est Affirmative die 20 Junii 1836, nisi habeantur peculiares facultates; quoad secundam duplex dispensatio postulatur:* 1° *benedicendi coronas, etiamsi sint quinque decadum, cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae,* 2° *omittendi Symbolum Apostolicum in fine cujuslibet decadis; cui respondetur:* Ad 1m: *Non indigere, vigore Rescripti ad quinquennium sub datum diei 30 Aprilis 1836;* ad 2m: *Negative.*

Ad 4m: *In casu, de quo agitur, cruces non sunt iterum benedicendae; quoad imagines vero, numquam benedicuntur.*

Ad 5m: *Negative, et quoad inopiam confessariorum (idem dicendum de locorum distantia) jam provisum pro festivitatibus, quibus adnexa est indulgentia plenaria, ex citato decreto diei 12 Junii 1822.*

265.

1838 17 Decembris. Indulgentiae apocryphae.

Massilien. Titius, civitatis Massiliensis, apud se possidet ac retinet devotam quamdam Deiparae Virginis effigiem in tabula coloribus pictam, cui Episcopus Ordinarius adnexuit quadraginta dierum indulgentiam acquirendam a Christifidelibus nonnullas preces ante ipsam recitantibus. Rursus alios Episcopos, quotquot per illam civitatem transeunt, idem Titius exorat, ut unusquisque alios quadraginta dies de indulgentia praefatae imagini concedat.

Quaeritur a Sacra Congregatione:

Quid dicendum sit de praedictis concessionibus, quidque de Episcopis transeuntibus sine permissu Ordinarii indulgentias concedentibus?

Sac. Congregatio die 17 Decembris 1838 respondit:

Indulgentiae, quae ut supra a nonnullis Episcopis pro aliquibus precibus recitandis ante imaginem B. M. V. sunt impertitae, nullius roboris sunt ac momenti, ac revera apocryphae,[1] *praeter illam nempe quadraginta dierum, quam prima tantum vice Episcopus dioecesanus ex jurisdictione sibi dumtaxat competenti est elargitus.*

266.

1839 7 Januarii. De benedictione papali.

Incerti loci. Titius suum habet domicilium prope plateam, ubi quibusdam solemnioribus anni diebus coadunatur populus pro papali benedictione accipienda, quam Episcopus dioecesanus solet impertiri. Idem Titius per fenestras domus suae, quae plateam respiciunt, accipit praefatam benedictionem simul cum tota familia et nonnullis extraneis, qui hac de causa ad praedictam domum accedunt. At vero cum Moniales ejusdem loci in monasterio non longe distanti ab ipsa platea degentes Apostolicam dispensationem impetrarunt pro dictae papalis benedictionis consequutione, dubitatur a Titio:

Utrum ipse quoque dispensatione indigeat, an potius in plateam descendere sit obligatus?

[1]) Vide decretum diei 12 Januarii 1878.

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 7 Januarii 1839 respondit:

Titius ejusque familia, necnon et omnes, qui apud ipsum actu inveniuntur, habita ratione localitatis ipsius, vere praesentes considerandi, et indulgentiam, quae in Episcopali benedictione populo impertitur, reapse consequuntur; minime vero Moniales, quae etiamsi non longe distent, tamen ut absentes ex earum localitate merito sunt habendae.

267.

1839 15 Januarii. **De indulgentia „quoque defunctis applicabili".**

Bononien. Archipresbyter S. Mariae loci vulgo Baricella, dioecesis Bononiensis, obtinuit per Breve diei 2 Sept. 1831 indulgentiam plenariam acquirendam in festo Nativitatis B. M. V. applicabilem quoque fidelibus defunctis per particulam: *quam etiam.*

Quaerit igitur:

An vi praefatae particulae haec indulgentia intelligenda sit inclusive, seu exclusive, videlicet aut pro vivis tantum, vel pro defunctis, sive pro vivis atque defunctis eodem tempore?

Sac. Congregatio die 15 Januarii 1839 respondit:

Quando in concessionibus indulgentiarum apponuntur haec verba quam etiam, *aut similia, ut intelligatur easdem indulgentias applicabiles esse etiam animabus in purgatorio detentis, exclusive tantum accipienda sunt, ita ut Christifidelis ad libitum aut pro se, aut pro defunctis tantum lucrari possit, et valeat.*

268.

1839 15 Januarii. **Corona S. Birgittae.**

Vivarien. Episcopus Vivariensis enixe postulat sequentium dubiorum solutionem:

1° *Utrum corona S. Birgittae dicta necessario constare debeat sex decadibus?*

2° *Utrum in singulis decadibus, praeter decem* Ave Maria, *et* Pater, *recitandum sit* Credo?

Ratio dubitandi est quod ex una parte 1° pars affirmativa satis aperte innuatur in libro, cui titulus *Raccolta di Orazioni, e pie Opere per le quali sono state concedute dai*

SS. Pontefici le SS. Indulgenze, ediz. 7 pag. 197; 2° quodsi id non requiratur, corona S. Birgittae nonnisi nomine differt a simplici corona. Ex altera autem parte 1° haec opinio est omnino usque nunc, saltem in Gallia, inaudita, et 2° ex eodem libro supra citato ad lucrandas indulgentias sufficit recitare quinque decades, sicut in simplici rosario.

Sac. Congregatio die 15 Januarii 1839 respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Affirmative, si recitetur stricte loquendo corona S. Birgittae nuncupata, de qua ipsamet auctrix fuit, in memoriam, ut fertur, sexaginta trium annorum B. M. V.; negative autem si, utendo praedicta corona, recitentur quinque vel quindecim decades rosarii, seu simplicis et communis coronae. Ex responsionibus vero patet, realiter coronam S. Birgittae a simplici et communi corona seu rosario differre, non tamen solo nomine, ut supra putatur in dubiis; nam 1° ipsa quinque, vel quindecim decadibus, illa sex decadibus tantum constare debet; quodsi simplici coronae quinque decadum saepe adnectuntur indulgentiae S. Birgittae nuncupatae, hoc nonnisi Apostolica dispensatione indulgetur; differunt 2° quia una in memoriam componitur B. M. V. annorum, altera mysteria Nativitatis, Passionis et Gloriae Christi Domini complectitur; differunt 3° pro indulgentiarum varietate: coronam scilicet divae Birgittae quamplurium indulgentiarum Leo X, Clemens XI s. m. concessione ditarunt, ac Benedictus XIV eas confirmavit et auxit pro recitantibus, vel secum ipsam ferentibus; rosarium vero B. M. V., seu simplex corona, a fel. rec. Benedicto XIII nonnullis indulgentiis pro ejusdem recitatione solummodo donata est; differunt tandem 4° etiam pro diversitate benedictionis, qua utraque decoratur: una nempe a Superioribus Ordinis SS. Salvatoris, seu S. Birgittae, altera vero a PP. Ordinis Praedicatorum est omnino benedicenda. Quod autem opinio haec lucrandi scilicet indulgentias S. Birgittae cum sola recitatione sex decadum non sit absolute in Gallia saltem inaudita, satis constat ex responsionibus, quae nonnullis aliis Galliarum dioecesibus superioribus annis, et praesertim die 28 Septembris 1838 ab hac Sacra Congregatione datae sunt.*

269.

1839 28 Januarii. De nova canonica erectione Confraternitatis S. Waldetrudis.

Tornacen. Episcopus Tornacensis Sacrae Congregationi hoc dubium solvendum proposuit:

Inter chartas, quae in ecclesia S. Waldetrudis, dioecesis Tornacensis, asservantur, inveniuntur Bullae et decreta episcopalia, quibus conceditur facultas erigendi Confraternitatem dictae S. Waldetrudis, sed dubitatur, an praefata Confraternitas umquam erecta sit, vel an defectu confratrum desierit existere. Cum vi et tenore Bullarum Confraternitas in perpetuum erigenda esset, petitur, an nova erectione canonica opus sit ad instaurandam hanc Confraternitatem, vel, si nondum erecta fuit, Bullis et decretis praedictis uti nunc adhuc liceat?

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, die 28 Januarii 1839 declaravit:

Non indigere nova canonica erectione pro Sodalitate S. Waldetrudis instauranda; ac si etiam ob defectum confratrum ipsa desierit, tamen indulgentiae ac privilegia in enuntiata Bulla contenta minime amissa esse; proindeque vigere.

270.

1839 30 Januarii. Varia dubia.

Lingonen. Vicarius Generalis, et Moderator Generalis piarum Sodalitatum intra dioecesim Lingonensem, a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita expetit responsionem ad infrascripta dubia; scilicet:

1° *Utrum sacerdos rector Sodalitatis B. M. V. de Rosario olim canonice erectae sive per PP. Ordinis Praedicatorum, sive per indultum speciale Apostolicum, habeat eo ipso, quod sit rector dictae Sodalitatis, facultatem benedicendi rosaria, et quidem pro omnibus Christifidelibus cum applicatione indulgentiarum, quas applicant dicti PP. Ordinis Praedicatorum?*

2° *Utrum quando stationes Viae Crucis canonice erectae designantur per depictas imagines, indulgentiae dictae Viae Crucis sint adnexae praedictis imaginibus, an vero loco ipsi in quo collocantur?*

3° *Utrum quando praedictae imagines de loco primo amoventur, et in alio reponuntur, eo ipso cessent indulgentiae?*

4° *Utrum in praedicto casu indulgentiae remaneant affixae loco primo, an vero sequantur imagines?*

5° *Utrum quando praedictae imagines primitus benedictae omnino pereunt, aut penitus tolluntur, sufficiat ipsarum loco substituere novas imagines cum simplici benedictione sine nova erectione, an vero necessaria sit nova facultas erigendi?*

Sac. Congregatio die 30 Januarii 1839 respondit:

Ad 1m: *Negative, nisi in diplomate erectionis, sive in indulto Apostolico addita sit facultas rectori pro tempore rosaria benedicendi, atque illis consuetas indulgentias applicandi.*

Ad 2m: *Negative quoad utramque partem; etenim indulgentiae crucibus tantum sunt adnexae, quae quidem solae sunt benedicendae, minime vero imaginibus.*

Ad 3m: *Affirmative, si sermo sit de crucibus, ut in secundo dictum est.*

Ad 4m: *Si stationes Viae Crucis per cruces erectae a loco removeantur, ubi canonice erectae fuerint, et in alium transferantur, indulgentiae nec primo loco affixae remanent, nec cruces sequuntur, sed nova canonica erectio requiritur.*

Ad 5m: *Si cruces primitus benedictae omnino pereunt, iterum canonica erectio necessaria est; si pereant ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla benedictione; si penitus tolluntur aliqua peculiari ratione, et ad tempus tantum, ut denuo eidem loco restituantur, nec erectione, nec benedictione opus est ad indulgentias lucrifaciendas.*

271.

1839 22 Martii. De Coronis.

Vivarien. Vicarius Generalis et Officialis dioecesis Vivarien. exponit, quod juxta Rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum datum sub die 15 Januarii 1839 simplici coronae precatoriae ex quinque scilicet, vel quindecim decadibus constanti, adnecti nequeunt indulgentiae S. Birgittae nuncupatae, nisi hoc Apostolica dispensatione indulgeatur. Quaerit nunc:

1° *Utrum haec dispensatio, quae ut supra requiritur, in sequenti concessione contineatur; videlicet: Sanctissimus etc. Oratori est elargitus facultatem benedicendi cruces, crucifixos, sacra numismata, et coronas precatorias, eisdemque applicandi omnes et singulas indulgentias a Sanctitate Sua concessas, ut in elencho typographiae Rev. Cam. Apost. edito anno 1831, ac etiam indulgentias S. Birgittae nuncupatas?*

2° *Utrum indulgentiae applicari possint coronis precatoriis ex chalibe polito (acciajo polimentato) factis?*

Sac. Congregatio die 22 Martii 1839 respondit:

Ad utrumque: *Affirmative.*

272.

1839 27 Maji. Altare privilegiatum personale.

Meliten. Caeremoniarius ecclesiae cathedralis dioecesis Meliten. quaerit a Sacra Congregatione:

An sacerdos, qui gaudet privilegio altaris personalis, si aggregatus sit alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudet, possit adhuc frui hoc alio privilegio, cum aliunde jam habeat per tres, aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium?

Sac. Congregatio die 27 Maji 1839 respondit, auditis quoque Consultorum votis:

Affirmative, dummodo in indultis, de quibus mentio fit in ipso dubio, aliter expresse non disponatur.

273.

1839 1 Julii. De meditatione mysteriorum et de promulgatione indulgentiarum.

Calcedonien. Ex dioecesi Calcedonien. in Bythinia proposita fuerunt sequentia dubia:

1° *Quando coronis B. M. V. de licentia S. Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum indulgentiis divae Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes tenenturne meditari quindecim mysteria D. N. J. C. ut indulgentias percipere valeant?*

2° *Daturne eadem obligatio mysteria meditandi, quando coronis applicata fuit benedictio cum indulgentiis ordinariis?*

3° *Si affirmative respondeatur, oblatio specialis mysteriorum debetne fieri antequam singulae decades recitentur?*

4° *Debetne fieri mentio specialis mysterii in recitatione Sal- tationis Angelicae, dicendo, v. gr., post haec verba: ventris t Jesus haec alia: quem concepisti, vel quem visitando Elisabe portasti etc. vel quem peperisti etc.?*

5° *Estne libera electio mysteriorum, quae recoli debent i recitandis coronis B. M. V., aut danturne dies stricte determina pro tali, vel tali genere mysteriorum recolendo, ita ut tali d determinato recoli debeant mysteria gaudiosa, tali die doloros tali die gloriosa?*

6° *Quando Summus Pontifex indulgentiam quamlibet conced Urbi et Orbi, ut fideles talem indulgentiam in variis dioecesib lucrari possint, requiriturne, ut haec indulgentia ab Ordinar locorum promulgetur, an sufficit e contra, ut certi sint, praedicta indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam?*

Sac. Congregatio die 1 Julii 1839 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Negative, si benedictio respiciat indulgentias consuet quae citantur ut in elencho ex typographia Rev. Cam. Apost. an 1831 edito; Affirmative, si coronae benedicantur cum indulgent pro recitatione Rosarii.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Negative, quia quando requiritur meditatio myst riorum pro acquirendis indulgentiis, sufficit meditatio ment eodem tempore, quo recitantur Oratio Dominicalis et Angeli Salutationes, ut ex decreto Sacrae hujus Congregationis diei 13 A 1726 a Benedicto XIII approbato.*

Ad 5m: *Affirmative quoad primam partem; quoad vero sec dam, invaluit consuetudo, ut per gyrum cujuslibet hebdoma singula mysteria ita recolantur, nempe gaudiosa in secunda quinta feria, dolorosa in tertia et sexta, gloriosa tandem in D minica, quarta feria et sabbato.*

Ad 6m: *Negative quoad primam partem, Affirmative quo secundam.*

274.

1839 10 Septembris. Indulgentia in forma jubilaei.

Anicien. Postulaverat ecclesiae Aniciensis Antistes Apostolica Sede renovationem indulgentiae plenariae, q

inter gratias, quibus ipsa ecclesia fuerat ditata, celebris et singularis eminebat in forma jubilaei, quaeque lucrifacienda fidelibus proponebatur in festivitate et octiduo Beatissimae Virginis ab Angelo Annuntiatae, praesertim quando haec ipsa festivitas cum sexta feria majoris hebdomadae concurrit. Verum SSmus D. N. Gregorius PP. XVI ejusdem Antistitis precibus inclinatus, cum indulgentias jubilaei nisi ex expresso ejus mandato, si opportunum judicaverit, indicendas omnino prohibuerit, supraenuntiatam indulgentiam plenariam confirmatam esse voluit, minime vero in forma jubilaei, tam pro festo, quam pro octiduo Annuntiationis, unica dumtaxat vice praefatorum dierum spatio per unumquemque Christifidelem acquirendam; dummodo tamen rite dispositi fuerint, ceterasque appositas conditiones adimpleant ac servent; facta demum potestate praedictam indulgentiam animabus in purgatorio detentis per modum suffragii applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae die 10 Septembris 1839.

C. Card. **Castracane** Praef.
H. **Ginnasi** Secret.

275.

1839 20 Septembris. **Via Crucis.**

Aginnen. Vicarius Generalis dioecesis Aginnen. in Gallia expostulat solutionem nonnullorum dubiorum de indulgentiis, quibus gaudet Via Crucis rite erecta.

1° *An pereant indulgentiae, cum Cruces, vel imagines quatuordecim stationum aut partim, aut integre, quacumque de causa e loco suo amoveantur, etiam ad breve tempus?*

2° *An pereant, cum novae imagines, servatis crucibus, aut vice versa, novae cruces, servatis imaginibus, in locum aliarum pariter aut partim, aut integre sufficerentur?*

3° *An pereant indulgentiae, si cruces et imagines meliori modo disponantur?*

Sac. Congregatio die 20 Septembris 1839 respondit:

Ad 1m: *Indulgentiae Viae Crucis crucibus tantum sunt adnexae, minime vero imaginibus, quae necessariae non sunt. Hoc*

posito, si cruces, vel imagines quatuordecim stationum Viae Crucis aut partim, aut integre e loco suo moveantur ad tempus, ut denuo eidem loco restituantur, indulgentiae non pereunt.

Ad 2m: *Si cruces primitus benedictae omnino pereant, vel tollantur, iterum nova erectio et benedictio requiritur ad acquirendas indulgentias; si vero pereant, vel tollantur ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla nova erectione et benedictione; ideoque indulgentiae perseverant.*

Ad 3m: *Ob meliorem dispositionem crucium indulgentiae non amittuntur.*

276.

1839 23 Septembris. Via Crucis.

Claromonten. Episcopus Claromontensis gaudet facultate erigendi stationes Viae Crucis sive per se, sive per suos Vicarios Generales, sive per parochos; quaerit a Sac. Congregatione:

An quivis parochus subdelegari possit ad effectum erigendi stationes Viae Crucis in omnibus et singulis dioecesis parochiis, aut in sua tantum parochia?

Sac. Congregatio die 23 Septembris 1839 respondit:

Cum Episcopo data sit facultas ab Apostolica Sede subdelegandi etiam parochos indiscriminatim ad effectum erigendi stationes Viae Crucis in ecclesiis etc., idem Episcopus potest subdelegare quemvis parochum non modo in sua respectiva parochia, sed in qualibet ecclesia parochiali etc. prout in Domino opportunum judicaverit.

277.

1840 12 Februarii. Scapulare.

Claromonten. Idem Episcopus quaerit:

An ad lucrandas indulgentias s. scapularis necesse sit, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat, an vero sit sufficiens ipsum deferre absque distinctione circa modum?

Sac. Congregatio die 12 Februarii 1840 respondit:

Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.

278.

1840 12 Februarii. **Scapulare.**

Lemovicen. Vicarius Generalis dioecesis Lemovicensis expostulat a Sacra Congregatione solutionem dubiorum, prout infra:

1° *Color taneus pro scapularibus benedicendis et imponendis fidelibus itane stricte juxta regulas praescriptus est, ut diversitas coloris admissionem in dictam Confraternitatem nullam irritamque reddat?*

2° *Hujusmodi coloris diversitas suspenditne saltem fruitionem indultorum et indulgentiarum, quae adscriptis in dictam Confraternitatem, et gestantibus scapulare tanei coloris sunt concessae?*

Sac. Congregatio, auditis quoque Consultorum votis, die 12 Februarii 1840 respondit:

Negative quoad utrumque dubium, dummodo colori vulgo tanè subrogetur tantum alter consimilis, seu niger.

279.

1840 12 Februarii. **Scapulare.**

Incerti loci in Gallia. Parochus habens in propria parochia Confraternitatem sacri scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, ut plures ad eamdem attrahat, docet fideles suos, lucrandis indulgentiis non obstare (ne iis quidem, qui Officium divinum non recitant), 1° si abstinentiam in feria quarta non servent, 2° nec si 7 *Pater* et *Ave* singulis diebus non recitent, 3° si utrumque panniculum sacri habitus ex eadem parte pendentem et simul junctum deferant; 4° si eumdem sacrum habitum non supra pectus portent, sed ab humero transversim sub brachio quolibet.

Quaeritur igitur:

Utrum haec cum mente Concedentis concordent?

Sac. Congregatio die 12 Februarii 1840 respondit:

Christifideles, qui in Confraternitatem sacri scapularis ingrediuntur et legitime parvum habitum recipiunt, eumque semper deferunt e collo pendentem unaque sui parte pectus, altera scapulas contegentem, frui possunt omnibus indulgentiis a Summis Pontificibus concessis praedictae Confraternitati, dummodo tamen pia peragant

opera injuncta in concessione earumdem. Servare autem abstinentiam a carnibus quarta feria, necnon septies in die Orationem Dominicalem et Angelicam Salutationem recitare haud sunt conditiones generales pro lucrandis indulgentiis deferentibus sacrum scapulare concessis, sed pia tantum opera a confratribus peragenda, qui speciales indulgentias lucrari cupiunt.

280.

1840 7 Martii. Scapulare.

Cameracen. Quidam parochus dioecesis Cameracensis facultatem habet imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo: quaerit a Sac. Congregatione:

Utrum sibimet illud possit imponere?

Sac. Congregatio die 7 Martii 1840 respondit:

Affirmative quatenus haec facultas habeatur indiscriminatim, minime vero taxative, ex. gr. pro aliqua Monialium communitate tantum etc.

281.

1840 11 Aprilis. Varia dubia.

Incerti loci in Gallia. Quaeritur a Sacra Indulgentiarum Congregatione:

1° *Utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae, vel cujuscumque Sancti, etiamsi non sit semiduplex, aut duplex?*

2° *Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari?*

3° *Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur?*

4° *Utrum ad lucrandam indulgentiam plenariam Orationi:* En ego, o bone et dulcissime Jesu etc. *concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione Summi Pontificis?*

5° *Utrum ad indulgentias applicandas crucibus, rosariis etc. alius ritus sit necessarius praeterquam signum crucis a sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum?*

6° *Utrum indulgentia concessa cadat solum in Christum aere, ligno, vel ex alia quaque materia confectum, ita ut possit una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam?*

Sac. Congregatio die 11 Aprilis 1840 respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative.*
Ad 2m: *Affirmative.*
Ad 3m: *Ut in secundo.*
Ad 4m: *Negative.* [1]
Ad 5m: *Negative.*
Ad 6m: *Affirmative.*

C. Card. **Castracane** Praef.
H. **Ginnasi** Secret.

282.

1840 30 Junii. **Benedictio papalis.**

Lemovicen. Episcopus Lemovicensis facultatem obtinuit impertiendi bis in anno benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria; sed in ritu et formula hujus benedictionis praescribitur inter cetera, ut legantur Litterae Apostolicae ad hoc concessae, ante benedictionem impertiendam, atque etiam post benedictionem impertitam publicetur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae indulgentiae. Mos autem in ecclesia Lemovici a multis annis est, ut lectio Litterarum Apostolicarum supprimatur, ne diutius populus in ecclesia retineatur, loco vero Litterarum Apostolicarum legitur latino et vernaculo idiomate formula: *Attentis facultatibus etc.*, ut de delegatione constet. Quaerit:

An hic ritus et forma sufficiat ad lucrandam indulgentiam plenariam?

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis die 30 Junii 1840 respondit:

***Ritum** et formam, de quibus in precibus, attenta rationabili causa supra exposita, revera sufficere ad lucrifaciendam*

---

[1] **Ex novissima tamen declaratione Pii PP. IX diei 31 Julii 1858 necessarium est, ut Christifideles per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie orent. (cfr. Raccolta pag. 115).**

indulgentiam Apostolicae benedictionis, dummodo per formulam: Attentis facultatibus etc. *fidelibus constet, ex Pontificia delegatione tantum impertitam fuisse.*

283.

1840 28 Julii. Altare privilegiatum.

Sancti Flori. Episcopus S. Flori in Gallia quaerit: *Utrum per indulgentiam altari privilegiato adnexam intelligenda sit indulgentia plenaria animam statim liberans ab omnibus purgatorii poenis, an vero tantum indulgentia quaedam secundum divinae misericordiae beneplacitum applicanda?*

Sac. Congregatio, votis Consultorum auditis, die 28 Julii 1840 respondit:

Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus Clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.

284.

1840 28 Julii. De usu variarum facultatum.

Tarraconen. Beneficiatus Metropolitanae ecclesiae Tarraconensis ab Apostolica Sede obtinuit plures facultates, nempe: impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria iis, quibus adstiterit in eorum agone; benedicendi cruces, numismata etc. etiam cum indulgentiis S. Birgittae, indultum altaris privilegiati personalis tribus diebus in hebdomada; plenariam indulgentiam ab ipso bis in mense acquirendam; plenariam quoque in mortis articulo pro se, suis consanguineis et affinibus ad tertium gradum, necnon pro quinquaginta aliis personis ab eodem designandis. Nunc dubitat quoad ipsarum facultatum usum licitum et validum, orto dubio ex quadam declaratione Reverendissimi Domini Commissarii Generalis Cruciatae in Hispania. Iste enim anno 1833 typis mandavit libellum, in quo postquam asseruit, omnes gratias ac privilegia a Roma provenientia, in Hispania nullius esse valoris absque illius approbatione. Pag. 44 nu-

mero 2 ejusdem libelli hispanico idiomate editi haec habet: *Juxta ergo anteriorem facultatem, habet D. Commissarius Generalis facultatem agnoscendi et examinandi omnes indulgentias, gratias et privilegia, quae a S. Sede conceduntur quibuscumque personis, seu corporationibus horum regnorum, et effectum ullum habere nequeunt, nisi obtineant habilitationem, seu exsequatur ejusdem D. Commissarii. Neque etiam possunt typis mandari, nec publicari aliquae ex istis gratiis, nisi praecedat ipsius approbatio, seu licentia.*

Quaeritur nunc ergo:

Potest exponens absque approbatione, licentia, seu exsequatur D. Commissarii Generalis Cruciatae valide et licite uti, fruique facultatibus et gratiis supradictis?

Sac. Congregatio praeviis Consultorum votis die 28 Julii 1840 respondendum esse duxit:

Affirmative videlicet quoad usum et fruitionem dictarum indulgentiarum posse Oratorem licite et valide, sed private tantum iisdem uti gratiis; dummodo in nullius gravamen cedant, aut in praejudicium tertii, aut scandali occasionem non praebeant; et dummodo Orator hasce Apostolicas gratias et facultates sine licentia Commissarii praefati typis mandare non praesumat.

285.

1840 26 Augusti. — Ordo religiosus a civili potestate suppressus indulgentias suas non amittit.

Taurinen. Ex parte P. Praepositi Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, civitatis Taurinen., exponitur, quod anno 1815 per eamdem civitatem transeunte Pio VII s. m., sacerdotes ejusdem Congregationis, pedes Summi Pontificis osculantes, illum humiliter exorarunt pro concessione, seu prorogatione indulgentiarum ac privilegiorum, quibus jam ante suppressionem eadem Congregatio gaudebat, quibus idem Pontifex pulchre respondit, indulgentias et privilegia non amisisse, nam „*siete stati oppressi* (inquit), *e non soppressi; la soppressione non è stata legale*“ [1]); at vero pro majori eorum tranquillitate quaerunt a Sac. Congregatione:

---

[1]) *Oppressi estis,* inquit, et *non suppressi; suppressio minime fuit legalis.*

Quid sentiendum sit hac super re?

Sac. Congregatio die 26 Augusti 1840 respondit:

Oratores nulla indulgentiarum seu privilegiorum nova concessione ob allatum ab eodem Pontifice rationem indigere.

286.

1841 5 Februarii. **Varia dubia.**

Valentinen. Vicarius Generalis Capitularis ac Superior Trinitariarum, civitatis et dioecesis Valentinensis, quaerit a Sacra Congregatione:

1° *Utrum praefatae Trinitariae per diversas Galliarum dioeceses diffusae publicare possint in earum ecclesiis singulas indulgentias concessas earum Ordini S. Joannis de Matha usque in praesens, quatenus attenta revocatione s. m. Pauli V plurimarum indulgentiarum Ordinibus Regularibus concessarum dictae indulgentiae amplius subsistere non videntur?*

2° *Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes Viae Crucis, benedicendi cruces, numismata etc. debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis?*

3° *Utrum valide erectae sint Sodalitates, cum in Gallia, et praecipue in dioecesi Valentinensi servatus non sit modus praescriptus in Bulla Clementis VIII, relatus in Bibliotheca Ferraris; impetrato tamen a Sede Apostolica indulto, vi cujus, et juxta ejus tenorem erectio peracta sit, ac confecto verbali processu uniuscujusque erectionis in qualibet respectiva parochia?*

4° *Utrum in adscribendis fidelibus Sodalitati sacri scapularis liceat uti in plurali parva formula:* Accipe vir devote etc.?

5° *Utrum sufficiat recitatio Confessionis, idest* Confiteor *etc. in Sacramento Poenitentiae habita, pro recitatione illius praescripta, quando impertienda sit benedictio cum indulgentia in mortis articulo?*

6° *Utrum necesse sit tribus vicibus recitare* Confiteor *etc., quando administratur sacrum Viaticum, extrema Unctio, ac indulgentia in mortis articulo impertitur?*

7° *Utrum infirmus lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam?*

8° *Utrum sacerdos valide conferat indulgentiam plenariam in mortis articulo, omissa formula a Summo Pontifice praescripta, ob libri deficientiam?*

Sac. Congregatio die 5 Februarii 1841 respondit:

Ad 1^m^: *Negative. Possunt tamen promulgare indulgentias tantum earum Ordini concessas juxta Summarium recens constructum a Sacra Congregatione, ab eaque approbatum, non obstante revocatione s. m. Pauli V; dummodo praefatae Trinitariae canonice fuerint receptae.*

Ad 2^m^: *Affirmative quoad Viae Crucis erectionem, Negative relate ad alias facultates, nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus.*

Ad 3^m^: *Affirmative, exstante jam Sanctae Sedis indulto derogatorio Bullae, seu Constitutionis Clementis VIII.*

Ad 4^m^: *Affirmative juxta praepositam rubricam in precibus benedictionis sacri scapularis.*

Ad 5^m^: *Negative juxta praxim et rubricas, nisi necessitas urgeat.*

Ad 6^m^: *Affirmative juxta praxim et rubricas.*

Ad 7^m^: *Negative in eodem mortis articulo.*

Ad 8^m^: *Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva.*

H. Ginnasi Secret.

287.

1841 26 Februarii. **Via Crucis.**

Ditionis Helveticae. Ex parte Capucinorum Helveticae Provinciae dubium proponitur Sacrae Congregationi ut infra, nempe Benedictus XIV in suis Monitis ad recte peragendas Viae Crucis stationes, editis die 10 Maji 1742 et praecipue sub num. 7 sic ait: Che essendo eretta la Via Crucis nella Chiesa, i fedeli si astengano dal praticarla nel tempo degli Uffizj Divini, e della S. Messa, e quando in Chiesa vi sia tal concorso di popolo, che il farla possa ca-

gionar tumulto e disturbo, tanto più, che non essendovi impedimento, si devono visitare ad una ad una le Stazioni.[1]) Ex quo monito dubium oritur:

An Christifideles in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum indulgentias Viae Crucis lucrari?

Sac. Congregatio die 26 Februarii 1841 respondit:

Negative, absque speciali indulto. Singula enim Summorum Pontificum decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationum Viae Crucis indulgentiis, necessario requiri aliquem corporis motum, ut clarius declaratum est ab hac Sacra Congregatione nempe: Che si passi da una stazione all' altra per quanto permette o la moltitudine delle persone, che la visitano, o la ristrettezza del luogo dove sono erette.[2])

288.

1841 19 Martii. Confessio et Communio paschalis.

Urbis et Orbis. Delatis precibus ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam ex parte Episcopi Monasteriensis, in quibus dubium proponebatur: *Num is scilicet, qui in die festo Paschatis, quo Benedictio Papalis datur ab Episcopo, et ea de causa indulgentiae plenariae concessae sunt, pro acquirendis his indulgentiis SS. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipit, per hanc SS. Sacramentorum susceptionem etiam praecepto Ecclesiae de Communione paschali simul satisfaciat, aut num adhuc iterato ad haec SS. Sacramenta tempore paschali accedere teneatur?*

Sacra eadem Congregatio, auditis Consultorum votis, respondendum esse duxit: *Consulendum Sanctissimo.*

Factaque de omnibus Eidem SSmo D. N. Gregorio PP. XVI per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione in Audientia habita die 19 Martii 1841 Sanctitas Sua benigne declaravit: *Per Confessionem et Communionem die Paschatis*

---

[1]) Versionem latinam vide supra, p. 83.

[2]) Transeundum esse ab una statione ad aliam, in quantum sinit aut multudo personarum, quae eas visitant, aut angustia loci, ubi sunt erectae.

surrectionis peractam et indulgentiam plenariam Papali Be-lictioni adnexam lucrari, et satis praecepto Paschatis fieri.

Datum Romae die 19 Martii 1841.

C. Card. **Castracane** Praef.
A. Canonicus **Prinzivalli** Substitutus.

289.

1841 19 Martii. **Reliquiae.**

Rhedonen. Cum inter cetera Romani Pontificis Bene-cti XIV. Decreta de Servorum Dei Beatificatione et Bea-rum canonizatione praecipue sancitum sit, quod de San-orum corporum et reliquiarum identitate per probationes mas, etsi non metaphysica vel physica, saltem morali identia certas constare debeat, cumque Sacra haec Indul-ntiis Sacrisque Reliquiis praeposita Congregatio ex allata latione presbyteri Joannis Nevot, Vicarii Generalis Rhedo-nsis dioecesis, atque ex adnexis documentis super Lipsana u Reliquias S. Benitae firmis certisque probationibus ex orali evidentia deductis careat omnino, auditis Consultorum tis, rebusque mature libratis, die 19 Maji 1841 sic re-ondendum putavit:

Ordinarius utendo jure suo, examen instituat hac super re, lhibitis in consilium duobus vel tribus probatissimis viris in ali-a ecclesiastica dignitate constitutis, simulque oculari recognitione gnorum peracta, auditisque nonnullis Monialibus Carmelitis, apud as praefatae olim asservabantur Reliquiae, ut de visu certum stimonium perhibeant, hisque praehabitis, quae veritati et pietati nsentanea judicaverit, definiat atque decernat.

De quibus omnibus facto verbo cum SSmo D. N. Gre-orio PP. XVI, Sanctitas Sua ejusdem Sacrae Congregationis ecretum approbavit.

C. Card. **Castracane** Praef.
A. Canonicus **Prinzivalli** Substit.

290.

1841 29 Maji. **Portiuncula.**

Placentina. Fratres Ordinis Minor. Reformatorum civi-is Placentinae quaerunt a Sac. Congregatione:

Utrum in ecclesiis Seraphici Ordinis, quae tempore gallicae suppressionis ablatae fuerunt a praefati Ordinis subjectione, quaeque sub cura modo tenentur a presbyteris saecularibus, quin Regulares ullo modo suis juribus renuntiassent, indulgentiae vulgo Portiunculae, *atque aliae supramemorato Ordini concessae, adhuc a fidelibus lucrari possint, eo magis quod affirmatur, s. m. Pium PP. VII hac super re aliquid declarasse?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 29 Maji 1841 respondit:

Non constare de Summi Pontificis Pii VII s. m. declaratione, ac proinde Negative. *Pro iis vero locis, ubi affirmativa sententia tenetur, ne scandalum in fideles oriatur, recurrendum erit ad Sanctam et Apostolicam Sedem pro ipsius indulgentiae vulgo Portiunculae concessione, exposita tamen causa in allato dubio citata.*

291.

1841 29 Maji. **Varia dubia.**

Briocen. Parochus ecclesiae curialis vulgo Rosternen. in dioecesi Briocensi, item rector Congregationis B. M. V. in minori seminario vulgo Plouguernevel ejusdem dioecesis, Sacram Congregationem Indulgentiarum demisse exorant, ut sequentia dubia declarare dignetur:

1° *An eodem die lucrari possint plures indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae?*

2° *An possit per preces jam obligatorias v. gr. per Horas canonicas satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam plenariam?*

3° *An sufficiant quinque* Pater *et* Ave, *quae recitari solent ob adimplendam Summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est, ut visitetur ecclesia vel altare, ibique fundantur preces, quemadmodum ex. gr. pro lucranda indulgentia plenaria praescriptum est associatis operi Propagationis fidei?*

4° *Intra quotas horas diei ipsius, vel diei pridianae recitari debeant preces a Summo Pontifice praescriptae ob lucrandam indulgentiam plenariam?*

5° *An possit indulgentia altaris privilegiati lucrifieri a sacerdote, qui celebrat Missam de feria non privilegiata, seu de festo, quod non sit duplex, nec infra octavam?*

6° *An in facultate a S. Sede concessa benedicendi pro numero mille cruces, crucifixos, numismata etc. haec verba* pro numero mille *intelligenda sint de mille crucibus, mille crucifixis, mille numismatibus etc.?*

7° *An, qui obtinuit facultatem benedicendi coronas precatorias, iisdemque indulgentias impertiendi, habeat absque speciali privilegio facultatem quoque benedicendi et ditandi indulgentiis coronas Domini, vulgo dictas* Camaldulensium?

8° *An fideles, qui non intendunt recitare coronam precatoriam, recitant quasdam preces manu tenentes coronam sive Domini, sive Beatae Virginis, et grana volvunt, lucrantur pro unoquoque* Pater, *vel* Ave, *vel* Credo, *vel alia oratione easdem indulgentias, quas ipsi lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent coronam precatoriam?*

9° *An, qui quotidie recitat Hymnum* Veni Creator Spiritus, *et Sequentiam* Veni sancte Spiritus, *possit in eodem mense lucrari duas indulgentias plenarias?*

10° *An idem vir possit aggregari multis Sodalitatibus, et lucrari indulgentias unicuique concessas, dummodo conditiones praescriptas impleat?*

11° *An idem altare in eadem ecclesia possit assignari ut altare proprium variis Sodalitatibus, v. gr. SS. Rosarii, Beatae Virginis de Carmelo, SS. Cordis Jesu?*

12° *An, quando possessor coronae Domini, vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam, sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae, seu crucis?*

Sac. Congregatio die 29 Maji 1841 respondit:

Ad 1m: *Affirmative, servatis tamen respective aliis appositis conditionibus.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur.*

Ad 4m: *Intra idem tempus designatum pro indulgentiarum acquisitione.*

Ad 5m: *Negative, et standum Indulto s. m. Clementis XIV sub die 7 Martii 1771.*

Ad 6m: *Negative, sed mille in totum.*

Ad 7m: *Negative.*

Ad 8m: *Negative.*

Ad 9m: *Negative; legitur enim in decreto hujus concessionis* Veni Creator Spiritus *vel* Veni sancte Spiritus.

Ad 10m: *Affirmative.*

Ad 11m: *Affirmative in genere, et de consensu uniuscujusque rectoris respectivae Sodalitatis ibi erectae, sed ad praecavendas quaestiones, quae facile oriri solent quoad functiones peragendas et altare custodiendum, magis expedit, si fieri potest, ut quaelibet Sodalitas suum habeat altare.*

Ad 12m: *Negative absque speciali facultate.*

292.

1841 22 Septembris. Altare privilegiatum.

Tarantasien. Episcopus Tarantasiensis quaerit a Sacra Congregatione:

Utrum Breve ab eo acceptum pro facultate erigendi, seu declarandi ad septennium proximum unum altare privilegiatum in qualibet ecclesia suae dioecesis, validum sit tantum pro primo septennio immediate sequenti suam consecrationem, ita ut si hoc perdurante septennio, nondum omnia altaria declarasset privilegiata, possit ea declarare, hoc ipso septennio absoluto; et in primo casu per quot annos altare privilegiatum putandum erit? An vel facultas sit ad vitam Episcopi, et altare tantum ad septennium privilegiatum? vel an facultas Episcopi et privilegium altaris ad septennium tantum sint duratura?

Sac. Congregatio die 25 Septembris 1841 respondit:

Vigore Litterarum Apostolicarum in forma Brevis dati sub annulo Piscatoris die 13 Februarii 1838, Episcopus Orator facultatem obtinuit semel per seipsum in qualibet ex parochialibus et collegiatis ecclesiis suae dioecesis unum dumtaxat altare ad septennium proximum privilegio Apostolico decoratum declarare, ita ut haec facultas quoad Episcopum Oratorem incipiat a die Datae Brevis; ac proinde absoluto septennio pro altaribus designandis, etiamsi nondum in omnibus ecclesiis ea declaraverit, ipsi recurrendum erit ad Sedem Apostolicam pro prorogatione talis facultatis; quoad vero altare illo privilegio decoratum ad septennium, illud tempus incipit a die respectivae designationis uniuscujusque altaris.

293.

1841 25 Septembris. Oratio „En ego, o bone".

Parisien. Parochus ecclesiae sancti Sulpitii in civitate Parisiensi petit a Sac. Congregatione:

Utrum ad lucrandas quasdam indulgentias particulares, in quarum tenore nulla fit mentio clausulae infra exprimendae, v. gr. ad lucrandam indulg. plenariam applicatam Orationi En ego, o bone, et dulcissime Jesu etc. *ex decreto* Urbis et Orbis *diei 10 Aprilis 1821 necesse sit recitare insuper* quinque Pater, *et* quinque Ave *pro finibus a Summo Pontifice praescriptis, uti specialiter notatur in pluribus Rescriptis: an sufficiat praefatam Orationem solam a fidelibus confessis et communicatis coram Crucifixo recitari?*

Sac. Congregatio die 25 Septembris 1841 respondit:

Standum absolute terminis in concessionibus enuntiatis: nullum vero fit verbum in concessione indulgentiae adnexae praefatae orationi de necessitate recitandi quinque Pater etc., sed praescribitur tantum Sacramentorum susceptio, Orationisque coram Crucifixo recitatio.[1])

[1]) Vide tamen decretum diei 31 Julii 1858.

294.

1841 25 Septembris. Via Crucis.

Apamien. Vicarius Generalis Apamiensis expostulat: *An pro validitate erectionis Viae Crucis, et ad lucrandas indulgentias ipsi adnexas, sit absolute necessarius processus verbalis ab Episcopo, vel ab ejus Vicario conficiendus, an sufficiat facultas a Sancta Sede per Rescriptum obtenta?*

Sac. Congregatio die 25 Septembris 1841 respondit: *Circa erectionem stationum Viae Crucis, impetratis antea ab Apostolica Sede necessariis et opportunis facultatibus, omnia ac singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus, seu in actis Episcopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus paroeciae, seu loci, ubi fuerint erectae praefatae stationes, inseratur.*

295.

1841 15 Decembris. Varia dubia.

Mechlinien. Marianus Verhoeven, presbyter archidioecesis Mechliniensis, publicus professor sacrorum canonum in Universitate catholica Lovaniensi, ad Sacram Congregationem recurrit pro decisione sequentium dubiorum:

I. *Per decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum datum die 12 Junii 1822 conceditur, Confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad indulgentiam lucrandam: quaeritur 1° An verba* infra hebdomadam *significent octo dies tantum quae festivitatem immediate praecedunt, an vero hebdomadam illam totam, et integram, quae ante festum decurrit, ita ut ex. gr. Confessio facta die Dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die Sabbati hebdomadae sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi tunc tresdecim dies inter Confessionem, et festivitatem intercessissent? 2° An Confessio octava die ante festivitatem peracta vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam, an vero per hanc Confessionem aliae etiam lucrifieri possint indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis Confessio caeteroquin requireretur?*

II. *Utrum cum in Bulla vel Brevi, quo conceditur indulgentia, Confessio tamquam conditio* sine qua non *praescribitur, necesse sit, ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad indulgentiam lucrandam?*

III. *Si a Sancta Sede indultum locale altaris privilegiati conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in Rescripto de qualitate altaris, sitne fixum scilicet, vel portatile, an altare censeri possit privilegiatum, etiamsi sit portatile?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 15 Decembris 1841 respondit:

Ad Im: *Quoad primam partem primi quaesiti: Affirmative; quoad secundam partem: Negative.*

Quoad primam partem secundi quaesiti: Negative; Affirmative quoad secundam partem.

Ad IIm: *Negative.*

Ad IIIm: *Negative.*

296.

1841 15 Decembris. **Varia dubia.**

Quebecen. Episcopus Quebecensis Sacrae Congregationi dubium solvendum proposuit:

Utrum tempore visitationis pastoralis et spiritualium recessuum, seu exercitiorum, quae frequenter peraguntur in paroeciis dictae dioecesis, lucrari possit indulgentia plenaria a fidelibus, sacra Communione peracta, eodemque tempore per ipsam unicam Communionem praecepto paschali satisfieri? Et rursum: An idem dicendum sit de indulgentia jubilaei?

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 15 Dec. 1841 declaravit, respondendum esse:

Affirmative quoad primam partem, quemadmodum responsum fuit Episcopo Monasteriensi die 19 Martii currentis anni relate ad acquisitionem indulgentiae plenariae papali benedictioni adnexae, quae in Paschate Resurrectionis impertitur, una eademque Communione tantum in paschalis praecepti adimplementum peracta. Quoad secundam partem similiter Affirmative, nisi aliter constet ex Bulla indictionis jubilaei.

297.

1841 15 Decembris. Indulgentia pro festo S. patroni loci.

Quebecen. Episcopus Quebecensis die 13 Januarii o
tinuit indultum, quo singulis paroeciis dioecesis, dummo
postulent, indulgentia plenaria conceditur pro festo Omniu
Sanctorum, pro die Commemorationis omnium fidelium d
functorum et pro Dominica infra octavam Omnium Sanct
rum, in quam ex indulto anni 1810 solemnitas patrocii
omnium parochiarum remissa est.

Quaeritur itaque:

*Utrum paroeciae, quae gaudent indulgentia plenaria propi
festivitati respectivi patroni, lucrari quoque possint indulgentia
plenariam concessam pro supradicto die festivo patronali omni
paroeciarum?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 15 De
1841 respondit:

*Negative, quia in tali indulgentiarum concessione mens
concedentis, ut una tantum acquiratur indulgentia plenaria, mini
vero duae, quod accideret, si quaelibet paroecia, quae gaudet i
dulgentia ob festum sui patroni, lucrari posset illam concessa
prouti affirmatur, per dioecesim absque limitatione ob festa pat
nalia omnium paroeciarum.*

298.

1842 25 Januarii. De Confraternitatibus.

Cameracen. Cum Episcopus Cameracensis in erigen
Sodalitatibus cujuscumque tituli, unicuique Sodalitati eade
statuta servanda tradiderit, quin mentio fiat in ipsis
aliquo pio opere a sodalibus exercendo, quaerit a Sac
Congregatione:

1° *Utrum indulgentiae talibus Sodalitatibus ab Apostoli
Sede concessae validae sint, et an sodales eas lucrari possint, a
impletis tantum conditionibus in Pontificiis concessionibus pra
scriptis?*

2° *Utrum praefata statuta servanda sint sub poena nullitat
indulgentiarum, ita ut fideles indulgentiis priventur ob eorum i
observantiam sive integram, sive ex parte tantum?*

3° *Utrum receptio fidelium, seu adscriptio in Sodalitatem facta a parocho respectivo illius ecclesiae, in qua Sodalitas reperitur erecta, sufficiens sit ad lucrandas adnexas indulgentias, quamvis statuta mentionem non faciant, quod parochus debeat esse Sodalitatis rector?*

4° *Utrum Episcopi, qui ab Apostolica Sede facultatibus sunt muniti communicandi indulgentias Sodalitatibus, quas in propriis dioecesibus erexerunt, debeant sub poena nullitatis necessario uti formula a s. m. Clemente VIII approbata, an satis erit eas erigere cum diplomate cujuscumque formulae, episcopali signo obsignato, in quo, citato Apostolico indulto, mentio quoque fiat tum de necessitate adscribendi sodalium nomina in Sodalitatis album, tum de distantia servanda, prout Clemens VIII s. m. in sua Constitutione praescribit?*

Sac. Congregatio die 25 Januarii 1842 respondit:

Ad 1^{m}: *Affirmative.*

Ad 2^{m}: *Dummodo Sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera injuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suae respectivae Confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime adscripti fuerint in Confraternitatem, inobservantia partialis, seu generalis statutorum non obest acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam injuncta opera ad indulgentias acquirendas.*

Ad 3^{m}: *Affirmative quatenus parochus sit ab Episcopo erigente deputatus ad recipiendos sodales, etiamsi nulla de eo facta sit mentio in statutis.*

Ad 4^{m}: Quoad primam partem: *Negative.*

Quoad secundam partem: *Ordinarii se conformare debent Litteris Apostolicis particularibus ab ipsis obtentis, et ubi in concessionibus enuntiatur:* servata Constitutione Clementis VIII, *hoc respicit conditiones in ipsa Constitutione enuntiatas, quae sunt observandae, minime vero formulam, quae servanda est a Superioribus Regularibus in respectivi Ordinis tantum Sodalitatibus erigendis.*

299.

1842 28 Januarii. Indulgentia in forma jubilaei.

Anicien. Episcopus Anicien. indulgentiam plenariam in forma jubilaei pro ecclesia cathedrali suae dioecesis a Benedicto XIII confirmatam, sub dato 6 Augusti 1841 a Sede Apostolica extensam pro hoc anno ad duodecim dies a praecedenti feria quinta in Coena Domini incipiendos et enumerandos obtinuit; quaerit nunc a Sacra Congregatione:

Utrum in enumeratione duodecim dierum comprehendatur integra feria quinta, aut pars tantum, nempe ab occasu solis feriae quintae?

Sac. Congregatio die 28 Januarii 1842 respondit:

Standum est verbis concessionis, quae non exprimit talem indulgentiam incipiendam esse ab occasu solis feriae quintae, sed potius ab integra feria, quae prima erit ex duodecim designatis diebus computanda.

A. Card. **Castracane** Praef.
H. **Ginnasi** Secret.

300.

1842 12 Februarii. Benedictio in articulo mortis.

Gandaven. Cum Episcopus Gandavensis in Belgio dubia sibi a confessariis suae dioecesis proposita solvere, et praxim uniformem in eadem dioecesi introducere cupiat, enixe a Sacra Congregatione quaerit:

1° *Utrum benedictio in articulo mortis juxta formulam Benedicti XIV in Constitutione* Pia Mater *reiterari possit in eodem morbi statu?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An ea toties iterari possit, quoties aegrotus in peccata saltem venialia relapsus ab eis absolvetur?*

Sac. Congregatio die 12 Februarii 1842 respondit:

Sacra Congregatio in una Veronen. cuidam illius Episcopi dubio: An scilicet benedictio Apostolica pluries impertiri posset novo mortis periculo redeunte? *die 24 Septembris 1838 responsum dedit:* Negative, eadem permanente infirmitate etsi diuturna; Affirmative vero, si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.

301.

1842 14 Februarii. An indulgentia perpetua sit renovanda.

Meten. *Cum in ecclesia cathedrali Metensi existat Sodalitas B. M. V. de Monte Carmelo, cui per indultum Apostolicum anni 1822 assuetae indulgentiae in perpetuum concessae sint, tamen Episcopus Metensis praefatarum indulgentiarum prorogationem a Sacra Congregatione exposcit, cum juxta plurimos Canonistas indulgentiae, licet* in perpetuum concessae, *renovari debeant post viginti annos.*

Sac. Congregatio die 14 Februarii 1842 declaravit:

Idem esse dicere: in perpetuum, ac: sine ullo temporis termino; praesertim cum ea sit praxis Apostolicae Sedis in gratiis elargiendis absque ullo discrimine omni aevo observata, ideoque non oportere gratias ab ipsa Apostolica Sede in perpetuum concessas, post viginti et amplius annorum spatium renovare.

302.

1842 7 Junii. Altare privilegiatum.

Incerti loci. Proposito dubio: *An in designatione altarium pro acquirendis indulgentiis, nomine Ordinarii in privilegio intelligatur sola persona Episcopi, vel etiam Praelatus, qui gaudet ordinaria jurisdictione in suo districtu?*

Sac. Congregatio die 7 Junii 1842 respondit:

Praelatus, qui gaudet jurisdictione, potest deputari ad designandum altare pro acquirendis indulgentiis, et nomine Ordinarii hoc in casu non solum intelligitur Episcopus, sed etiam Praelatus jurisdictione ordinaria in suo districtu praeditus.

303.

1842 7 Junii. Altare privilegiatum.

Cameracen. Quaedam SS. Rosarii Sodalitas in dioecesi Cameracensi dubium solvendum Sacrae Congregationi proponit, ut infra:

Altare SS. Rosarii privilegiatum existit pro sacerdotibus sodalibus; at vero in ecclesia dictae Sodalitatis plura existunt altaria, minime vero illud B. M. V. de Rosario dicatum; quid ergo sentiendum de tali privilegio in ecclesia hujusmodi altari carente?

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 7 Junii 1842 respondit:

Sodalitates canonice erectae privilegiis, et indulgentiis gaudent illorum Ordinum Regularium, quorum fruuntur titulis juxta Constitutionem s. m. Clementis VIII; ita sacerdotes Sodalitati SS. Rosarii adscripti, gaudent privilegio altaris eo modo, quo presbyteri Ordinis Praedicatorum, qui in respectivis eorum ecclesiis habent privilegiatum altare B. M. V. de Rosario dicatum; cum vero privilegium hoc sit tantum locale, minime vero personale, sequitur, quod ea ecclesia Sodalitatis Rosarii, ubi hoc altare non reperitur, privilegio quoque altaris omnino careat.

304.

1842 7 Junii. **De rectore Sodalitatis.**

Corisopiten. Episcopus dioecesis Corisopitensis decreta seu responsiones expostulat a Sacra Congregatione ad sequentes proponendas quaestiones:

1° *Quando Episcopus, virtute delegationis Apostolicae in ecclesia parochiali, seu succursali erexit aliquam Sodalitatem de Monte Carmelo vel Rosarii etc. nec specialem rectorem designavit, numquid praedictae ecclesiae pastor hoc ipso et absque alia designatione institutae Sodalitatis rector censeri et haberi debet, ita ut in illam admittere valeat et suos et aliorum parochianos, completis formalitatibus aliunde praescriptis, speciatim benedicendi et imponendi scapularia?*

2° *Impedito pastore, numquid ejus vicario competunt supra enumeratae facultates?*

3° *Hoc recepto, quod pia Sodalitas si alicubi erigitur, nominatim designandus est istius Sodalitatis rector; potestne Episcopus declarare rectoris munus ab ecclesiae pastore, quae Sodalitate donatur, in perpetuum fore obeundum, et pastor pro tempore fruiturne virtute hujus declarationis facultatibus in prima et secunda quaestione memoratis?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 7 Junii 1842 respondit:

Ad 1m: *Negative; excepto solummodo casu, quod in illa ecclesia seu paroecia nullus alius esset, qui possit destinari, et*

nc eo ipso quod Episcopus ibi erigit Sodalitatem, tacite videtur ctorem designare ecclesiae pastorem, non jure suo utendo, sed dalitatis necessitate rectorem exigentis.

Ad 2m: *Affirmative, dummodo vicarius sit de gremio Sodaatis.*

Ad 3m: *Negative, nisi Episcopus speciales habeat facultates, im generice loquendo, quotannis fieri debet rectoris aliorumque ficialium Sodalitatis electio.*

305.

1842 22 Junii. **Scapulare.**

Briocen. Vicarius Generalis dioecesis Briocensis quaerit Sacra Congregatione:

An sacerdos, qui obtinet facultatem benedicendi ac imponendi apularia, habeat eo ipso facultatem commutandi obligationes mmutabiles confratrum, quando opus est, scilicet cum recursus l alterum sit impossibilis, ut hoc commodo fideles non priventur?

Sac. Congregatio die 22 Junii 1842 respondit:

Negative; vigore enim obtentae facultatis benedicendi ac imonendi scapularia non sequitur, quod sacerdos ea quoque gaudeat otestate commutandi obligationes injunctas, nisi expresse enunetur in Rescripto concessionis pro benedictione et impositione apularium.

306.

1842 22 Augusti. **De rectore Sodalitatis.**

Auxien. Archiepiscopus Auxiensis Sacrae Congregationi ubia ut infra solvenda proponit:

1° *Utrum parochus, seu moderator Confraternitatis cujusmque, sive legitime impeditus, sive non, possit licite et valide bi vicarium, vel alium presbyterum quemcumque approbatum brogare ad recipiendum fideles Confraternitati adscribendos?*

2° *Utrum vicarius, vel alius presbyter ita subrogatus pro a vice, vel ad tempus, possint habitus confratrum, vel sororum, cnon coronas deprecatorias, seu rosaria benedicere cum applicane indulgentiarum, non secus, ac ipsemet parochus vel moderator onfraternitatis?*

3° *Utrum haec omnia absque ullo fidelium Confraternitati adscribendorum, seu adscriptorum detrimento fieri possint?*

Sac. Congregatio die 22 Augusti 1842 respondit:

Ad 1m: *Negative, nisi ei facta fuerit in concessione facultas subdelegandi vicarium vel alium presbyterum.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

Ad 3m: *Negative, deficiente in sacerdote adscribente, seu benedicente legitima auctoritate.*

307.

1842 22 Augusti. Scapulare.

Engolismen. Vicarius Generalis dioecesis Engolismensis implorat a Sacra Congregatione responsum ad dubia sequentia:

1° *Utrum color caeruleus sit color necessarius in scapulari beatae et immaculatae Mariae Virginis?*

2° *Utrum qui scapularia Montis Carmeli, et immaculatae Conceptionis accepit, utrumque gestare debeat?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 22 Aug. 1843 respondit:

Ad utrumque: *Affirmative.*

308.

1842 22 Augusti. De Sodalitatibus.

Lemovicen. Episcopus Lemovicen. sequentium dubiorum solutionem a Sacra Congregatione expostulat:

1° *An Confraternitates SSmi Sacramenti, ordinaria auctoritate erectae, virtute decreti Sacrae Congregationis sub die 16 Febr. anni 1608 et Constitutionis Innocentii XI* Injuncti nobis *anni 1678, sine ulla aggregatione, vel nova concessione fruantur gratiis omnibus et indulgentiis Archiconfraternitati, quae Romae est, concessis?*

2° *Quaenam formula adhiberi debeat in communicatione indulgentiarum concessarum Archiconfraternitatibus Romae erectis, quam communicationem idem Episcopus diversis Confraternitatibus in sua dioecesi erectis, vel erigendis elargitur, auctoritate sibi ab Apostolica Sede per diversa Rescripta delegata, servatis tamen*

servandis juxta Constitutionem Clementis VIII? Num necesse sit singulas indulgentias nominatim *communicare, et hoc agere cum interventu duorum de Capitulo? Utrum defectus statutorum, vel officialium in dictis Confraternitatibus, tum etiam si in illis pia opera vel usus singulares adhibeantur non conformes illis, quae in Archiconfraternitatibus Romae servantur, officiat necne validae erectioni, vel indulgentiarum communicationi?*

3° *Cum paroeciae non distent ab invicem una leuca, si tamen sunt in separatis oppidis constitutae, poterunt erigi in ambabus Confraternitates eaedem?*

4° *Confraternitates ab Episcopo auctoritate a S. Sede delegata erectae, fruuntur necne eadem bonorum operum, et orationum communione cum Archiconfraternitate, et iisdem privilegiis et indulgentiis ac illae, quae aggregatae ordinario more fuerunt?*

Sac. Congregatio die 22 Augusti 1842 respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: Ad primam partem: *nullam determinatam formulam praescriptam esse Episcopis Sodalitates erigentibus, sed tantum Ordinibus Regularibus juxta Clementis VIII Constitutionem, proindeque decretum solummodo Episcopi erigentis satis erit ad canonicam erectionem.*

Ad secundam partem: *Negative.*

Ad tertiam partem: *Negative, dummodo opera exerceantur, quibus adnexae sunt indulgentiae.*

Ad 3m: *Affirmative, si agatur de Confraternitatibus SS. Corporis Christi et de Doctrina Christiana, quae praeter indulgentias hujusmodi Sodalitatibus a Paulo V concessas, singulari quoque privilegio gaudent, juxta Sacrae hujus Congregationis decreta, quod nempe in singulis quoque paroeciis possint institui; Negative vero, si agatur de Confraternitatibus in genere.*

Ad 4m: *Affirmative si agatur de Confraternitate SS. Corporis Christi; si vero de Doctrina Christiana, quoties in dioecesi aggregata est una ex his Confraternitatibus, ceterae etiam erectae, aut erigendae, aggregatae censentur; Negative quoad alias Confraternitates in genere.*

309.

1842 22 Augusti. Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo.

Bituricen. Superior minoris seminarii Bituricensis gaudet facultate imponendi sacrum scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, eique adscribendi fideles, ea tamen conditione, ut nomina eorum, qui huic Confraternitati sociantur, ad proximum Conventum ejusdem Ordinis mittantur, nisi sit in urbe Conventus ipsius Ordinis. Cum vero in urbe Bituricensi reperiatur monasterium Sororum Carmelitarum, quaerit:

1° *An facultate concessa uti possit in urbe Bituricensi, ubi adest Sodalitas Sororum Carmelitarum?* 2° *An sufficiat, ut nomina eorum, qui hanc Confraternitatem ingrediuntur, ad monasterium Carmelitarum Sororum dictae civitatis mittantur?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, die 22 Aug. 1842 respondit:

Ad utrumque: *Affirmative.*

310.

1842 22 Augusti. De oratorio publico.

Verdunen. In concedendis indulgentiis a S. Sede saepius requiritur, ut pie visitetur ecclesia parochialis, seu oratorium publicum; quaeritur ergo:

Utrum ad implendam hujusmodi conditionem, publicum sit censendum oratorium sive in monasteriis, sive in seminariis, aut aliis Conventibus, canonice dedicatum, ad quod tamen christiana plebs publice non solet accedere?

In hypothesi, quod negative respondeatur, rogat Episcopus Verdunensis, ut quodcumque ut supra oratorium in sua dioecesi existens, aut extiturum, visitari deinceps valeat ad indulgentias lucrandas.

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis rebusque mature perpensis, ad praefatum dubium die 22 Augusti 1842 respondit:

Negative, ac propterea recurrat in casibus particularibus.

311.

1842 22 Augusti. **Via Crucis.**

Incerti loci. Nonnulli sacerdotes supplicarunt Sacrae ngregationi, ut declararetur:

1° *An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione bularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare, stationes percurrere, ut valida sit erectio?*

2° *An benedictione tabularum et crucium facta a sacerdote gitime delegato, alter quicumque tabulas collocare possit privatim e caeremoniis, et etiam alio tempore?*

3° *An quando in priorum tabularum locum aliae substitutur, nova requiratur facultas illas benedicendi, et Viam Crucis igendi?*

4° *An mutatio crucium de loco in locum in eadem ecclesia um importet annihilationem indulgentiarum Viae Crucis adnerum?*

Sac. Congregatio die 22 Augusti 1842 denuo declaravit, erectione Viae Crucis benedicendas tantum esse cruces, inime vero tabulas, seu picturas, et respondit:

Ad 1^m^: *Negative.*

Ad 2^m^: *Affirmative.*

Ad 3^m^: *Negative, dummodo substitutio non sit majoris partis ecium.*

Ad 4^m^: *Negative.*

312.

1842 18 Novembris. **De Sodalitate.**

Caenomanen. In variis Galliarum dioecesibus, et praertim in dioecesi Caenomanensi permultae existunt Confranitates SS. Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, et SS. rdis Jesu. Diversae illae Confraternitates ex speciali S. Sedis cultate ab Episcopis cum brevi formula fuerunt erectae; mina confratrum et consororum in particularibus regestis scribuntur, sed ad directorem Archiconfraternitatis non ittuntur, nec administratores pro unaquaque Confraternite eliguntur. Caenomanensis Episcopus omnes fidelium

anxietates praecavere aut sedare volens, expostulat a Sacra Congregatione:

1° *An aliqua determinata formula necessaria fuerit sub poena nullitatis?*

2° *An necesse sit sub eadem poena, ut administratores eligantur?*

3° *An Episcopus designare possit directorem uniuscujusque Confraternitatis suae dioecesis sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectae?*

4° *An director ab Episcopo sic designatus, eo ipso rosaria cum applicatione indulgentiarum, et scapularia benedicere, ac imponere possit?*

Sac. Congregatio die 18 Novembris 1842 respondit:

Ad 1m: *Negative, quia formula praescribitur tantum pro erectione Sodalitatum a Regularibus peragenda.*

Ad 2m: *Negative, quia administratorum electio erit tantum ad bonum Sodalitatum regimen, minime vero ad validitatem erectionis necessaria.*

Ad 3m: *Affirmative.*

Ad 4m: *Negative, nisi in hujusmodi concessionibus facta sit facultas rectori pro tempore benedicendi rosaria, coronas et scapularia.*

313.

1843 7 Januarii. De benedictione coronar., cruc. et sacr. numismatum.

Briocen. Vicarius Generalis Episcopi Briocensis implorat a Sacra Congregatione solutionem sequentium dubiorum:

1° *Qui obtinuit facultatem benedicendi cruces, sacra numismata et coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum, potestne ea facultate legitime uti publice, v. gr. in ecclesia, vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis, et res benedicendas manu tenentibus, si in indulto facultatis sit clausula* privatim?

2° *Quando in indulto existit clausula:* In forma Ecclesiae consueta, *sufficitne signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione formulae benedictionis, et sine aspersione aquae benedictae?*

3° *Si necessaria est formula, utrum sufficiat quaecumque formula, modo ab Ordinario approbata, an necessario adhibenda sit formula Ritualis Romani?*

4° *Quando in indulto facultatis non existit clausula:* in forma Ecclesiae consueta, *sufficitne efformare manu signum Crucis super objecta benedicenda?*

Sac. Congregatio die 7 Januarii 1843 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Responsum in secundo.*

Ad 4m: *Responsum in secundo.*

314.

1843 30 Januarii. **De conditione „dummodo nulla alia indulgentia reperiatur concessa".**

Ruthenen. Superior seminarii S. Petri civitatis Ruthenensis quaerit a Sacra Congregatione:

An indultum Apostolicum, quod specificat quasdam indulgentias cuidam Sodalitati concessas, excludat alias indulgentias non specificatas in praefato indulto, quarum tamen mentionem faciunt nonnulli auctores de indulgentiis pertractantes?

Sac. Congregatio die 30 Januarii 1843 respondit:

Standum esse verbis indulti, ex quo, si nulla sit expressa conditio, v. gr. dummodo nulla alia indulgentia reperiatur concessa, *aut similia etc., eruitur, firmas remanere singulas indulgentias etiam praecedenti tempore elargitas, de quibus mentio quoque fit apud auctores de indulgentiis pertractantes.*

315.

1843 31 Januarii. **Altare privilegiatum.**

Tornacen. Ex parte cujusdam Sacerdotis et Canonici honorarii ecclesiae cathedralis Tornacensis exponitur Sacrae Congregationi, quod confratres . . . . . supplicem libellum obtulerint Summo Pontifici Pio VII s. m. qui per Rescriptum diei 18 Augusti 1818 dignatus est declarare altare privilegiatum etc. *nulla facta mentione qualitatis altaris, quod in supplici libello declaratum fuerat portatile.* Quidam inde sentiunt, mentionem portatilitatis requiri tum in sup-

plici libello, tum in Rescripto; alii vero sufficere, si in alterutro.

Quaeritur itaque:

An requiratur dicta mentio in utroque?

Sac. Congregatio die 31 Januarii 1843 censuit declarari:

Constare de privilegio, etiamsi mentio de altaris portatilitate in supplici tantum libello sit expressa, minime vero in concessionis Rescripto.

316.

1843 3 Martii. Scapulare.

Carnoten. Moniales Carmelitae urbis Carnotensis quaerunt a Sacra Congregatione:

Utrum haec clausula facultati imponendi sacra scapularia nonnumquam apposita, scilicet Praesentibus valituris iis in locis, in quibus non adest sacerdos Carmelita, aut Sodalitas ejusdem Ordinis canonice erecta, *utrum, inquam, haec clausula obstet, ne sacerdotes praefata facultate gaudentes, sacra scapularia in ipsamet urbe Carnotensi, et in locis tribus milliaribus ab ea non distantibus valide imponant, eo quod in praefata Urbe reperiantur Moniales Carmelitae?*

Sac. Congregatio die 3 Martii 1843 respondit:

Non obstare.

317.

1843 24 Aprilis. Altare privilegiatum.

Nancejen. Episcopus Nancejensis exponit, quod anno 1835 altare majus ecclesiae Parochialis de Bening privilegiatum in perpetuum declaratum fuit: cum vero idem altare marmoreum hodie constructum sit, supponitur, quod privilegium peremptum sit; supplicatur hinc pro opportuna declaratione.

Sac. Congregatio die 24 Aprilis 1843 respondit:

Dummodo altare sit iterum sub eodem titulo constructum, non amisit privilegium ab Apostolica Sede concessum.

318.

1843 24 Aprilis. Altare privilegiatum.

Sancti Flori. Episcopus sancti Flori exponit Sacrae Congregationi, se virtute Brevis Apostolici sibi concessi designasse in plurimis dioecesis suae parochialibus ecclesiis privilegiatum ad septennium unum altare; altare autem sic designatum erat *portatile,*[1]) et hujus qualitatis non est facta mentio in litteris designationis; quaerit hinc Episcopus Orator:

1° *Utrum virtute Brevis Apostolici praefati potuerit declarare privilegiata altaria portatilia?*

2° *Utrum ad validitatem concessionis debuerit exprimere in litteris concessionis qualitatem portatilis non memoratam in libello supplici a parochis directo?*

3° *Utrum possit defectum hunc, si subest, sanare?*

Sac. Congregatio die 24 Aprilis 1843 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Supplicet Episcopus Orator pro opportuna sanatione.*

319.

1843 24 Aprilis. Scapulare.

Carnoten. Moniales Carmelitae in urbe Carnotensi a Sacra Congregatione quaerunt:

1° *Utrum duo capellani, qui ipsis simul assignarentur, simul gaudeant facultate sacrum scapulare imponendi?*

2° *Utrum, absentibus capellanis, quilibet sacerdos, qui locum eorum supplet, sacrum scapulare imponere possit?*

Sac. Congregatio die 24 Aprilis 1843 respondit:

Ad 1m: *Negative, nisi expresse facultas utrique fuerit impertita.*

Ad 2m: *Negative.*

---

[1]) De sensu hujus verbi vide decretum diei 20 Martii 1846 in Mechlinien.

320.

1843 12 Maji. Circa statuta Sodalitatum.

Pinerolien. Episcopus Pineroliensis cupiens in sua dioecesi Sodalitatem erigere sub titulo immaculati Cordis Mariae pro conversione peccatorum cum omnibus indulgentiis, quibus virtute Brevis diei 24 Aprilis 1838 ditata fuit ipsa Archisodalitas in ecclesia B. M. V. de Victoriis urbis Parisiensis, prae manibus habuit illius Archisodalitatis statuta sub die 16 Decembris 1836 ab Archiepiscopo Parisiensi approbata; sed cum ad trutinam revocarentur omnia, atque perpenderentur hujus Pineroliensis dioecesis circumstantiae, in quibus praedicta statuta haud possent in integrum observari, dubium exortum est, num omnes horum Parisiensium statutorum articuli necessarii et essentiales essent ad lucrandas indulgentias; hinc quaerit a Sacra Congregatione:

1° *Omnesne et singuli articuli Parisiensium statutorum sunt necessarii et essentiales ad constituendam in suo esse hanc Societatem pro lucrandis indulgentiis eidem concessis?*

2° *Si non omnes et singuli, quinam sunt ita essentiales, ut nullo modo variari possint?*

3° *Facultasne facta fuit per citatum Apostolicum Breve Praeposito ecclesiae B. M. V. de Victoriis determinandi statuta, quae sic determinata sufficiant ad indulgentias lucrandas?*

Sac. Congregatio die 12 Maji 1843 respondit:

Quoad primum: *Negative, et dummodo Sodalitas canonice erigatur, sodalesque adimpleant opera pro acquirendis indulgentiis ab Apostolica Sede praescripta, varietas partialis, seu generalis statutorum (quae ab Ordinariis respectivorum locorum pro diversitate temporum et circumstantiarum erunt constituenda) non obest acquisitioni indulgentiarum, eo quod statuta sunt potius ad regimen, et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam injuncta opera ad indulgentias lucrifaciendas; quod si nonnulli statutorum articuli aliqua peragenda opera sodalibus proponant, quae ex Pontificia concessione ditata sint indulgentiis, ipsi tamquam essentiales habendi sunt, ut nullo modo variari possint, ne tali spirituali emolumento sodales sint fraudati.*

Quoad secundum et tertium: *Responsum in primo.*

321.

1843 24 Maji. **De facultatibus Vicariorum Generalium quoad Confraternitates.**

Gratianopolitana. Episcopus Gratianopolitanus licentiam obtinuit erigendi in sua dioecesi plures Sodalitates, pium quoque Viae Crucis exercitium, necnon declarandi unum altare privilegiatum in ecclesiis parochialibus, ac denique parochos deputandi pro impertienda indulgentia plenaria in mortis articulo: quaerit a Sacra Congregatione:

Utrum duo Vicarii Generales (titulares) ejusdem Episcopi, qui cum ipso unam personam moralem efficiunt, saltem quoad jurisdictionem ordinariam, uti fatentur omnes, gaudeant facultatibus praedictis, scilicet Sodalitates erigendi, instituendi Viam Crucis, altaria declarandi privilegiata?

Sac. Congregatio die 24 Maji 1843 respondit:

Indulta, seu facultates, de quibus in proposito dubio, etsi non cedant in propriam Episcopi utilitatem, sed in gratiam dioecesanorum, non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad rectam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata, ita ut, eo absente, vel morbo laborante, sive nimiis occupationibus impedito, vices pro eo alius gerat tamquam ab ipso legitime delegatus; sed cum sint potius favores, quos idem Episcopus ab Apostolica Sede personaliter impetraverit, hinc ab Episcopo tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi, nisi in precibus Apostolicae Sedi delatis expostulasset iis verbis, aut similibus, nempe eos sive per se, sive per suos Vicarios Generales communicandi.

322.

1843 24 Maji. **Altare privilegiatum.**

Auxien. In Brevi Apostolico diei 28 Aprilis 1840 a Sede Apostolica concesso Archiepiscopo Auxiensi pro facultate decorandi altaria privilegio Apostolico in gratiam animarum defunctorum haec leguntur: „*Revocatis in eis (ecclesiis parochialibus et collegiatis) privilegiatis altaribus intuitu paroeciae, sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis, tibi, ut semel per teipsum in qualibet ex parochialibus et col-*

legiatis ecclesiis hujusmodi unum dumtaxat altare ad septennium proximum designare valeas etc." Unde quaeritur:

1° *Utrum vi verborum „revocatis in eis etc." omnia omnino altaria privilegiata in quibuslibet ecclesiis, privilegio sive perpetuo, sive ad tempus excidant, et sic privata privilegio remaneant usque dum Archiepiscopus praefatus denuo altaria privilegio Apostolico decorare et designare virtute Brevis praecitati dignatus fuerit?*

2° *An vero utrum vi eorumdem verborum „revocatis in eis etc." priora altaria privilegiata cessent in eis tantum ecclesiis, in quibus praefatus Archiepiscopus denuo decoratum privilegio altare designaverit virtute ejusdem Brevis praecitati?*

3° *Utrum altaria privilegiata semper gaudeant privilegio antea concesso, quamdiu Archiepiscopus non fuerit usus facultate denuo decorandi hujusmodi altaria privilegio Apostolico?*

Sac. Congregatio die 24 Maji 1843 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative, videlicet cessant altaria privilegiata, quae intuitu paroeciae privilegio decorata sunt.*

Ad 3m: *Affirmative.*

323.

1843 9 Augusti. Nova ecclesia quoad indulgentias.

Leodien. I. Sacerdos quidam Begginagii Hasseletensis, dioecesis Leodiensis, petit a Sacra Congregatione solutionem sequentium dubiorum:

1° *An cesset indulgentia Confraternitatis SS. Rosarii, vel aliae indulgentiae, si nova aedificetur ecclesia fere in loco, ubi vetus existebat?*

2° *An cesset indulgentia, si nova ecclesia aedificetur in coemeterio, non in loco veteris ecclesiae?*

3° *An cesset indulgentia si nova ecclesia aedificetur in alio loco, et non in coemeterio veteris ecclesiae?*

Sac. Congregatio die 9 Augusti 1843 respondit:

Ad 1m: *Negative, dummodo sub eodem titulo aedificetur.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Ut in secundo.*

324.

1843 27 Septembris. **Altare privilegiatum.**

Leodien. Sacerdos quidam Leodiensis dioecesis petit declarari:

An indulgentia seu privilegium altaris a S. Sede concessum sit lapidi consecrato, plerumque portatili in quacumque ecclesia, et cuicumque altari fixo imposito, an vero determinato altari fixo, quod proinde alio consecrato lapide imposito, privilegium minime amitteret?

Sac. Congregatio die 27 Septembris 1843 respondit:

Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam: videlicet privilegium, de quo supra, datum est altari determinato, et in honorem alicujus Sancti specialiter dicato.

325.

1844 10 Februarii. **Via Crucis.**

Apamien. Episcopus Apamiensis quaerit a Sacra Congregatione:

Utrum in erectione stationum Viae Crucis necessarium omnino sit, redigere quod appellatur procès verbal *intra spatium viginti quatuor horarum?*

Sac. Congregatio die 10 Februarii 1844 respondit:

Non esse determinatum tempus ad documentum erectionis conficiendum; sed ratio per se patet, ut quamcitius hoc fiat, ne dubium in posterum oriatur circa praedictam canonicam erectionem.

326.

1844 10 Maji. **Scapulare.**

Apamien. Parochus quidam dioecesis Apamiensis gaudet facultate benedicendi ac imponendi fidelibus scapulare B. M. V. de Monte Carmelo; postulat ut a Sacra Congregatione declaretur:

Utrum intra limites suae paroeciae facultate illa uti possit, an per totam dioecesim Apamiensem?

Sac. Congregatio die 10 Maji 1844 respondit:

Ex allato concessionis seu traditae facultatis documento evidenter eruitur, oratorem non modo intra limites suae paroeciae

eadem facultate uti posse, sed ubique locorum; ipsa enim concessio excipit tantum loca, in quibus adest sacerdos aliquis Carmelita aut Sodalitas illius Ordinis canonice erecta.

327.

1844 10 Maji. Varia dubia.

Mechlinien. Professor publicus ordinarius sacrorum canonum in academia catholica Lovaniensi, dioecesis Mechliniensis, ad Sacram Congregationem recurrit, ut decisionem sequentium dubiorum de indulgentiis obtinere possit:

1° *An Christifideles secundum canonem* Omnes utriusque sexus *Sacramentum Eucharistiae suscipientes tempore paschali possint per hanc sacram Communionem lucrari indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam inter caetera praescribitur sacra Communio; ea praesertim de causa de hac re dubitat Orator, quod a s. m. Benedicto PP. XIV in Litteris encyclicis:* Inter praeteritos etc. *videtur definitum, unam Communionem pro indulgentia in forma jubilaei concessa, et pro paschali etiam praecepto sufficere non posse?*

2° *An sacerdos, qui Missam celebrat ex. gr. pro defuncto, eidemque applicat indulgentiam plenariam altaris privilegiati, possit eodem die vi sacrae Communionis in Missae Sacrificio peractae lucrari aliam indulgentiam plenariam vel sibi, vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio?*

3° *An sacerdos in honorem B. M. V. Missam celebrans pro accepta eleemosyna, possit per sacram Communionem in Missae Sacrificio peractam lucrari indulgentiam vel sibi, vel defunctis applicandam, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio?*

Sac. Congregatio die 10 Maji 1844 respondit:

Ad 1m: *Affirmative, dummodo indulgentia lucrifacienda, non sit in forma jubilaei, pro qua tantum requiritur peculiaris Confessio atque Communio; satis enim declaratum est a SSmo D. N. Gregorio PP. XVI per decretum Sacrae hujus Congregationis in una Monasterien. sub die 19 Martii anni 1841.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Affirmative.*

328.

1844 20 Augusti. Via Crucis.

Rothomagen. Curatus parochialis ecclesiae *de Saint-Ouen* nuncupat. Civitatis Rothomagensis petit a Sacra Congregatione *potestatem permutandi quoad locum Viae Crucis stationes in propria ecclesia existentes, eisque substituendi alias stationes seu tabulas absque ulla peculiari caeremonia, ita tamen, ut hae postremae iisdem fruantur indulgentiis?*

Sac. Congregatio die 20 Augusti 1844 respondit:

Ex pluribus hujus Sacrae Congregationis decretis colligitur, minime necessariam esse facultatem commutandi stationes, seu cruces quoad locum, dummodo agatur de eadem ecclesia, minimeque facultate indigere substituendi stationes, dummodo tamen cruces tabulis superpositae omnes, *vel* in majori numero *perseverent; secus vero nova erectio, novaque benedictio omnino requiritur, impetrata tamen ab Apostolica Sede potestate.*

329.

1844 24 Augusti. Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo.

Urbis. Ad Sacram hanc Indulgentiarum Congregationem delata fuerunt infrascripta dubia solvenda:

1° *An Superiores Generales Ordinis Carmelitarum concedere possint facultatem sacerdotibus vel saecularibus, vel regularibus non Carmelitis recipiendi fideles in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo nuncupatam iis in locis, in quibus adsunt Conventus Carmelitarum, sive aliqua Confraternitas ejusdem B. M. V. de Monte Carmelo jam canonice erecta?*

2° *An a sacerdotibus vel saecularibus, vel regularibus facultatem habentibus exercendi munera Confraternitatis, permutari valeant obligationes, quae per Summos Pontifices praescriptae sunt ad consequendas indulgentias et privilegia Ordinis Carmelitarum assequenda, in alia religionis opera arbitrio et prudentia illius, qui facultatem habet adscribendi fideles eidem Confraternitati?*

3° *An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati supradictae, quae fit a sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata*

tamen forma in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum scripta?

Sac. Congregatio die 24 Augusti 1844 respondit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Affirmative, dummodo sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione et impositione habitus ac in receptione ad Confraternitatem.*

330.

1845 17 Septembris. Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo.

Versalien. Quidam sacerdotes per Episcopum Versaliensem debite delegati ad recipiendos fideles in Confraternitatem Carmeli, et ad benedicendum habitum hujusce Confraternitatis, non habent potestatem inscribendi nomina receptorum in albo Sodalitatis, nec mittunt eorum nomina ad monasteria religiosorum Carmelitanorum; quaerunt:

Utrum ejusmodi fideles sic recepti indulgentias dictae Confraternitati a S. Sede concessas lucrari possint?

Sac. Congregatio die 17 Septembris 1845 respondit:

Affirmative, quatenus sacerdotes debite delegati sint ad recipiendos fideles in Sodalitatem; monendi tamen sunt praefati sacerdotes, ut nomina receptorum in albo ipsius Sodalitatis viciniori sive monasterii Religiosorum respective inscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur.

331.

1845 25 Septembris. De inscriptione in Confrat. et de imagine SSmi Rosarii.

Briocen. Vicarius Generalis dioecesis Briocensis sequentia dubia solvenda proposuit:

1m: *Utrum rector Confraternitatis ipse nomina recipiendorum vel receptorum in album Confraternitatis debeat inscribere?*

2m: *Utrum ad lucrandas indulgentias Confraternitatis SSmi Rosarii necessarium sit, ut in altari B. M. V. dicato exstet imago ejusdem quindecim mysteriis circumdata.*

Sac. Congregatio die 25 Septembris 1845 respondit:

Ad 1^m^: *Inscriptio materialis a quocumque fieri potest, dummodo ab habente facultatem tantum Christifidelis sit rite receptus.*

Ad 2^m^: *Negative.*

J. Card. **Brignole** Pro-Praef.
A. Archipresb. Prinzivalli Substitutus.

332.

1845 15 Novembris. Via Crucis.

Nanneten. Episcopus Nannetensis quaerit:

1° *An indulgentiae subsistant, cum cruces a vetusta tabula ad novam transferuntur, loco affixionis ad parietem non immutato, ita ut superflua sit nova erectio Viae Crucis?*

2° *An subsisterent indulgentiae, si cruces cum tabulis in unum corpus non coalescerent, sed totaliter ab illis sejungerentur, ita ut nequidem tangerentur, cum vetustis tabulis et imaginibus novae substituuntur?*

Sac. Congregatio die 15 Novembris 1845 respondit:

Ad utrumque: *Affirmative.*

333.

1846 24 Januarii. Indulgentia 40 dierum.

Syracusana. Archiepiscopus Syracusanus supplicat Sacrae Congregationi, ut declaret:

Utrum vi dispositionum Capitis Cum ex eo 14 de poeniten. et remiss. *quae concedunt Archiepiscopis et Episcopis facultatem quadraginta dierum occasione sacrarum functionum, quae ipsis praesentibus vel absentibus peraguntur, possint quoque adnectere indulgentiam quadraginta dierum aliquibus imaginibus, seu statuis ab ipsis designandis, lucrandam a visitantibus, seu recitantibus ante eas nonnullas praescribendas orationes?*

Sac. Congregatio die 24 Januarii 1846 respondit:

Affirmative, servatis tamen Apostolicis ordinationibus circa fragilitatem objectorum, quibus non sunt adnectendae indulgentiae.

334.

1846 20 Martii. Altare privilegiatum.

Mechlinien. Marianus Verhoeven, presbyter archidioecesis Mechlinien. in Universitate catholica Lovanien. in Belgio ss. canonum professor publicus ordinarius, Vobis, Eminentissimi et Reverendissimi Principes, humiliter exponit, S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam die 15 Decembris 1841 resolutionem dedisse super dubio, quod his verbis proposuit Orator: *Quaeritur, si a s. Sede indultum locale altaris privilegiati concedatur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in rescripto de qualitate altaris, sitne fixum scilicet vel portatile, an altare censeri possit privilegiatum etiamsi sit portatile?* Responsum fuit: *Negative, excepto casu indulti altaris privilegiati personalis, quo frui potest sacerdos in quocumqae altari, sive locali sive portatili celebraturus.*

Ex hac resolutione conjecit Orator, verba „*altare fixum seu locale*" et „*portatile altare*" a Sacra Congregatione Indulgentiarum intellecta fuisse eo sensu, quo a scriptoribus de rebus liturgicis passim intelligi videntur, scilicet ad propriam fixi seu localis altaris rationem non sufficere firmum terraeque fixum fundamentum, nisi ita stabiliter pars inferior cum superiore mensa connectatur, ut unum simul compositum efficiant, sed illam esse formam altaris *fixi* seu *localis,* quam libri Pontificales et Caeremoniarii supponunt dum altaris immobilis consecrationem describunt; altare autem illud *portatile* haberi et esse, quod licet stabilem parieti terraeque affixam structuram exhibeat, ejus tamen mensa unum corpus non constituit cum subjecta lapidum strue, et cujus superposita mensa seorsim a reliquo aedificio consecratur, et si mensa ista amovetur a sustentaculo, cui aptatur, consecrationem non amittit.

Dubitat vero Orator, an hoc et non alio sensu verba altare *fixum* seu *locale* et *portatile* intelligenda sint in praedicti resolutione dubii, cum non ita pridem a Reverendissimo et Eminentissimo Praefecto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide data fuerit resolutio, quae difficulter componi

potest cum resolutione praelaudata Sacrae Congregationis Indulgentiarum, si verba ista intelligi debeant prout supra ex scriptoribus liturgicis definita sunt. Ad majorem rei claritatem liceat Oratori hic subjicere apographum litterarum, quae in hac re ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide datae fuerunt, una cum apographo responsi ab Eminentissimo et Reverendissimo Praefecto ejusdem Sacrae Congregationis subscripti. Litterae sunt: „*Exponit humiliter Eminentiae Vestrae Vicarius Apostolicus Limburgensis in Neerlandia, in suo vicariatu, sicut et in omnibus locis vicinis altaria in ecclesiis plerumque ita construi, ut fixa et immobilia, alicui Sancto dicata, in eodem loco vel in eadem capella remaneant, sed in mensa altaris cavitatem quadratam habeant, in qua lapis consecratus collocatus est, qui quamvis natura sua portatilis, tamen semper eidem altari fixo impositus permanet. Stante hac altaris constructione agitatur in clero quaestio, an quando cuidam altari, determinato Sancto dicato indultum altaris privilegiati ad tempus vel in perpetuum conceditur, privilegium concessum censeatur lapidi consecrato, qui, licet altari fixo destinatus et impositus, tamen, cum sit natura sua portatilis, ad aliud altare fixum transferri eique imponi potest; an vero privilegium censeatur concessum altari immobili in loco determinato constructo et alicui Sancto specialiter dedicato, ita ut, si lapis consecratus propter legitimum motivum ab altari fixo amoveatur, eique alius lapis consecratus substituatur, tamen altare fixum privilegiatum remaneat? Ut cleri dubium tollatur et nulla remaneat incertitudo, an altaria sint privilegiata, an non, humillime Orator postulat Sacrae Congregationis de Propaganda Fide responsum super exposita quaestione.*“ Responsum fuit: „*Privilegium altari conceditur, non lapidi, qui unus alteri pro necessitate vel opportunitate suffici poterit.*“ J. Ph. Card. Fransonius, Praef. S. Congr. de Propag. Fide.

Humiliter itaque proponit Orator dubium:

1m: *An in resolutione, de qua supra, data a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 15 Decembris 1841, per verba „altare fixum seu locale“ intellexit altare fixum, prouti supra ex scriptoribus de rebus liturgicis definitum est?*

Et quatenus Affirmative,

2m: *An vox altare portatile in eadem resolutione habeat eadem significationem, quam ex iisdem scriptoribus superius indicat Orator?*

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 20 Martii 1846 ad praefata dubia respondit:

Ad 1m: *Sacram Congregationem intellexisse altare fixum quidem, quod a loco dimoveri non possit, sed non tamen cujus superior pars sive mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari, quod privilegiatum concessum erat ob alicujus Sancti imaginem, post novam constructionem novo indigeret privilegio.*

Ad 2m: *Intellexisse altare, ut dicitur, viaticum, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad majorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur.*

Gabriel Card. **Ferretti** Praef.
Jacobus Gallo Secret.

335.

1847 22 Februarii. Reliquiae.

Divionen. Extant apud Divionensem Antistitem quamplurimae Sanctorum Reliquiae, quae tempore Gallicae perturbationis, anno praesertim 1793 e propriis thecis, seu capsulis pretiosis avulsae in unum collectae fuerunt, inter quas celebris Crux Palatina, quam venerabiles monachi Ordinis S. Benedicti loci Sancti Germani vulgo des-Près in eorum ecclesia publicae fidelium pietati in ara principe venerandam praebebant; itemque nonnullae aliae quoque tum chartulis inclusae, sigilloque munitae, tum aliae denique nullo roboratae documento, de quarum omnium authenticitate, etsi ex testium depositione idem Episcopus minime dubitandi locum esse putet, ab hac Sacra tamen Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, ut in rebus tanti momenti tuto procedi possit, quid de his Reliquiis agendum enixis precibus postulavit.

Propositis itaque dubiis in generalibus Eminentissimorum Patrum Cardinalium Comitiis apud Quirinales Aedes habitis die 22 Februarii 1847:

1° *An liceat indiscriminatim omnes et singulas inventas Reliquias fidelium venerationi exponere; eisque distribuere?*

Et quatenus Negative,

2° *An cruci saltem Palatinae ac Reliquiis, quae chartulis fuerunt inclusae, cultus sit permittendus, ipsaeque fidelibus sint distribuendae?*

3° *Quid agendum ab Episcopo circa ceteras Reliquias nullo documento roboratas?*

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, rebusque mature examine discussis, respondendum esse decrevit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative quoad crucem Palatinam ceterasque Reliquias, quae ab Episcopo fide munitae sunt.*

Ad 3m: *Quoties constet de authenticitate, audito etiam Capitulo suae cathedralis ecclesiae, poterit Episcopus vel in propria cathedrali ecclesia servare, vel aliis ecclesiis suae dioecesis servandas distribuere cum solo titulo: Reliquiae Sanctorum.*

Jacobus Gallo Secret.

336.

1847 22 Februarii. Indulgentia 40 dierum.

Camerinen. Proposito dubio ab Archiepiscopo Camerinensi:

Utrum Archiepiscopi ratione dignitatis impertiri possint fidelibus indulgentiam octoginta dierum post benedictionem cum Ven. Eucharistiae Sacramento, seu post quascumque alias peractas functiones, cum Pontificale Romanum quadraginta tantum dierum indulgentiam praescribat?

Sac: Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 respondit:

Servandum esse Pontificale Romanum.

Jacobus Gallo Secret.

337.

1847 22 Februarii. Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo.

Bituricen. Propositis dubiis ab Archiepiscopo Bituricensi:

1° *Utrum imponendo sacrum scapulare B. M. V. e Monte Carmelo, sufficiat inscribere nomina fidelium, ut lucrentur indulgentias in proximiori Societate Carmelitarum?*

2° *Utrum Carmelitae sint Sodalitas, an Conventus?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Qui in Ordine Carmelitarum professi sunt, sunt Religiosi, et componunt Conventum; qui vero Sodalitati s. scapularis simpliciter adscripti sunt, confratres dicuntur et Sodalitatem constituunt.*

Jacobus Gallo Secret.

338.

1847 22 Februarii. Missa pro gratiarum actione.

Avenionen. In opusculo quodam lingua italica exarato de modo celebrandi Missam ad agendum gratias SSmae Trinitati pro universis beneficiis B. M. V. collatis legitur, concessum fuisse a Summis Pontificibus, quod talis Missa possit applicari pro defunctis, et nihilominus valeat ad indulgentias lucrandas. Reverendissimus D. Bouvier vero in suo opere de indulgentiis in Galliis pervulgato simpliciter dicit, intentionem hujus Missae esse liberam; unde defendi posse videtur sententia illorum, qui dicunt, non solum pro defunctis, sed etiam pro aliis quibusvis intentionibus applicari posse praedictam Missam, firmis remanentibus indulgentiis.

Quaeritur igitur:

1° *Utrum Missa, quae celebratur ad agendas gratias SS. Trinitati pro universis beneficiis B. M. V. collatis, applicari possit non solum pro defunctis, sed etiam pro vivis, vel aliis quibusvis intentionibus appltcabilibus, absque amissione indulgentiarum?*

2° *Utrum altare, in quo celebratur, necessario esse debeat B. M. V.?*

3° *Utrum celebratio fieri debeat semper ad idem altare?*

4° *Utrum posito quod altare fixum requiratur, Episcopus possit aliud determinare, ut deinceps inserviat ad hujus Missae celebrationem, si rationes habeat hujus mutationis?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 respondit:

Ad 1m: *Affirmative, attento Rescripto Secretariae supplicum libellorum diei 10 Januarii 1817, in quo haec habentur: La suddetta Messa può applicarsi secondo l' intenzione dei benefattori, ovvero per qualunque altro pio motivo, ed altresì in suffragio dei defonti anche nei giorni, nei quali secondo la Rubrica si dovrebbe celebrare la Messa di Requiem.* [1])

Ad 2m et 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Non indigere responsione.*

Jacobus Gallo Secret.

339.

1847 22 Februarii. Altare privilegiatum.

Briocen. Vicarius Generalis Episcopi Briocen., ad suam tutiorem normam, necnon quo rectius aliis presbyteris consilium a se ipso petentibus queat consulere, humillime efflagitat infrascriptorum dubiorum solutionem, quum variae ac discrepantes sententiae de iis in vulgus spargantur.

1° *Utrum ad acquirendam plenariam indulgentiam pro defunctis sacerdos, qui sacrum facit in altari privilegiato, pro singulis diebus, teneatur paramentis nigri coloris uti diebus non impeditis?*

2° *Utrum sacerdos, qui privilegio personali pro quatuor diebus qualibet hebdomada fruitur, teneatur iisdem paramentis uti, diebus pariter non impeditis, pro ejusdem indulgentiae acquisitione?*

3° *Utrum sacerdos, qui bona fide hisce desuper errasset, sive alios in errorem traxisset, ita ut defunctorum animae praedicta indulgentia frustratae fuissent, ad aliquod remedium teneatur, et in casu, quo hacce obligatione sit adstrictus, quaenam debeat esse ista reparatio?*

---

[1]) Praedicta Missa potest applicari ad intentionem benefactorum, aut in quemcumque alium finem pium et etiam in suffragium defunctorum iis quoque diebus, quibus juxta rubricam celebranda esset Missa de Requie.

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 respondit:

Ad 1m et 2m: *Affirmative, juxta decretum diei 11 Aprilis 1840.*

Ad 3m: *Affirmative, quoad illos sacerdotes, qui pacto obligabantur, ut Missam celebrarent in altari privilegiato, eosque debere lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus Missae fructum applicuerunt toties, quoties diebus non impeditis usi non sunt indumentis nigri coloris.*

Jacobus Gallo Secret.

340.

1847 22 Februarii. Congregationes Societatis Jesu.

Brugen. Episcopus Brugensis in Belgio, humillime ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus exponit, in sua dioecesi existere extra domus et collegia Societatis Jesu varias Congregationes B. M. V. dicatas, in quibus quamplurimi utriusque sexus Christifideles numerantur, hincque magnum decus religionis, fructusque uberrimos pro salute animarum provenire, et cultum B. M. V. magis magisque florescere. Varii sacerdotes sacro ministerio addicti ab Episcopo ad hoc designati nec labori nec expensis parcunt, ut Societates hujusmodi in dies augmentum capiant et ubique propagentur. Quaedam tamen dubia circa administrationem praefatarum Congregationum, praecipue circa obligationem Constitutionis Clementis PP. VIII. *Quaecumque* de die 7 Decembris 1604 moventur, Patribus S. J. contendentibus illam Constitutionem respectu Congregationum abrogatam esse per Litteras Gregorii PP. XV. *Alias pro parte* de die 15 Aprilis 1621 et per Bullam Benedicti XIV *Gloriosae Dominae* de die 27 Septembris 1748; aliis tenentibus abrogationem istam tantum sustineri posse respectu earum Congregationum, quae in Domibus et Collegiis S. J. existunt, non vero respectu earum, quae per sacerdotes saeculares diriguntur. Quum vero, si dicta abrogatio in posteriori casu sustineretur, variae difficultates praevideantur, nociturae bono Congregationum, quae hocce tempore videntur unum ex praecipuis mediis a Deo con-

cessis, ut fides in juvenibus praecipue conservetur, moresque intacti permaneant, ideo Episcopus Orator quaerit:

Utrum abrogatio Bullae, Quaecumque a Sede Apostolica *Clementis VIII facta per litteras Gregorii XV.* Alias pro parte *et Benedicti XIV.* Gloriosae Dominae, *extendatur etiam ad Congregationes extra Domus et Collegia Societatis Jesu existentes, quae licet per Patres dictae Societatis erigantur, a sacerdotibus tamen saecularibus per Episcopum designatis diriguntur?*

Et quatenus Affirmative,

Petit, ut ad vitandas difficultates, Sanctitas Vestra dictas Sodalitates erectas, vel erigendas iterum regimini Bullae Quaecumque *submittere dignetur.*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 respondendum esse decrevit:

Ad primam partem: *Negative.*

Ad secundam partem: *Jam provisum in prima.*

Jacobus Gallo Secret.

341.

1847 22 Februarii. De statu gratiae ad lucrandas indulg. pro defunctis.

Sancti Flori. Episcopus S. Flori exponit, nonnullos theologos, aliis contradicentibus, dicere, fidelem peccato mortali inquinatum posse lucrari, non quidem in suum subsidium, sed in levamen animarum in purgatorio detentarum indulgentias, pro quibus lucrandis non praescribitur S. Eucharistiae Communio: unde discussio exorta est inter presbyteros suae dioecesis.

Quare Episcopus Orator supplex recurrit postulans a S. Sede resolutionem sequentium dubiorum:

1° *Utrum Christifidelis peccato mortali inquinatus lucrari possit non quidem in suum subsidium, sed in levamen animarum in purgatorio degentium indulgentias, pro quibus lucrandis non praescribitur Communio?*

2° *Utrum sacerdos Missam celebrans peccato mortali inquinatus sive ad altare privilegiatum in suffragium fidelium defun-*

ctorum, sive cum applicatione indulti altaris privilegiati personalis, revera animam pro qua S. Sacrificium offert, gaudere faciat etiam gratia altaris privilegiati?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 ad 1^m et 2^m dubium censuit respondere: *Consulat probatos auctores.*

Jacobus Gallo Secret.

342.

1847 22 Februarii. Reliquiae.

Coenomanen. Episcopus Coenomanen. exponit, se sacras Reliquias recte honorari volentem pro sua dioecesi statuisse, ut particulae SS. Crucis D. N. J. C. non collocarentur cum Reliquiis Sanctorum in iisdem capsis, quia cultus Sanctorum Reliquiis exhibendus non est idem, ac cultus SSmae Crucis, vel aliorum instrumentorum Passionis D. N. J. C. particulis debitus. Innixus est praeterea decreto Sac. Congregationis Rituum diei 6 Maji 1826 et testimonio Gardellini in Indice expresse dicentis „*Crucis Reliquia retinenda separatim a Reliquiis Sanctorum*". Postulat igitur, ut declaretur:

An praxis separandi Reliquias SSmae Crucis D. N. J. C. a Reliquiis Sanctorum sit accurata et retinenda?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847, auditis Consultorum votis rebusque mature perpensis, respondendum esse decrevit:

Affirmative et ad Eminentissimum Praefectum ad mentem. Et mens fuit, quod scribatur tam Eminentissimo Urbis Vicario quam Reverendissimo Sacristae Capellae Palatii Apostolici, ad quos pertinet custodia Sanctarum Reliquiarum, ut in vigorem revocentur decreta alias edita pro separatione Reliquiarum SSmae Crucis a Reliquiis Sanctorum.

Jacobus Gallo Secret.

343.

1847 12 Julii. Varia dubia.

Cameracen. Archiepiscopus Cameracensis quaerit humiliter solutionem dubiorum sequentium:

1° *Utrum moderatores Sodalitatum B. M. V. de Rosario, et de Monte Carmelo valeant benedicere rosaria et scapularia cum applicatione indulgentiarum assuetarum, eo ipso quod supradictos moderatores instituerit in erigendo praelaudatas Sodalitates cum assuetis indulgentiis etc. Apostolica delegatione sibi concessa, etsi Breve illi impertitum non mentionem faciat de indulta facultate moderatoribus, ad effectum benedicendi hujusmodi rosaria et scapularia, et utrum pariter facultas concessa primo moderatori transeat ad ejus successores in hoc munere?*

2° *An per exceptionem regulae generalis communiter admissam reipsa pias Sodalitates SS. Sacramenti et Doctrinae Christianae in omnibus omnino ecclesiis parochialibus cum applicatione indulgentiarum instituere, seu erigere liceat, ita ut non requiratur unius leucae distantiae inter duas hujusmodi Sodalitates?*

3° *Utrum Sodalitates, quae canonice existebant ante concordatum 1801, amiserint de facto sua privilegia et indulgentias, et idem dicendum sit de altaribus privilegiatis et aliis spiritualibus gratiis?*

4° *An indulgentiae quibusdam majoribus festis adnexae, sint translatae, eo ipso quod solemnitds hujusmodi festorum sit canonice apud nos translata ad Dominicam sequentem?*

5° *Utrum Moniales etiam non approbatae a S. Sede, ut in Gallia communiter existunt, possint lucrari indulgentias, quibus gaudent respectivi Ordines religiosi Romae vel alibi existentes et qui sunt approbati?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 respondendum duxit, ut infra:

Ad 1m: *Affirmative juxta Votum, i. e.: Consulendum SSmo pro sanatione quoad praeteritum, et pro facultate eidem Eminentissimo Archiepiscopo Cameracensi, ut per se, vel per sacerdotes a se deputandos benedicat rosaria et scapularia, illaque respective imponat fidelibus ad lucrandas indulgentias unicuique ex Confraternitatibus praedictis ab Apostolica Sede concessas.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Negative quoad Sodalitates olim legitime existentes et deinde sub eisdem titulo, legibus, habitu, ubi tamen gestare*

liceat, noviter ac canonice erectas; quoad vero altaria privilegiata, aliasque gratias spirituales recurrat in casibus peculiaribus.

Ad 4m: *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad 5m: *Affirmative juxta Rescriptum Sacrae Poenitentiariae d. d. 10 Julii 1843, ut infra:* „Sac. Poenitentiaria, perpensis „expositis respondit: Affirmative, nempe oratrices (hoc est „Carmelitae Excalceatae) uti et ceteras sorores monaste„riorum Galliae lucrari posse indulgentias omnes, quae Re„ligioni seu Instituto aliarum Monialium solemnia vota „emittentium secundum institutum, seu regulam respectivam „concessae fuerunt, idque ex Indulto s. m. Pii VII a SSmo „D. N. PP. Gregorio XVI iterum confirmato.“

Facta autem per infrascriptum Cardinalem ejusdem Sacrae Congregationis Praefectum SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia habita die 12 Julii 1847, super primo et quarto dubio, Sanctitas Sua quoad primum benigne annuit pro sanatione quoad praeteritum, et quoad futurum concessit facultatem Eminentissimo Archiepiscopo Cameracensi, ejus vita naturali durante, prout in dicto dubio responsum est; quoad vero quartum dubium EE. PP. responsioni, eadem Sanctitas Sua clementer annuit, dummodo solemnitas legitime translata sit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
Jacobus Gallo Secret.

344.

1847 12 Julii. Varia dubia.

Valentinen. Episcopus Valentinensis implorat solutionem sequentium dubiorum:

1° *An translata solemnitate Epiphaniae etc. in regno Galliarum, translatae sint pariter indulgentiae diei proprio adnexae, ita ut fideles eas lucrari possint Dominica sequenti, ad quam solemnitas translata est?*

2° *An qui emit cruces, numismata etc. ut ea distribuat postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa, vel sine periculo indulgentias amittendi? An amittantur tantum, quando quis*

sibi eas res proprias fecerit, et iis usus fuerit cum intentione lucrandi indulgentias?

3° *Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato v. gr. pro extirpatione haeresum etc. an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus?*

4° *An visitantes ecclesias Ordinis S. Francisci die 2 Augusti, lucrentur indulgentiam plenariam toties quoties in eas ingrediuntur, et parumper ibi orant? Et an requiratur, ut Communio fiat in eadem ecclesia?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Februarii 1847 respondit, ut infra:

Ad 1m: *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad 2m: *Negative* ad primam partem; ad secundam: *non indigere responsione.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

Facta autem per infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationis Praefectum SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia habita die 12 Julii 1847, Sanctitas Sua quoad primum dubium benigne annuit, dummodo solemnitas legitime translata sit; quoad reliqua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.

A. Archipr. **Prinzivalli** Substitutus.

345.

1848 31 Januarii. **Reliquiae.**

Atrebaten. Cum Eminentissimus ac Reverendissimus S. R. E. Cardinalis de la Tour d' Auvergne Lauragais Episcopus Atrebatensis in Gallia, quoddam Supparum (vulgo Rocchetto) possideat, quod ex nonnullis documentis in actis Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exhibitis, putatur olim ad S. Franciscum Salesium Genevensem Antistitem pertinuisse, antequam illud publicae fidelium venerationi possit exponi, ab eadem hac Sacra Congregatione enixis precibus postulavit, ut de illius authenticitate, perpensis perpendendis, pronuntiaret. Visis itaque allatis

documentis, auditisque Consultorum votis, EE. PP. in generalibus comitiis in Palatio Apostolico Quirinali die 31 Jan. 1848 habitis, ad primum dubium: *An constet de authenticitate suppari S. Francisci Salesii?* respondendum esse censuerunt: *Non constare;* ad secundum vero, *an eidem cultus sit permittendus?* responderunt: *Provisum in primo.*

F. Card. **Asquinius** Praef.
Jacobus **Gallo** Secret.

346.

1848 31 Januarii. Via Crucis.

Nancejen. Episcopus Nancejensis postulat:

Utrum erectio et benedictio stationum Viae Crucis in ecclesia, vel oratorio ita fieri possit, ut ante caeremoniam, vel etiam die praecedenti, quatuordecim cruces cum tabulis pictis, si quae sint, suspendantur in locis praefixis, et earum benedictio fiat a sacerdote ad eas ante aram converso, quibus expletis, sacerdos ad singulas cruces genuflexus eas incensat, et orat more solito, vel utrum expositio et suspensio fieri debeat durante caeremonia, quod quidem esset difficillimum?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 31 Januarii 1848 respondit:

Servandam esse in omnibus consuetudinem.[1])

Jacobus **Gallo** Secret.

347.

1848 31 Januarii. De precibus pro acquir. indulgentiis concessis sodalibus Congregationis B. M. V.

Constantien. Presbyter quidam Canonicus honorarius ecclesiae Constantiensis provinciae Rothomagen. in Gallia, Superior minoris seminarii Mamvillae in eadem dioecesi, a Sacra Congregatione quaerit:

An quaedam speciales preces quotidianae sint necessario recitandae ad obtinendas indulgentias, quae a Summis Pontificibus fuerunt concessae sodalibus Congregationum B. M. V. rite institutarum in Collegiis et aliis locis etc. Romanae Congregationi aggregatarum. Ratio dubii in eo statuitur, quod hujusmodi preces

---

[1]) Vide tamen decretum diei 21. Junii in Smirnen.

videantur requirere decreta de indulgentiis, quae sunt Congationibus Apostolica auctoritate concessae?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali 31 Januarii 1848 respondit:

Ubi nullae sunt praescriptae preces quotidianae ad effectum andi indulgentias, non tenentur Christifideles ad aliquas deteratas recitandas.

Jacobus Gallo Secret.

348.

1848 31 Januarii. Altare privilegiatum.

Tolosan. Viceparochus S. Exsuperii, dioecesis Tolo-ae, humiliter proponit casum infrascriptum:

An, quando requiritur Sacrificium Missae pro indulgentia anda, Missa possit offerri pro uno, et indulgentia applicari altero?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali 31 Januarii 1848 respondendum esse censuit:

Communicetur Oratori votum Consultoris.

Jacobus Gallo Secret.

Votum Consultoris: Hanc eamdem quaestionem enu-andam sibi proponit doctissimus P. Joannes Cavalieri,[1] icet an indulgentia et Sacrificium dividi queant? Respon-: „*Decisio pendet ex verbis indulti. Si enim cantat:* qui defuncto Missam in tali altari dixerit, liberat animam s etc., *Sacrificium et indulgentia non possunt dividi, sed umque pro eodem defuncto est applicandum; si autem tò* defunctis *in indulto desit, applicatio solius indulgentiae ficit ad liberandam animam, et sacrificium cuilibet poterit apcari; . . . si tamen fundator, aut stipem erogans imponat onus ebrandi in altari privilegiato, tunc praedicta divisibilitas locum habet: per impositionem quippe talis oneris censetur etiam uisse applicationem indulgentiae. Secus est si sacerdos onus eat sacrificandi, sed non in altari privilegiato; tunc quidem nplet obligationem suam per applicationem Sacrificii, et liber quoad applicationem indulgentiae, dummodo tamen celebret in ari, cujus privilegium non exquirat etiam applicationem Missae.*“

[1]) Tom. II. pag. 198 edit. Bergomen. anni 1748.

Quae solutio et mihi arridet: nam indulgentia etiam pro defunctis est donum ex Ecclesiae thesauro depromptum, qui constat ex meritis Christi, Beatae Mariae Virginis, et aliorum Sanctorum; opera vero injuncta sunt conditio solum, sine qua effectum non sortitur indulgentia: ergo aliud est indulgentia, aliud opus injunctum. Porro si applicatio indulgentiae pro solis defunctis concessae necessario conjuncta esset cum applicatione Sacrificii, Sacrificium et indulgentia forent unum et idem; ergo Sacrificium non esset tantum opus injunctum, nec indulgentia ex Ecclesiae thesauro deprompta, sed ex valore infinito ejusdem Sacrificii, qui certe ecclesiae potestati non subest, sed voluntati Dei finito modo applicantis; atqui Sacrificium est tantum opus injunctum, et indulgentia non ex valore, seu fructu Sacrificii eruitur, ergo non sunt unum et idem, adeoque Sacrificium et indulgentia dividi possunt (saltem dum aliud in indulto non exprimitur) et consequenter in hac hypothesi sacerdos potest Sacrificium offerre pro uno, et indulgentiam applicare pro altero. Haec sunt, quae sapienti judicio vestro, Eminentissimi Patres, subjicienda esse duxi.

349.

1848 31 Januarii. Confraternitas SS. Rosarii B. M. V.

Briocen. Episcopus Briocensis proponit humiliter casum ut infra.

Sacra Congregatio Indulgentiarum huic quaestioni scilicet: *An sit necessarium pro Confraternitate SS. Rosarii B. M. V. ut altari B. M. V. apponatur imago ejusdem cum quindecim Mysteriis in circum,* die 25 Septembris 1845 responsum dedit negativum. Cum vero dictae Confraternitatis institutio a PP. Dominicanis concessa inferat necessitatem praefatae imaginis, quaeritur:

Quid sit agendum?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 31 Januarii 1848 decrevit, respondendum esse:

In decisis sub die 25 Septembris 1845, et notificetur P. Procuratori Generali Ordinis Praedicatorum.

Jacobus Gallo Secret.

350.

1850 19 Septembris. Scapulare.

Ordinis Carmelitarum Excalceatorum in ditione Belgica. Vicarius Provincialis Carmelitarum Excalceatorum in Belgio exponit: In Constitutione Pauli V 30 Octobris 1606, in qua conceduntur indulgentiae confratribus et consororibus B. M. V. de Monte Carmelo, disponitur, indulgentias conferri fidelibus, qui Confraternitatem ingressi fuerint, et *habitum receperint*. Similiter in Summario indulgentiarum a Confratribus ipsis lucrandarum, quod anno 1678, 22 Martii recognitum et approbatum fuit a Sacra Congregatione Indulgentiarum et Reliquiarum, habetur, fideles ad illas consequendas ingredi debere in Confraternitatem canonice erectam, et ut legitimus sit ingressus eorum, oportere *quod recipiant scapulare benedictum a Superiore Religionis, seu ab alio sacerdote facultatem habente eum benedicendi.* Pari modo Clemens XI in suo Brevi 24 Novembris 1702 confirmat quoddam decretum Eminentissimi Sacripante, Ordinis Carmelitarum Protectoris, in quo dicitur, admissos ad aliquam canonice erectam Confraternitatem hujusmodi *teneri prima vice recipere habitum, seu scapulare benedictum a Superioribus Religionis, vel ab alio sacerdote, cui dicta benedicendi facultas fuerit attributa.* Tandem Sacra Congregatio Indulgentiarum anno 1840 declaravit, valere adscriptionem fidelium in Confraternitatem scapularis, dummodo in iis adscribendis serventur substantialia, idest *habitus benedictio, illius impositio et in Confraternitatem receptio.*

Jam vero sacerdotes Congregationis SS. Redemptoris solent in Belgio occasione sacrarum missionum, generaliter, et unica formula benedicere nonnulla scapularia, inter quae illud B. M. V. de Monte Carmelo, quae tunc fideles in manibus gestant, ac postea manibus propriis sibi ipsis imponunt et spargitur in vulgus a sacerdotibus praedictis, quod per hoc fideles rite et recte in Confraternitatem admittantur, et indulgentias acquirant a Summis Pontificibus impertitas illis, qui *Confraternitatem ingressi fuerint et habitum receperint*, et istud ex Rescripto quodam s. m. Pii PP. VII hic ad verbum relato:

„Cum nonnulli sacerdotes Congregationis SS. Redemptoris facultatem hodie habeant, et alii imposterum habere possint benedicendi scapularia quorumdam Ordinum Regularium cum lege eadem imponendi singulis illis fidelibus, qui iis uti exoptant, adhibendo formulam in actu impositionis: *Accipe scapulare* etc., et cum obligatione eisdem fidelibus tradendi proprium nomen describendum in albo illius Ordinis, ad quem pertinet scapulare; cumque occasione sacrarum missionum in actu praedicationis, innumera a fidelibus exhibeantur scapularia benedicenda, proindeque praefatus ritus servari nequeat, Superior Generalis praedictae Congregationis humillimis precibus petiit a SS. D. N. Pio VII Pontif. Max., ut in hoc casu, non obstante omissione praescriptae formae, fas sit in posterum supradictis sacerdotibus praefata scapularia benedicere, ac si eadem servaretur. Sanctitas Sua, me infrascripto Secretario referente, benigne annuit pro gratia juxta petita. Die 8 Januarii 1803.

F. de Carpineo S. R. C. a Secret.

Itaque ut habeatur certa regula ad instructionem fidelium, et judicari possit in facto, sintne validae adscriptiones hujusmodi in Confraternitatem sacri scapularis, Orator poscit resolutionem sequentium dubiorum:

1° *An Rescriptum s. m. Pii PP. VII extendi possit etiam ad scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, licet de eo in supplici libello non fiat expressa mentio?*

2° *An Rescriptum s. m. Pii PP. VII* juxta petita *extendi debeat non solum ad benedicendum scapularia parva sicuti vult supplex libellus, sed etiam ad dispensandum aggregandos a receptione habitus de manu sacerdotis, et ab eorum formali admissione in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, quae sunt res distinctae a simplici benedictione habitus, cum illae stare possint sine ista, quemadmodum stant saepe saepius in fidelibus aggregatis, et ex mera devotione volentibus benedictionem novi scapularis substituendi veteri attrito?*

3° *An per Rescriptum s. m. Pii PP. VII, licet non habeatur clausula* contrariis non obstantibus, *vel quid simile, derogatum sit sufficienter Brevibus Apostolicis et decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum supra enumeratis; adeo ut, de-*

ficiente impositione scapularis per manum sacerdotis ibidem praescripta, ac expressa receptione in Confraternitatem Ordinis, valida sit admissio fidelium in Confraternitatem et fruantur indulgentiis et gratiis?

4° *An per declarationem posteriorem Sacrae Congregationis Indulgentiarum anno 1840 volentem, ut substantiale in aggregandis, impositionem habitus de manu sacerdotis etc., censendum sit derogatum Rescripto s. m. Pii PP. VII anno 1803?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 31 Januarii 1848 respondit, ut infra:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Affirmative facto verbo cum SSmo pro sanatione ad cautelam quoad praeteritum, et pro concessione extensionis indulti quatenus opus sit quoad futurum.*

Ad 3m: *Affirmative in sensu praecedenti.*

Ad 4m: *Negative.*

Et facta de omnibus relatione SSmo D. N. die 19 Sept. 1850 Sanctitas Sua benigne annuit in omnibus juxta Sacrae Congregationis vota.

Jacobus Gallo Secret.

351.

1852 15 Martii. Altare privilegiatum.

Incerti loci. Sacerdos quidam habens privilegium personale altaris privilegiati bis aut ter in hebdomada, accepto stipendio pro Missa celebranda in altari privilegiato, ex praetextu personalis privilegii ejusdem altaris privilegiati, celebrat in altari non privilegiato. Quaeritur:

An bene se gerat, et utrum oneri suscepto satisfaciat?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Vaticano die 16 Februarii 1852 respondit:

Affirmative.

Et facta de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita die 15 Martii 1852 ab infrascripto Card. Praefecto, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum responsum approbavit.

F. Card. Asquinius Praef.
A. Colombo Secret.

352.

1852 15 Martii. Reliquiae.

Mediolanen. Cum prope Basilicam SS. Apostolorum ac S. Nazarii in civitate Mediolanensi vertente anno 1845 quatuor sepulchra fuerint inventa, quorum unum singula unius humani corporis ossa atque partem ex ossibus alterius corporis una cum sanguinis vase complectebatur, Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Carolus Cajetanus Gaysruck cl. m., Archidioecesis Mediolanensis Antistes, huic Sacrae Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregationi dubia proposuit ut infra:

1° *An inventa corpora vere Martyrum dicenda sint?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An publicae fidelium venerationi sint exponenda?*

Hinc EE. PP. praefatae Sacrae Congregationis in generalibus comitiis apud Vaticanas Ædes die 16 Februarii 1852 habitis, visa fidelissima relatione hujusmodi Corporum inventionis, auditis quoque Consultorum votis, ceterisque mature perpensis, tam ad primum quam ad secundum dubium responderunt:

Affirmative.

Factaque de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Cardinalem Praefectum relatione in Audientia diei 15 Martii 1852, Sanctitas Sua supraenuntiatam resolutionem benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

353.

1852 15 Martii. De regulis in jubilaeo servandis.

Urbis et Orbis. In Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita apud Vaticanas Ædes die 16 Februarii 1852 habita, duo enodanda delata fuerunt dubia: 1° *An scilicet in jubilaeo tum ordinario, tum extraordinario, servandae sint omnes regulae a s. m. Benedicto XIV traditae, quibus non adversatur Bulla jubilaei?* 2° *In Bulla jubilaei solet praescribi visitatio plurium ecclesiarum ejusdem*

civitatis aut loci: sed plurimis in locis unica adest ecclesia, an in hoc casu Episcopus possit visitationem ceterarum ecclesiarum in aliud opus pium commutare; vel etiam capellam, altare, crucem aliumve pium locum ecclesiarum loco visitandum designare? Cum vero EE. PP. in generalibus comitiis ut supra habitis, re mature perpensa, fuerint in voto quoad primum: *Affirmative;* quoad vero secundum: *Supplicandum SSmo, ut per decretum generale facultatem tribuat Ordinariis toties visitandi unicam ecclesiam, quot sunt ecclesiae pro acquisitione jubilaei visitandae;* de omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Cardinalem Praefectum SSmo D. N. PP. Pio IX facta fuit relatio in Audientia diei 15 Martii 1852; et Sanctitas Sua de Apostolica benignitate, resolutionem ejusdem Sacrae Congregationis approbavit, ac propositam facultatem Ordinariis in casu et ad effectum, de quo supra, benigne concessit, et ut praedicta concessio omnibus patefiat, per decretum generale eam publicandam esse mandavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

354.

1852 15 Martii. **Indulgentiae ecclesiarum suppressarum.**

Briocen. Ante tempora luctuosae memoriae perturbationis in Gallia anno 1789 in pluribus dioecesis Briocensis ecclesiis parochialibus existebant Confraternitates, quae canonice fuerant erectae, sicuti adhuc pro aliquibus constat ex authenticis monumentis, quae quidem ecclesiae, dispersis seu occisis pastoribus, derelictae fuerunt vel dirutae. Vi Concordati de rebus ecclesiasticis inter primum Consulem et almam Curiam (anno 1801 die 15 Julii artic. 9), nova circumscriptio, saeculo praesenti ineunte, facta fuit paroeciarum in dioecesi Briocensi, sed nonnullae e praefatis et antiquis ecclesiis parochialibus in nova restauratione comprehensae non fuerunt; longiore adhuc elapso tempore, et dolendae nimium perturbationis difficultatibus remotis, quaedam ex his ecclesiis cum approbatione gubernii Gallici necnon Ordinarii de novo *titulum ecclesiae parochialis* obtinuerunt. Nunc quaeritur:

1° *An indulgentiae rite olim concessae ecclesiis, de quibus supra agitur, adhuc reviviscant, cum eaedem ecclesiae canonice paroeciales iterum factae sunt?*

2° *An Confraternitates, quae olim in hisce praedictis, parochialibus ecclesiis existebant, adhuc gaudeant ejusdem erectionis canonicae titulo, necnon indulgentiis ab alma Curia concessis harum Confraternitatum sociis?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Vaticano die 16 Februarii 1852 respondit:

Ad 1m: *Consulendum SSmo pro confirmatione indulgentiarum in perpetuum concessarum ad cautelam.* [1])

Ad 2m: *Constito prius de nova canonica erectione providebitur.*

Et facta relatione ab infrascripto Cardinale Praefecto SSmo D. N. in Audientia diei 15 Martii 1852, Sanctitas Sua quoad primum benigne annuit pro confirmatione indulgentiarum in perpetuum concessarum ad cautelam; quoad secundum mandavit servari resolutionem Sacrae Congregationis diei 12 Julii 1847 in una Cameracensi ad dub. 3m.

F. Card. **Asquinius** Praef.

355.

1852 15 Martii.

Urbis et Orbis. Cum ad indulgentias acquirendas persaepe contingat, ut inter praescriptas conditiones, vocales quoque preces injungantur, postulante Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Jacobo Aloisio Brignole pii instituti surdorum ac mutorum in Urbe Protectore, cum etiam plures moderatores horum institutorum idipsum enixe postulaverint, propositum fuit dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum: *An et quomodo Surdo-Muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur preces recitandi pro indulgentiis acquirendis injunctas?* Re mature discussa tum prius ab uno ex praefatae Congregationis Consultoribus, tum demum ab Eminentissimis Patribus in comitiis generalibus apud Vaticanas Ædes die 16 Februarii hujus anni habitis, ipsi EE. PP. ejusdem Consultoris voto adhaerentes responderunt: Supplicandum SSmo pro generali decreto ab hac

[1]) Cfr. decreta Tornacen. diei 14 Decembris 1857, necnon Briocen. et Trecoren. diei 7 Sept. 1861.

Sacra Congregatione evulgando, atque Apostolica auctoritate firmando, cujus vi statuendum: 1° *Quodsi inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicujus ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devoti visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent, et pios affectus.* 2° *Quodsi inter opera sint publicae preces, surdo-muti possint lucrari indulgentias iis adnexas corpore quidem conjuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus.* 3° *Quodsi agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint.*

Facta itaque de praefatis omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum S. Congregationi Indulgentiarum Cardinalem Praefectum relatione in Audientia diei 15 Martii currentis anni, Sanctitas Sua non modo praedictum votum approbavit, verum etiam hujusmodi gratiam ac concessionem peramanter elargitam per generale decretum publicari mandavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

356.

1852 15 Martii. Visitatio ecclesiae.

Maceraten. Prior et Guardiani venerabilis Confraternitatis SS. Trinitatis erectae in ecclesia B. M. V. dedicata sub titulo Misericordiae in civitate Maceratensi, qui obtinuerunt indulgentiam plenariam quotidianam perpetuam pro vivis et defunctis, quaerunt, *an talis indulgentia possit acquiri quotidie a quocumque fideli, qui confessus et sacra Communione refectus visitaverit praedictam ecclesiam, an vero semel tantum intra decursum anni.* Quod etc.

Sac. Congregatio, audito consultoris voto, die 16 Febr. 1852 respondit:

Dilata, et scribat alter.

Verum facta relatione SSmo D. N. in Audientia diei 15 Martii 1852 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Votum Consultoris approbavit, nempe „indulgentiam plenariam quotidianam perpetuam vel ad tempus

concessam visitantibus aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium, ita semper intelligendam esse mandavit, ut semel in anno tantum ab unoquoque fideli acquiri possit: excepto solummodo casu, quo in decreto, Rescripto, Brevi etc. concessionis favore alicujus ecclesiae, seu publici oratorii, clare et explicite expressum sit, indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse".

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

357.

1852 2 Maji. Altare privilegiatum.

Incerti loci. Cum ex decreto Sacrae Congregationis Rituum sub die 2 Septembris 1741 in Missis defunctorum in paramentis nigris non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti extrahendo pixidem a custodia, et paramenta nigra hic exclusive intelligantur, ita ut liceat ministrare Eucharistiam per modum Sacramenti, si Missa de Requie dicatur in paramentis violaceis (S. Ligor. de Euchar. num. 249); et ex altera parte, ex responso Sacrae Congregationis Indulgentiarum sub die 11 Aprilis 1840, cum sacerdos debeat celebrare in paramentis nigro colore diebus non impeditis, ut altaris privilegiati indulgentiam consequatur, quaeritur:

1° *Utrum in allata responsione Sacrae Congregationis Indulgentiarum 11 Aprilis 1840 color niger pariter sensu exclusivo debeat intelligi, ita ut indulgentiam altaris privilegiati non consequatur, qui cum paramentis violaceis Missam de Requie celebret?*

2° *Utrum qui hac vel alia quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Vaticano die 16 Februarii 1852 respondit:

Ad 1m: *Juxta votum Consultoris i. e. ut fruatur altari privilegiato sacerdos, diebus non impeditis celebrare debet Missam defunctorum, et uti paramentis nigris, vel ex rationabili causa violaceis.*

Ad 2m: *Negative.*

Et facta de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita die 2 Maji 1852 ab infrascripto Card. Praefecto, Sanctitas Sua Eminentissimorum responsionem approbavit. [1])

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

358.

1852 15 Martii. De Sodalitate tertii Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo.

Briocen. Beatissime Pater! Vicarius Generalis Episcopi Briocensis et ipsius nomine ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus exponit, quod in oratorio publico Monialium vulgo Filles de la Croix urbis Guingchap in dioecesi Briocensi existit a pluribus annis Sodalitas tertii Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, in qua receptae sunt ad professionem et vota emiserunt plures personae coram sacerdote canonica facultate munito ad talia vota recipienda. Pietate et recta disciplina commendabilis est dicta Sodalitas; sed exsurrexit apud hodiernum rectorem dubium, an fuerit in dictis urbe et oratorio illa Sodalitas primitus canonice erecta. Re autem apud nos mature perpensa non potuit constare de canonica erectione, unde orta sunt nobis sequentia dubia:

1m: *An personae bona fide receptae et professae in dicta Sodalitate valide professae sint ad effectum certo lucrandi positis aliunde ponendis indulgentias praefato tertiario Ordini concessas?*

2m: *An personis alibi canonice professis sufficere regulariter possit, quod Ordinarius novum assignet locum et oratorium, ut sic facta loci translatione remaneat facultas indulgentiarum in hoc novo loco lucrandarum?*

3m: *An superveniente rationabili causa Ordinarius jure communi habeat facultatem ex una Sodalitate hujus tertiarii Ordinis nonnullas personas distrahendi, et sic novam Sodalitatem sub alio rectore constituendi in alio loco a priore Sodalitate saltem tribus milliariis distante?*

[1]) Cfr. decret. diei 14 Aprilis 1840 Incerti loci in Gallia, et diei 22 Febr. 1847 Briocen.

4m: *An persona professa in una Sodalitate salvis indulgent...* *possit licite transire ad aliam Sodalitatem ejusdem tertiarii Ordi...* *stante rationabili causa et approbante rectore vel Ordinario?*

Sac. Congregatio die 16 Februarii 1852 respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Consulendum pro nova Confraternitatis erectione.*

Ad 4m: *Affirmative.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Praefectum SSmo D. N. in Audientia diei 15 Martii relatione, Sanctitas Sua votum EE. PP. benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.

359.

1852 6 Maji. Varia dubia.

Briocen. Episcopus Briocensis proponit casus infrascriptos:

1° *Indulgentia concessa pro aliquo festo cessatne, cum illud festum transfertur?*

2° *Sacerdos, qui habet facultatem applicandi tantum privatim indulgentias piis rebus, potestne in fine officii publici applicare indulgentias iisdem rebus depositis super aliquo altari, quod designavit?*

3° *Indulgentia concessa pro festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis estne lucranda die 25 vel 27 mensis Maji? (In dioecesi Briocensi illud festum die 27 Maji celebratur.)*

4° *Si Christifidelis culpae certae immemor est ex ultima absolutione, teneturne ad absolutionem recipiendam, ut lucrari possit indulgentias, pro quibus Confessio sacramentalis praescribitur?*

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Vaticano die 16 Februarii 1852 respondit:

Ad 1m: *Supplicandum Sanctissimo pro generali concessione translationis indulgentiarum, cum solemnitas festi, cui adnexae sunt indulgentiae (non tamen quoad officium tantum), legitime transfertur.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Lucretur in casu die 27 Maji.*

Ad 4m: *Affirmative.*

Et facta de omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX relatione ab infrascripto Card. Praefecto in Audientia 6 Maji 1852 SSmus resolutiones Sacrae Congregationis approbavit, et quoad 1^m, mandavit publicari decretum generale juxta mentem, ut infra; et quoad 4^m jussit rescribi:

Affirmative quoad Confessionem, Negative quoad absolutionem, servato decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 9 Dec. 1763 a s. m. Clemente XIII approbato.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

360.

1852 9 Augusti. De translatione festorum relate ad indulgentias.

Urbis et Orbis. Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit in fidelium utilitatem, atque earum usum christiano populo maxime salutarem esse affirmet sancta Tridentina Synodus (Sess. 26 decr. de Indulg.), congruum omnino videtur, omne studium impendere, ut indulgentias, quae occasione dierum festorum vel concessae jam sunt, vel concedentur, fideles facilius lucrari possint, eoque magis cum ingens populi christiani concursus ad ea festa celebranda conveniat. Jam vero cum, hac nostra praesertim aetate, maxime ob ecclesiasticas conventiones ab Apostolica Sede cum exteris nationibus initas, festorum legitimae translationes occurrant; et generatim cum per hujusmodi translationes ex justis causis, debitis cum facultatibus factas, licet etiam pro sola externi cultus celebratione, quin et una simul Officium cum Missa transferatur, fidelium devotioni consultius prospiciatur, ad eam magis magisque fovendam maxime interest, ut etiam indulgentiae his festis adnexae transferantur. Quamvis autem alias tum a S. Rituum Congregatione, tum ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita quaesitum fuerit, utrum in translatione festorum etiam translatae intelligantur adnexae indulgentiae, et vel negativa intercesserit responsio, vel in singulis casibus recurrendum esse ad hanc Sacram Congregationem sancitum fuerit, nec unquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi indulgentiarum

provisum fuerit; attamen Eminentissimi Patres in generalibus comitiis hujus Sacrae Congregationis, attentis actualibus temporum hujusmodi et peculiaribus locorum et ecclesiarum et fidelium circumstantiis, necnon et attenta resolutione diei 16 Febr. currentis anni [1]), pro concessione generali translationis indulgentiarum occasione translationis festorum supplicandum Sanctissimo unanimiter censuerunt. Sanctissimus itaque Dominus Noster Pius PP. IX audita de his omnibus relatione per me infrascriptum Secretariae ejusdem Sacrae Congregationis Substitutum in Audientia diei 9 Augusti 1852 habita, benigne mandavit, ut omnes indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt, ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt, et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum, vel ejus octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa hujusmodi etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non vero quoad Officium et Missam in aliquibus locis, vel ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit. [2])

Hanc autem Apostolicae benignitatis concessionem Eadem Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium non obstantibus, ac perpetuis futuris temporibus, absque ulla Brevis expeditione valituram, per hoc Sacrae Congregationis decretum typis impressum publicari voluit, dummodo ceterae omnes aliae conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus praedictarum indulgentiarum pro iis adipiscendis praescriptae omnino serventur.

F. Card. **Asquinius** Praef.
Aloisius Archipr. Prinzivalli Substit.

[1]) Vide supra um. 359. Briocen. ad 3.

[2]) Cfr. decret. Belgica diei 8 Febr. 1762, Cameracen. diei 12 Julii 1847 ad 4. Briocen. 6 Maji 1852 ad 1.

361.

1852 30 Septembris. Indulg. adnexae precibus in Raccolta contentis et quocumque idiomate recitatis declarantur defunctis applicabiles.

Urbis et Orbis. Cum in collectione precum ac piorum operum vulgo *Raccolta di Orazioni e pie opere per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le Sante Indulgenze* duodecies jam Romae typis evulgata, pro quibus a Summis Pontificibus per generales concessiones indulgentiae sunt fidelibus elargitae, nonnullae ex iis indulgentiis non reperiantur fidelibus defunctis applicabiles, nonnullae vero preces, quibus adnexae sunt indulgentiae, latino tantum vel italico idiomate scriptae sint, et cum pro tertiadecima vice eadem Collectio sit jamjam evulganda, enixis precibus SSmum D. N. Pium PP. IX rogavi ego infrascriptus Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutus in Audientia habita die 30 Sept. 1852, ut de Apostolica Sua benignitate clementer indulgere dignaretur, ut deinceps omnes et singulae indulgentiae tam in ipsa tertiadecima editione, quam in aliis Romae in posterum de licentia hujus Sacrae Congregationis evulgandis recensendae, fidelibus etiam defunctis applicabiles esse intelligantur, necnon omnes et singulae orationes in ipsa pariter decimatertia, ac in aliis ut supra continendae, quocumque idiomate, dummodo versiones sint fideles, pro indulgentiarum acquisitione recitari possint. Itaque Sanctitas Sua praefatis humillimis precibus clementissime exceptis, majori Christifidelium spirituali utilitati prospiciens, maximumque animabus defunctorum solatium afferre peroptans, benigne annuit in omnibus juxta petita. Praeterea Eadem Sanctitas Sua mandavit, ut, si contigerit eamdem Collectionem in aliud verti idioma, hujusmodi versio typis publicari non possit absque approbatione hujus Sacrae Congregationis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

F. Card. **Asquinius** Praef.
Aloisius Archipr. **Prinzivalli** Substit.

362.

1855 12 Martii. Bened. in articulo mortis.

Ditionis Belgicae. Cum Sacra Congregatio Indulgentiarum in una Valentinen. sub die 5 Februarii 1841 sequenti dubio: *Utrum infirmus pluries lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam?* resolutionem dedisset: *Negative in eodem mortis articulo,* exinde quaeritur:

1° *Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sit, infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri pluries ab eodem vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo* benedictio papalis *dicitur?*

2° *Utrum vi ejusdem resolutionis item prohibitum sit, impertiri pluries infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis Confraternitati Sanctissimi Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, Sanctissimae Trinitatis etc.?*

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, postquam in generalibus comitiis habitis die 5 Martii 1855 apud Ædes Vaticanas votum Consultoris super praefatis dubiis audisset, respondendum censuit:

Affirmative ad utrumque, firma remanente resolutione in una Valentinen. sub die 5 Februarii 1841.

Factaque de his omnibus SSmo D. N. relatione in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 12 Martii ejusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne confirmavit.

F. Card. Asquinius Praef.
A. Colombo Secret.

363.

1855 12 Martii. De coronis, crucibus etc.

Verdunen. Enixis precibus Verdunensis Episcopus huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exposuerat, quod hactenus coronae deprecatoriae,

numismata sacra et cruces, antequam tali vel tali personae distribuantur, in globo benedicantur cum applicatione indulgentiarum a sacerdotibus, qui hujusmodi facultatem a S. Sede impetraverunt; et exinde quaerebat, *utrum valida sit benedictio, ita ut indulgentias praedictas adnexas possit quisque lucrari.* Proposito itaque dubio in generali EE. PP. conventu in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Martii 1855 habito, Sacra Congregatio, voto Consultoris audito, respondit: *Affirmative.*

Et facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis confirmavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

364.

1855 12 Martii. De Confessione hebdomad.

Veronen. Episcopus Veronensis Sacrae Congregationi Indulgentiarum dubia, ut infra, enodanda proposuit, nempe:

1° *Utrum privilegium Clementis XIII, quod qui assolent confiteri semel saltem in hebdomada, possint lucrari indulgentias plenarias infra hebdomadam occurrentes, cum sola Communione, quamvis in Brevi Apostolico Confessio praescripta sit, valeat et extendatur etiam pro lucranda indulgentia vulgo de Portiuncula die 2 Augusti?*

2° *Utrum praefatum privilegium suffragetur etiam illis, qui non assolent confiteri semel saltem in hebdomada, sed rarius: attamen confessi sunt intra hebdomadam ante festivitatem, cui est adnexa indulgentia?*

3° *Utrum Confessio hebdomadalis valeat etiam pro lucranda indulgentia in forma jubilaei, et extendatur decretum Clementis PP. XIII Veronae, idest, ut, qui saepius assolent confiteri, possint lucrari indulgentiam, etiamsi confessio non sit hebdomadalis?*

EE. PP. in generalibus comitiis apud Vaticanas Ædes die 5 Martii ineuntis anni habitis, praecedentibus hujus Sacrae Congregationis decretis rite perpensis, votoque Consultoris audito, respondendum esse censuerunt:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Negative ad primam partem; non expedire ad secundam.*[1])

Facta demum de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua praefatas resolutiones benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

365.

1855 12 Martii. Via Crucis.

Ditionis Belgicae. Praepositus Generalis Societatis presbyterorum Misericordiae sub titulo Beatae Mariae in Conceptione sua immaculata, Missionarius Apostolicus, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime exponit duplex dubium circa usum facultatis sibi suisque concessae quoad erectionem stationum Viae Crucis, nempe:

1° *Cum in Rescripto enuntietur facultas erigendi stationes in publicis ecclesiis dubium exortum est, utrum his verbis:* in publicis ecclesiis, *excludantur ecclesiae seu oratoria hospitiorum, seminariorum, communitatum, institutionum etc. quae ad usum tantum personarum intra septa illa degentium aedificata sunt, et publico usui exterorum nonnisi quandoque et per accidens inserviunt?*

2° *Dubitatur etiam utrum exigendum sit in unaquaque dioecesi exemplar authenticum praedictae facultatis a S. Sede concessae, quod ab Episcopo de scripto cognoscatur, an vero sufficiat testimonium Praepositi Generalis mentionem faciens Rescripti de quo supra, ut possit Episcopus licentiam dare presbyteris Societatis erigendi stationes, servatis de cetero reliquis conditionibus a Summis Pontificibus praescriptis?*

Sac. Congregatio Indulgentiarum die 5 Martii anni 1855 in comitiis generalibus apud Vaticanas Ædes habitis, voto Consultoris audito, respondendum esse duxit:

---

[1]) Cfr. decret. diei 9 Decembris 1763 et Montis Falisci 20 Augusti 1822.

Ad 1^{m}: *Facultatem erigendi stationes in publicis ecclesiis, de qua in Rescripto, intelligendam esse etiam pro oratoriis auctoritate Episcopi institutis, et per viam publicam ingressum habentibus.*

Ad 2^{m}: *Provisum per regulas generales.*

Et facta de his SSmo D. N. Pio PP. IX per me subscriptum Sacrae Congregationis Secretarium relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua EE. PP. resolutiones benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

366.

1855 12 Martii. Altare privilegiatum.

Veronen. Cancellarius Episcopalis dioecesis Veronensis huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi proposuit dubia ut infra:

1° *Utrum Missa celebrata ad altare privilegiatum sit per se privilegiata, vel necesse sit, ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos intendat applicare privilegium?*

2° *Utrum in die obitus, tertii, trigesimi, et anniversarii Missa de Requie cantata pro aliquo defuncto sit privilegiata?*

Eadem Sacra Congregatio in generalibus comitiis habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Martii anni 1855, audito prius Consultoris voto, respondendum esse duxit:

Ad 1^{m}: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 2^{m}: *Negative.*

Et facta de his omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

367.

1855 12 Martii. Dubia diversa.

Melden. Ab hac Sacra Indulgentiarum Congregatione sequentium dubiorum solutionem postulabat majoris seminarii Meldensis moderator:

1° *An ad lucrandam indulgentiam, vel fructus orationis* Sacrosanctae *necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo, recitari valeat?*

2° *An parvi habitus seu scapularia sint necessario immediate super corpus deferendi, ita ut illud physice tangant, vel an super vestes retineri possint?*

3° *An indulgentiae a s. m. Pio V. adnexae recitationi parvi Officii B. M. V. valeant pro solo Officio Romano, vel an etiam pro variis Officiis B. M. V. ab auctoritate episcopali compositis ad instar Officii Romani?*

4° *Qui recitat Hymnum* Veni Creator etc. *non juxta correctionem metri, sed juxta pristinum metrum, lucraturne indulgentias? Doxologiae Hymni* Veni Creator etc. *variatio inter tempus paschale et extra, de essentia estne operis ad lucrandas indulgentias? In Galliis hymni* Veni Creator etc. *doxologia ab auctoritate episcopali proponitur; qui praedictum Hymnum recitant cum ista doxologia valentne suas illius facere indulgentias?*

5° *Antiphona* Regina Coeli etc. *quae dici solet tempore paschali loco precum* Angelus Domini etc. *recitatur in aliquibus locis cum Versiculo et Respons. diversis ab illis, quae dantur in Breviario Romano; quaeritur, an recitatio praedictae Antiphonae cum ista commutatione jus det aequale ad indulgentias?*

Quibus omnibus mature perpensis votoque Consultoris audito, EE. PP. Sacris Indulgentiis praepositi, in generali congregatione apud Vaticanum die 5 Martii 1855 habita, fuerunt in voto, rescribendum esse:

Ad 1m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.* [1])

[1]) Vide tamen sequens decretum Urbis et Orbis diei 26 Julii 1855.

Ad 2^m: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*

Ad 3^m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 4^m: *Negative in omnibus.*

Ad 5^m: *Negative.*

Factaque de omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum Secretarium relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutiones benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

368.

1855 26 Julii. De Oratione „Sacrosanctae".

Urbis et Orbis. Cum Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae in una Melden. inter alia exhibitum fuisset dubium enodandum: *An ad lucrandam indulgentiam vel fructum orationis* Sacrosanctae et individuae etc. *necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat?* EE. PP. in generalibus comitiis die 5 Martii anni 1855 apud Vaticanas Ædes habitis respondendum esse duxerunt: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* Facta itaque SSmo D. N. Pio PP. IX relatione per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium die 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Eminentissimorum Patrum approbavit. In Audientia vero Sanctissimi die 26 Julii ejusdem anni ab Eminentissimo Cardinali Sac. Congregationis Praefecto habita, Eadem Sanctitas Sua ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio *Sacrosanctae* etc. pro lucranda indulgentia a s. m. Leone PP. X adnexa, seu fructu dictae orationis, *etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerint infirmitatis tantum causa.* Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

369.

1855 28 Novembris. Reliquiae.

Turritan. Quamvis in tota Sardiniae ditione ac praesertim in Turritana provincia singularis semper effulserit Christifidelium devotio erga Patronos suos, sanctos scilicet Gavinum, Protum ac Januarium, quorum corpora, sicut ecclesiastica monumenta testantur, a christianis incolis in ecclesia eorum nomine consecrata, collocata fuerunt, id unum tamen ad eamdem fidelium in ipsos Martyres religionem augendam supererat, ut nempe ex incerto ejusdem ecclesiae loco praefatorum sanctorum Martyrum sacra lypsana invenirentur. Modernus itaque Turritanus Antistes R. P. D. Alexander Dominicus Varesini, quod erat in votis, feliciter absolvit; vertente enim anno salutis millesimo octingentesimo quadragesimo octavo, effossis loculis sub inferioris sacelli altare, quod exstat in insigni ac pervetusta Turritana Basilica eisdem sanctis Martyribus dicata, ac servatis omnibus rite servandis juxta praescripta tum a sacra Tridentina Synodo, tum a decretis hujus Sacrae Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregationis, eorumdem Sanctorum corpora proprio uniuscujusque nomine distincta invenit, eaque inventa authentice recognovit, prout ex authentico processu huic Sacrae Congregationi exhibito satis superque colligitur. Quapropter eadem Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praememoratum processum approbavit, atque in actis ejusdem Sacrae Congregationis referri mandavit. Datum Romae ex Secretaria praefatae Sacrae Congregationis die 28 Novembris 1855.

F. Card. **Asquinius** Praef.
Aloisius Archipr. **Prinzivalli** Substit.

370.

1856 23 Februarii. Indulgentiae apocryphae.

A piis personis in civitate Firmana numisma distribuitur, quod venditur Laureti, quodque fertur excusum expensis cujusdam nobilis foeminae ex Gallia, et uti legitur in posteriori ipsius numismatis parte indulgentia 1080 dierum ditatum est. Dubium tamen excitari incepit super authenti-

:essionis; alii enim existimant concessionem esse am, siquidem in ea nulla fit mentio Concedentis, oris concessionis, et insuper, inspecta praxi Sacrae ngregationis, numerus dierum indulgentiarum innino videtur; alii e contra concessionem authentiputant, tum quia nequit supponi, Episcopos Gallia- improbasse talis numismatis diffusionem, si re vera a extitisset indulgentia, qua numisma dicitur ditan quia haec indulgentia asseritur concessa a reımmo Pontifice initio sui Pontificatus ex particulari , absque decreto ejusdem Sacrae Congregationis.
s omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX relatis in Auie 23 Februarii 1856 habita ab infrascripto Caraefecto ad omne dubium in posterum removendum Sua declaravit, se numquam indulgentiam, quae to numismate legitur, concessisse; idque mandavit Eminentissimo Archiepiscopo Firmano et R. P. D. postolico Parisiensi, necnon R. P. D. Commissario o et Eminentissimo Urbis Vicario.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

371.

Aprilis. De falsis indulgentiis e medio tollendis.

is et Orbis. Sacrae Congregationi Indulgentiis Reliquiis praepositae, quae juxta institutionem a nente PP. IX peractam Constitutione, quae incipit: *Pontificatus primordiis,* sub die 6 Julii 1669, *facul*ucta est *omnem difficultatem ac dubietatem in San*eliquiis, aut Indulgentiis emergentem . . . expediendi; *abusus in eis irrepserint; illos . . . corrigendi et . . . falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias rimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, omano Pontifici retulerit, illius auctoritate rejiciendi,* dulgentiae typis impressae delatae sunt, quae licet nino, apocryphae et indiscretae, attamen hac illac, num malitia, sive incuria, et absque ulla prorsus e typis mandantur et circumferuntur. Unde illud um detrimenti provenit, quod et in errorem indu-

cantur Christifideles, et apud sanctae Matris Ecclesiae hostes indulgentiae ipsae irrisionibus pateant.

Quapropter Sacra Congregatio, in generalibus comitiis in Palatio Apostolico Vaticano die 31 Martii proxime elapsi habitis, plures hujusmodi Indulgentias typis excusas tamquam apocryphas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et locorum Ordinariis, per quorum dioeceses indulgentiae ejusmodi circumferuntur, commendandum censuit, ut Sacrae Congregationis decreta in hanc rem edita omni studio observari curent.

Quum vero incongruum prorsus sit, omnia semper summaria, libellos, folia etc. persequi, quae indiscretas, falsas apocryphasque indulgentias descriptas continent, et qualibet vice prodierint, specialibus decretis eliminare, SSmus D. N. Pius PP. IX, in Audientia diei 14 Aprilis 1856 praemissam Eminentissimorum Patrum sententiam auctoritate Sua Apostolica adprobavit, et cupiens insuper ut ad *inaestimabilem* indulgentiarum *thesaurum* quod attinet, omnia *pie, sancte et incorrupte fiant,* mandavit, ut hoc decreto omnes per orbem Ordinarii hortentur, ut pro ea, qua pollent, et qua uti debent, sollicitudine in Dominici gregis bonum usque procurandum, invigilent non modo uti ejusmodi indulgentiae falsae et apocryphae, quantum fieri potest, minime circumferantur, easque e fidelium manibus removeant, verum etiam satagant, ut decreta a Sac. Congregatione salubriter edita, ac praesertim super earumdem indulgentiarum publicatione et impressione observentur, in primis vero decretum sub die 19 Januarii 1756 latum, et a s. m. Benedicto PP. XIV die 28 ejusdem mensis adprobatum, quod ita se habet: *Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi promanant abusus, ac confusiones, re mature perpensa, praesenti decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi generales concessiones, teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem Sacrae Congregationis deferre.*

Ceterum ad falsas apocryphasque indulgentias a veris et genuinis haud difficili negotio internoscendas, ea etiam reco-

lere locorum Ordinarios juverit, quae sapienter, de more, et hac in re idem fel. rec. Pontifex Benedictus XIV in opere de Synodo dioecesana edocuit. Et si praeterea aliquibus in rerum adjunctis super indulgentiarum quarumcumque authenticitate ac genuinitate dubii haererent, ad Sacram Congregationem recurrant, ut inde opportunam dubiorum resolutionem assequantur.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

372.

1856 14 Aprilis. **Indulgentiae apocryphae.**

Mexicana. Cum ad Sacram Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregationem delatum sit, altare vulgo *del Perdon* in ecclesia cathedrali Mexicana pene innumeris ditatum esse indulgentiis ac privilegiis, eadem Sacra Congregatio in generalibus comitiis apud Vaticanas Ædes habitis die 31 Martii ineuntis anni singulas assertas concessiones examinavit, auditoque Consultoris voto, ad dubium: *An gratiae, indulgentiae et privilegia, de quibus in casu, genuina putanda sint, an apocrypha?* respondendum esse duxit: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Facta itaque de his omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio IX fideli relatione, in Audientia die 14 Aprilis 1856 habita ab infrascripto Secretario Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis approbando, necnon quatenus opus sit, quamcumque praecedentem concessionem abrogando, ne fidelium tepescat devotio, ac animabus in purgatorio detentis deficiat solatium, benigne declaravit idem altare privilegiatum pro Missis, quae in eodem a quocumque sacerdote sive saeculari, sive regulari in suffragium fidelium defunctorum celebrabuntur.

Voluit insuper Eadem Sanctitas Sua, ut ad praefatum altare, veteri amota indulgentiarum ac privilegiorum tabella, altera hujus Pontificiae novae elargitionis affigatur.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

373.

1856 14 Aprilis. Indulgentiae apocryphae.

Mexicana. Cum in Sacra Congregatione Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum in Palatio Vaticano habita die 31 Martii 1856 singulae indulgentiae ac privilegia, quibus altare vulgo *del Perdon* in ecclesia cathedrali Mexicana asserebatur ditatum, apocrypha et falsa sint declarata, et haec ab Apostolica Sede anno 1833 etiam majori altari ecclesiae Monialium S. Bernardi ejusdem civitatis fuerunt communicata, hinc SSmus D. N. Pius PP. IX, cui de omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium facta fuerat fidelis relatio, resolutionem ejusdem Sacrae Congregationis confirmando praefatam indulgentiarum et privilegiorum communicationem abrogavit, et pariter benigne declaravit privilegiatum quotidianum praememoratum altare majus ecclesiae Monialium S. Bernardi pro Missis, quae in eodem a quocumque sacerdote sive saeculari, sive regulari in suffragium fidelium defunctorum celebrabuntur, ea tamen conditione, ut ad praefatum altare, veteri amota, si qua sit, nova affigatur tabella hujus Pontificiae elargitionis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

374.

1856 14 Aprilis. Tertii Ordinis S. Francisci.

Tarantasien. Quamvis nonnulla dubia in Sacra Indulgentiarum Congregatione die 5 Martii 1855 apud Vaticanum habita proposita fuissent, in relatione tamen SSmo D. N. PP. IX ab infrascripto Cardinali Præfecto die 26 Julii ejusdem anni peracta, Sanctitas Sua præcipiendum esse duxit, ut in alia Congregatione iterum proponerentur, addito quoque alterius Consultoris voto. Ipsa vero dubia perspicuitatis gratia in meliorem formam redacta fuerunt, uti sequuntur:

1° *An sodales Tertiarii Ordinis S. Francisci Assisinatis cujuscumque provinciae sint, lucrifaciant stationes, indulgentias, remissiones tum Urbis, tum etiam Portiunculae, sive Jerusalem, et S. Jacobi in Compostella, recitando* sex Pater, Ave *et* Gloria, *scilicet quinque pro felici statu S. Matris Ecclesiae, sextum autem pro intentione Summi Pontificis concedentis?*

2° *An sodales scapularis caerulei immaculatae Conceptionis recitando* sex Pater, Ave *et* Gloria *in honorem sanctissimae Trinitatis et Deiparae Virginis immaculatae, orando pro haeresum exstirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum Principum pace et concordia, omnes lucrifaciant indulgentias septem Basilicarum Romae, Portiunculae, Jerusalem, et S. Jacobi de Compostella?*

3° *An indulgentias, de quibus in superioribus dubiis, lucrentur toties quoties, et an in quocumque loco preces ipsas fuderint?*

4° *An ad easdem lucrandas indulgentias recitare sufficiat sex tantum* Pater, Ave *et* Gloria, *ita ut necesse minime sit alias preces addere, prouti in indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orandi per aliquod temporis spatium juxta intentionem Pontificis, seu pro haeresum exstirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum Principum pace et concordia etc. injungi consuetum est?*

5° *An ad memoratas indulgentias, de quibus scilicet in dubiis 1° et 2° consequendas, necessaria sit Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio?*

6° *An denique hae ipsae indulgentiae omnes animabus in purgatorio detentis applicari possint?*

Itaque EE. PP. in comitiis generalibus apud Vaticanas Ædes habitis die 31 Martii anni 1856, rebus mature perpensis, altero quoque voto audito, respondendum esse duxerunt, ut infra:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Affirmative juxta votum Consultoris, nempe servato decreto Sacrae Congregationis die 7 Martii 1678 approbato ab Innocentio XI, cujus initium* Delatae saepius.

Ad 4m: *Affirmative.*

Ad 5m: *Negative.*

Ad 6m: *Affirmative.*

Facta denique de his omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium eidem Sanctissimo fideli relatione in Audientia diei 14 Aprilis ejusdem anni, Sanctitas Sua resolutiones ejusdem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. **Colombo** Secret.

375.

1856 14 Aprilis. De indulgentiis Tertii Ordinis S. Francisci.

Tertii Ordinis S. Francisci. Cum ex parte Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci in Gallia huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi remissae fuissent nonnullae preces, tria formulata sunt dubia:

1° *An scilicet Tertiarii saeculares, seu in propria domo viventes gaudeant omnibus indulgentiis, peccatorum remissionibus etc. quibus potiuntur Fratres Ordinis Minor. S. P. Francisci vigore communicationis?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An sub hac generali communicatione veniat quoque privilegium indulgentiae* Portiunculae *diei 2 Augusti cujusque anni, alias vulgo* il Perdono d' Assisi?

Et quatenus etiam Affirmative,

3° *An praefata indulgentia gaudeant earumdem etiam ecclesiae oratoria, capellae in ecclesiis licet parochialibus existentes, seu intra eas comprehensae pro omnibus Christifidelibus?*

Sacra itaque Congregatio in Palatio Apostolico Vaticano die 31 Martii currentis anni 1856 habita, audito Consultoris voto, rescribendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative ad formam Brevis SSmi D. N. Pii IX sub die 11 Martii 1851, quod incipit* Cum sicut nobis nuper.

Ad 2m: *Affirmative, juxta votum Consultoris.*

Ad 3m: *Negative, juxta votum Consultoris.*

In Audientia vero habita die 14 Aprilis ejusdem anni 1856 per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium

SSmo D. N. relatione de omnibus peracta, Sanctitas Sua praefatas resolutiones benigne confirmavit. [1])

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

376.

1856 14 Aprilis. Indulgentiae apocryphae.

Ditionis Helveticae seu Urbis et Orbis. In Congregatione generali Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad Ædes Apostolicas Vaticanas habita die 31 proxime elapsi Martii, ad preces Patris Laurentii Hecht, Monachi Benedictini in ditione Helvetica, quaerentis, num authenticae revera sint indulgentiae quaedam, quas in schedula gallice conscripta exhibuerat, quasque Crucifixi sculptae imagini benedictae adnexas et a Pio PP. IX confirmatas asserebat, et quae in latinum sermonem versae sonant, ut sequitur.

Indulgentiae concessae a SSmo D. N. Pio VII.

Ex speciali facultate obtenta a SSmo D. N. Pio PP. VII die 1 Junii 1804 et confirmata ex Rescripto in Audientia diei 16 Novembris 1805, deinceps confirmato a SSmo D. N. Pio PP. IX die 15 Novembris 1852 huic Crucifixo concessae sunt indulgentiae sequentes:

1° *Plenaria in articulo mortis pro omnibus deosculaturis dictum crucifixum, vel eumdem penes se super lectum habituris.*

2° *Indulgentia centum dierum pro omnibus, qui ante illum recitabunt ter* Pater, Ave *et* Gloria *juxta intentionem Summi Pontificis, et quidem toties quoties.*

3° *Indulgentia centum dierum pro omnibus, qui illum devote osculabuntur, et invocabunt saltem corde auxilium Dei, et quidem toties quoties.*

4° *Indulgentia plenaria bis in singulis mensibus ad libitum uniuscujusque, dummodo sacra Communione fuerit refectus.*

5° *Indulgentia septem annorum et septem quadragenarum pro omnibus, qui accipient benedictionem cum hoc Crucifixo post concionem.*

[1]) Cfr. decret. diei 18 Septembris 1861.

6° *Praedictae indulgentiae adnexae sunt immediate Crucifixo et non cruci; quapropter non amittuntur quando Crucifixus affigitur alteri cruci.*

7° *Omnes indulgentiae valent vita naturali proprietarii Crucifixi durante.*

8° *Indulgentiae transeunt successive ad eas personas, quibus proprietarius Crucifixum dono dat, legat, aut commodat.*

Proprietarius Crucifixi (non autem illi, quibus commodatus fuerit) poterit insuper, si fuerit legitime impeditus, lucrari indulgentias Stationum, recitando 7 *Pater* et *Ave*, et indulgentias Viae Crucis, dicendo 14 *Pater* et *Ave*.

EE. PP., Consultoris voto audito, die 31 Martii 1856, rescripserunt: *Indulgentias, de quibus supra, non esse attendendas utpote apocryphas.*

Quam EE. PP. sententiam SSmus D. N. Pius PP. IX in Audientia diei 14 Aprilis omnino approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

377.

1856 14 Aprilis. Confraternitas S. Rosarii.

T a r a n t a s i e n. In Sacra Indulgentiarum Congregatione in Apostolico Vaticano Palatio habita die 31 Martii 1856 propositis dubiis a quodam presbytero Missionario Tarantasiensis dioecesis, scilicet:

1° *Illustrissimus Dominus Bouvier in Tractatu de indulgentiis dicit, eos omnes, qui intersunt processionibus SS. Rosarii, quae fiunt in prima cujusque mensis Dominica, lucrari indulgentiam 7 annorum et 7 quadragenarum singulis vicibus. Jam vero hujus indulgentiae mentionem minime facit opusculum, cui titulus:* „Rosarium B. M. V.," *editum Romae, pag. 159. Hinc quaeritur: 1. utrum ista indulgentia sit authentica; 2. utrum concessa fuerit in favorem omnium fidelium, qui intersunt dictis processionibus, an vero solummodo confratribus SS. Rosarii?*

2° *In supradicto opusculo* „Rosarium B. M. V." *pag. 173 legitur, altare SS. Rosarii esse privilegiatum pro omnibus sacerdotibus illi Confraternitati adscriptis, nil aliud addendo; sed alii*

auctores adjungunt, indulgentiam altaris privilegiati non posse applicari nisi defunctis confratribus. Nunc quaeritur, utrum ista indulgentia possit applicari defunctis confratribus SS. Rosarii, vel omnibus Christifidelibus?

3° *Indulgentia 5 annorum et 5 quadragenarum concessa confratribus SS. Rosarii, qui pronuntiant SS. nomen Jesu in fine cujusque* Ave Maria *estne concessa toties quoties, et quomodo?*

EE. PP., voto unius ex Consultoribus audito, respondendum esse duxerunt:

Ad 1m: *Affirmative quoad primam partem: quoad secundam, Affirmative, etiam pro non confratribus.*

Ad 2m: *In voto Consultoris.*

Ad 3m: *Juxta votum Consultoris.*

Facta itaque per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium opportuna de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia diei 14 Aprilis 1856, Sanctitas Sua praefatam responsionem ad primum dubium benigne approbavit: altaris vero privilegiati gratiam pro omnibus Christifidelibus confratribus sacerdotibus, necnon praefatas indulgentias pro qualibet invocatione SSmi Nominis Jesu in fine cujuslibet Angelicae Salutationis in recitatione Rosarii a confratribus lucrandas benigne in perpetuum concessit absque ulla Brevis expeditione.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

378.

1856 12 Julii. **Reliquiae.**

Fidentin. Quamquam ex indubiis Fidentinis monumentis sacras exuvias Christi Martyris S. Domnini, Fidentinae ecclesiae cathedralis Titularis, necnon civitatis et dioecesis Patroni praecipui in ipsa ecclesia reconditas esse constaret, ignotum tamen diu fuit, quo proprie in loco ejusdem ecclesiae requiescerent, etsi testimonium virorum in rebus patriis eruditorum in eam perpetuo induceret opinionem, sub ara hypogei praefatae cathedralis hoc sacrum corpus humatum celari. Itaque id unum supererat ad Fidentinos

Christifideles erga suum beneficentissimum Patronum devotione inflammandos, ut praelaudati s. Martyris exuviae in incerto loco adhuc jacentes detegerentur. Quapropter hodiernus Fidentinus Antistes R. P. D. Petrus Chrysologus Basetti, occasione arrepta novae aediculae aperiendae in eodem hypogeo, praecipiendum duxit, arcam marmoream, quae super altare evehebatur, eo usque in solum demittere, ut altare ipsum, sacro lapide superposito, constitueret. Quare altari veteri diruto, et terra altius effossa post plura lapidea strata marmoreum sarcophagum horis nocturnis diei 19 Julii 1853 invenit, in quo s. Martyris corpus, super cujus pectoris ossa caput positum erat, asservabatur. Hisce praehabitis, cum circa praefatum corpus inventum praememoratus Antistes singula documenta perspexisset, tum quoad sarcophagum ejusque adjuncta ex peritorum antiquariae artis judicio, tum quoad corpus ac cetera, quae comitabantur ex medicorum sententia, de suorum quoque theologorum consilio, putavit posse indubie declarari, ossa inventa esse corpus sancti martyris Domnini, Fidentinae civitatis et dioecesis Patroni. De quibus omnibus processum rite confectum, inceptum die 19 Julii, ac die 16 Septembris praedicti anni absolutum, huic Sacrae Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Congregationi exhibuit approbandum. Sacra itaque Congregatio cum nihil in praememorato processu contra praescriptiones sacrosanctae Tridentinae Synodi, ac ejusdem Sacrae Congregationis decreta reperisset, non modo eum ratum habuit, verum etiam in actis ipsius Sacrae Congregationis referri mandavit.

Datum Romae ex Secretaria praefatae Sac. Congregationis die 12 Julii 1856.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archip. **Prinzivalli** Substit.

379.

1857 27 Maji. Scapulare.

Massilien. Parochus ecclesiae S. Hieronymi in dioecesi Massiliensi humiliter postulat a Sanctitate Vestra:

1° *An, qui rite semel adscripti Sodalitati scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, postea habitum sacrum Sodalitatis*

dimiserunt, teneantur ad novam sacri habitus receptionem a potestatem habente, si velint indulgentias praedictae Sodalitati a Summis Pontificibus concessas lucrari, vel an sufficiat, ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter?

Et quatenus Affirmative ad primum

2° *Quodnam temporis spatium a dimissione habitus sacri requiratur, ut nova receptio a potestatem habente necessaria sit?*

Sac. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita ad praefata dubia die 27 Maji 1857 respondit:

Ad 1^m: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad 2^m: *Provisum in primo.*

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archip. **Prinzivalli** Substit.

380.

1857 14 Decembris. Reliquiae.

Albien. Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quae apud Vaticanas Ædes die 14 Decembris 1857 habita fuit, ab Archiepiscopo Albiensi propositum fuisset dubium, scilicet: *Utrum possit sicut antea fidelium venerationi exponere brachium de argento continens os unum brachii S. Caeciliae?* EE. PP., auditis prius ejusdem Sacrae Congregationis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, respondendum esse duxerunt: *Affirmative.*

Datum Romae die 14 Decembris 1857.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. **Colombo** Secret.

381.

1857 14 Decembris. Sodalitates noviter non erectae post Concordatum anni 1801 amiserunt indulgentias.

Tornacen. Cum in Sacra Congregatione Indulgentiarum, quae die 14 Decembris 1857 apud Vaticanas Ædes habita fuit, ex parte Vicarii Generalis dioecesis Tornacensis propositum fuisset dubium: *Utrum antiquae Sodalitates, quae post concordatum anni 1801 noviter ac canonice erectae non*

fuerunt, privilegia et indulgentias ipsis concessas amiserint? EE. PP., audito prius Consultoris voto, responderunt:

Affirmative.[1])

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

382.

1857 14 Decembris. Via Crucis.

Tornacen. Vicarius Generalis dioecesis Tornacensis humiliter exponit, ut infra. Cum Rescripta Sacrae Congregationis Indulgentiarum, quibus facultas erigendi Viam Crucis sacerdotibus saecularibus conceditur, eamdem facultatem delimitent ad „ecclesias seu publica vel privata oratoria de dioecesi locorum, in quibus Ordo Minor. Observ. S. Francisci Assisiensis non existit", diversae circa horum verborum sensum moventur quaestiones; ideo supplicatur pro solutione sequentium dubiorum:

1° *An per loca, in quibus Ordo Min. Observ. S. Francisci Assisiensis non existit, intelligendum sit in casu civitas, oppidum, pagus cum respectivis suburbiis, sive locis eis adjacentibus?*

Et quatenus Negative,

2° *An intelligendum sit paroecia vel universa dioecesis, aut alia quaelibet dioecesis sectio, seu pars?*

3° *An per formulam Rescripti censeatur prohibitum, quominus Via Crucis erigatur extra ecclesias, vel oratoria sive publica sive privata, ex. gr. in coemeteriis, vel in claustris?*

4° *An sub poena nullitatis apponatur facultatis delimitatio ad loca, ubi Ordo Min. Observ. S. Francisci non existit, et ad ecclesias et oratoria tantum ejusmodi locorum; ita ut Via Crucis a sacerdote saeculari in locis, in quibus laudatus Ordo exstat, vel extra ecclesias seu oratoria erecta, denuo erigenda sit?*

Cum in Sacra Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregatione habita die 14 Decembris 1857 in Palatio Apostolico Vaticano proposita fuissent quatuor supraenuntiata

[1]) Cfr. decret. Cameracen. diei 12 Julii 1847, Briocen. diei 15 Mart. 1852, et Briocen. et Trecoren. 7 Sept. 1861.

dubia a Vicario Generali dioecesis Tornacensis, EE. PP., rebus mature discussis, respondendum esse decreverunt:

Ad 1^m^: *Affirmative.*

Ad 2^m^: *Provisum in primo.*

Ad 3^m^ et 4^m^: *Affrmative.*

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

383.

1858 22 Januarii. De impressione collectionis indulgentiarum.

Petrocoren. In decretis de libris prohibitis, quae post regulas Indicis addita sunt, haec leguntur § III n. 12: „Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia Sac. Congregationis Indulgentiarum.“ Cum vero circa hujus regulae interpretationem plura dubia exorta sint, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Episcopus Petrocorensis et Salatensis in Galliis ab Ipsa efflagitat humillime:

1° *Utrum praefata regula ita intelligenda sit, ut nulla Summaria, catalogi, folia indulgentiarum ipsa auctoritate Ordinarii imprimi possint, absque speciali licentia Sacrae Congregationis Indulgentiarum, etiam quando ipsi certo constat authenticas esse illas indulgentias, verbi gratia, quia penes se habet catalogos aut summaria Romae impressa?*

2° *An vero haec impressio et evulgatio solum prohibeatur Ordinario, quando non ipsi certo constat jam a Sacra Congregatione Indulgentiarum evulgatas fuisse has indulgentias?*

Exhibitis ab Episcopo Petrocorensi duobus supraenuntiatis dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quae apud Vaticanas Ædes die 14 Decembris 1857 habita est, EE. PP., audito prius Sacrae Congregationis Consultore, ac rebus mature perpensis, fuerunt in voto quoad utrumque dubium: *Articulum 12 § III decretorum post Regulas Indicis editorum ita esse intelligendum, et in praxim deducendum, ut, si agatur de edenda concessione alicujus indulgentiae, vel Summarii indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico, vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate Sacrae Congregationis jam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam*

concedere earumdem indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); e contra vero, si sermo sit de Summario vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa Sacrae Congregationis Indulgentiarum licentia, addita tamen conditione: Facto verbo cum Sanctissimo.

Factaque per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX fideli relatione in Audientia diei 22 Januarii 1858, Sanctissimus votum Eminentissimorum Patrum approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

384.

1858 22 Januarii. Rosarium B. M. V.

Ordinis Praedicatorum. Porrectis his precibus a P. Procuratore Ordinis Praedicatorum huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, EE. PP. in generalibus comitiis apud Vaticanas Ædes die 14 Decembris 1857 habitis, propositum fuit dubium dirimendum:

An scilicet *consulendum sit SSmo, ut concedere dignetur, ut omnes utriusque sexus Christifideles rosarium, vel tertiam saltem ejusdem partem in communi recitantes lucrentur indulgentias a fel. rec. Benedicto Papa XIII concessas, licet manu non teneant rosarium benedictum, ac sufficere, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, illud manu teneat, eoque in recitatione de more utatur?*

Qui, audito prius Consultoris voto, ac rebus mature discussis, responderunt: *Affirmative.*

Facta itaque per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione fideli in Audientia diei 22 Januarii 1858 Sanctitas Sua precibus ejusdem Patris Procuratoris Generalis inclinata, necnon votum Sacrae Congregationis approbans, benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum per-

sona, quae tenet coronam, ut rosarii indulgentias lucrari queant.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

385.

1858 22 Januarii. Via Crucis. Rosarium.

Galliarum. Cum in Sacra Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregatione proposita fuissent dubia:

1° *An fideles lucrentur indulgentias Viae Crucis, dummodo quatuordecim stationes visitent in uno eodemque die, etiam non uno tractu, sed interposito majori minorive inter stationes temporis intervallo?*

2° *An pro lubitu vel commodo dividi possit rosarium B. M. V., ita ut acquirantur tum indulgentiae generales adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium, licet non uno tractu, sed diversis temporibus recitentur quinque denaria, tum indulgentiae speciales Sodalitatis sanctissimi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur?*

Et quatenus Negative,

3° *An supplicandum sit SSmo pro concessione?*

EE. PP. in comitiis generalibus diei 14 Decembris 1857 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, audito Consultoris voto, responderunt:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Negative, exceptis confratribus, quod attinet ad indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri rosarii infra hebdomadam.*

Ad 3m: *Non expedire.*

Itaque facta per me subscriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX de his omnibus fideli relatione in Audientia diei 22 Januarii 1858, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis confirmavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

386.

1858 31 Julii. De indulgentia adnexa orationi. „En ego, o bone."

Urbis et Orbis. Quum saepe ex pluribus Orbis partibus ad hanc Sacram Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregationem deferantur dubia circa conditiones adimplendas pro acquisitione plenariae indulgentiae tum a Summis Pontificibus Clemente VIII et Benedicto XIV elargitae, tum a Pio VII et Leone XII confirmatae iis Christifidelibus qui ante quamcumque Crucifixi imaginem Orationem *En ego etc.* quocumque idiomate recitaverint, eadem Sacra Congregatio, ne Christifideles in errorem inducantur, censuit consulendum esse Sanctissimum, ut de Apostolica Sua benignitate declarare dignaretur singulas conditiones, quae sunt a fidelibus adimplendae, ut praefatam plenariam indulgentiam adipiscantur. Hinc facta per me infrascriptum Secretariae ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum SSmo D. N. Pio PP. IX de omnibus fideli relatione in Audientia diei 31 Julii 1858, Sanctitas Sua, inhaerendo decretis Praedecessorum suorum, eorumdemque concessiones confirmando, etiam quoad applicationem pro animabus in purgatorio detentis, benigne declaravit, praememoratam indulgentiam plenariam lucrari ab iis utriusque sexus Christifidelibus, qui *vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti,* dictam Orationem *En ego etc.* quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, ante quamcumque Sanctissimi Crucifixi imaginem *devote recitaverint,* ac insuper *per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.*

Quapropter ut ab universis Christifidelibus hoc generale decretum facile dignoscatur, typis imprimi ac publicari mandavit. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archipr. Prinzivalli Substit.

387.

1859 8 Augusti. Via Crucis.

Urbis et Orbis. Ut universi utriusque sexus Christifideles Passionis Domini Nostri Jesu Christi facilius memoriam agant, eodemque tempore omnes, et singulas indulgentias pio ac salutari Viae Crucis exercitio adnexas lucrari possint et valeant, delatae fuerunt preces Summo Pontifici Clementi XIV tenoris, ut infra: *Gl' infermi, i naviganti, carcerati e quelli dimoranti nelle parti degl' infedeli, o legittimamente impossibilitati di poter visitare la S. Via Crucis, prostrati ai suoi Santissimi Piedi supplicano la Santità Vostra della consolazione di poter guadagnare le Indulgenze delle dette Stazioni ritrovandosi negli stati delle suddette tribolazioni, col recitare 14* Pater *ed* Ave, *ed in fine 5 altri* Pater *ed* Ave *in memoria della divina Passione, col tenere in mano un Crocifissetto di ottone, benedetto però da qualche Guardiano, o Superiore maggiore soggetto al Padre Reverendissimo Generale di tutto l' Ordine in Aracoeli. Che della grazia ecc.* [1]) Quas quidem preces idem Summus Pontifex clementissime excepit ac in Audientia diei 26 Januarii 1773 *benigne annuit pro gratia juxta petita. Contrariis non obstantibus etc.*

Jam vero circa hanc concessionem duo exorta sunt dubia; primum scilicet: *an quatuordecim tantum* Pater, *et* Ave, *et iterum quinque* Pater, *et* Ave, *ut supra expositum est, recitanda sint, vel juxta formam Rescriptorum Sacrae hujus Congregationis corde saltem contrito, ac devote* viginti Pater, Ave et Gloria, *unum nempe pro qualibet statione, quinque in sanctorum Domini Nostri Jesu Christi vulnerum memoriam, ac unum juxta mentem Sanctitatis Suae recitari debeant;* alterum vero: *an per verbum* ottone *exclusa reputanda sit quaecumque alia materia, ex qua crucifixi conficiantur.*

---

[1]) Infirmi, navigantes, carceribus detenti, et illi, qui morantur in partibus infidelium, aut legitime impediuntur, quominus possint visitare sacram Viam Crucis ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, suppliciter petunt hanc consolationem, ut possint lucrari indulgentias dictarum stationum, quando reperiuntur in statu dictarum tribulationum, recitando 14 *Pater* et *Ave* et in fine 5 *Pater* et *Ave* in memoriam divinae Passionis manu tenentes crucifixum aeneum, benedictum tamen ab aliquo Guardiano, aut Superiore majori subdito Reverendissimo Patri Generali totius Ordinis in Conventu Arae Coeli. Et haec etc.

Facta itaque de praefatis dubiis SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretarium relatione in Audientia diei 8 Augusti 1859, Sanctitas Sua benigne respondit quoad 1^m: *Servandam esse ejusdem Sac. Congregationis consuetudinem;* et quoad 2^m declaravit: *per verbum ottone intelligendam esse exclusam materiam fragilem dumtaxat.*

Haec autem omnia Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita typis edi jussit, ut utriusque sexus Christifideles, qui a visitandis sacrae Viae Crucis stationibus legitime impediti, istiusmodi crucifixis, facultate a Summis Pontificibus tributa, benedictis utentur, noverint praesens decretum ab omnibus esse servandum, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Datum Romae die 16 Septembris 1859.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

388.

1861 8 Januarii. Super institutionibus etc. a Regularibus et Archiconfr. faciendis.

Urbis et Orbis. Ad religionis et pietatis incrementum, ad mutuam charitatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus Regularibus, Religionibus, et Institutis sive etiam Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi, necnon etiam sibi aggregandi ac indulgentias, privilegia aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in hujusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII fel. rec. Constitutione, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica* data sub die 7 Decembris 1604, modum praecepit servandum in his peragendis, formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit, indulgentias, privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse Societati aggreganti concessa sunt, non tamen

ea, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar, sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam, quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata Constitutione.

Compertum tamen est, progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam neque privilegia neque indulgentias adamussim communicatas, quemadmodum Pontifex praeceperat.

Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione, ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V Indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6 Martii 1608 titulo expensarum permissum fuisset instituentibus, vel aggregantibus scutatum unum aureum recipere et quidem sub poena, inter caetera, nullitatis, prout clarius innotescit ex eodem Decreto, attamen cognitum similiter est, neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse.

Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per Constitutionem enuntiatam aut decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit, ut in posterum formula in hujusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII, cujus Constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab Eadem Sanctitate Sua approbatis, cujus quidem formulae exemplar iis praesertim, quorum interest, communicandum in Actis Sacrae Congregationis servari praecepit, et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus elenchus indulgentiarum et

privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cujus impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc. non obstante decreto S. C. Indicis et altero decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum explicante et moderante praedictum decretum Indicis diei 22 Januarii 1858.

Atque Sanctitas Sua hoc decretum absque ulla Brevis expeditione publicari jussit derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium, etiam specialis memoriae dignae.

Datum Romae die 8 Januarii 1861.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

389.

1861 8 Januarii. De Sodalitatum rectoribus.

Urbis et Orbis. Cum plures Confraternitates, Sodalitates, piae Uniones etc. Christifidelium canonice erectae reperiantur, in quibus loci Ordinarius designaverit parochum, qui ratione muneris, quod exercet et pro tempore, quo munere fungitur, sit constitutus Confraternitatis, Sodalitatis etc. rector, moderator, seu quocumque titulo appelletur, proindeque facultate polleat ea gerendi, quae ad rectores spectant, et etiam, quatenus in respectiva Sodalitate id rectori tribuatur, fideles adscribendi, habitus benedicendi et scapularia, illaque imponendi, coronas etc. pariter benedicendi juxta facultates ad quamlibet Sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc., atque dubium exortum sit circa hujusmodi designationem parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit de his relatio SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia diei 8 Januarii 1861; et Sanctitas Sua, derogando omnibus hucusque circa hanc designationem quavis auctoritate et quovis modo aliter praescriptis, benigne sanavit, quatenus opus sit, tales designationes parochorum, necnon acta per ipsos tamquam rectores, et adscriptos per eosdem parochos, quatenus rectoris munus, quo funguntur in respectiva Sodalitate, fideles adscribendi sit, valide ad-

scriptos habendos esse declaravit, necnon benedictiones coronarum, habituum, scapularium eorumque impositiones etc. ab eisdem factas, prout rectoribus in respectiva Sodalitate tribuitur, ratas habendas esse concessit. Quoad futurum vero Eadem Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est, ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire judicaverint, parochos pro tempore in rectores, moderatores etc. Confraternitatum etc. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

Datum Romae die 8 Januarii 1861.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.

390.

1861 7 Septembris. De Confraternitatibus.

Briocen. et Trecoren. Vicarius Generalis Episcopi Briocensis et Trecorensis sequentia dubia proposuit enodanda Sacrae Congregationi Indulgentiarum:

1m: *Utrum Confraternitates ac piae Congregationes canonice erectae ante concordatum anni 1801 in ecclesiis et oratoriis, quibus constat nunc dioecesis Briocensis, hucusque, ut primum, suum valorem cum suis privilegiis et indulgentiis servaverint, absque nova erectione, vel indigeant erectione nova?*

2m: *An sufficiant declarationes, quibus constat Ordinarios habuisse uti canonice adhuc existentes post annum 1801 praefatas Confraternitates, licet nullimode compertum sit eos Ordinarios habuisse voluntatem, vel etiam facultatem novam erectionem conferendi?*

3m: *An viso authographo, vel datis probationibus moraliter certis primariae erectionis, possit, vel debeat hodiernus Episcopus Briocensis, uti praedecessores ejus, dictas Confraternitates agnoscere et declarare canonice existentes, absque praevia facultate a S. Sede obtenta?*

4m: *Si qua Confraternitas prius canonice erecta ex quacumque causa accidentali desit existere per plurimos annos, potuitne cessante causa valide instaurari denuo absque nova erectione canonica?*

5m: *An indulgentiae sive plenariae sive partiales certis locis vel operibus in dioecesi Briocensi olim ante annum 1801 in perpetuum canonice concessae nunc etiam valeant, et lucrifieri possint, servatis servandis juxta conditiones primariae concessionis, ea concessione non renovata?*

6m: *Utrum* 1° *sufficiat in casu simplex instauratio Sodalitatis, an* 2° *necesse sit novam et canonicam erectionem noviter fieri.*

Sac. Congregatio die 7 Septembris 1861, perpensis dubiis primo, secundo, tertio, quarto et sexto providendum censuit per sequentes facultates Apostolicas, quae praefato Episcopo Briocensi et Trecorensi tribuuntur, nempe vigore specialium facultatum a SSmo D. N. Pio PP. IX concessarum eadem Sac. Congregatio attentis ab Episcopo Oratore expositis, et ad effectum, de quo in precibus, eidem Episcopo facultatem indulsit emittendi decretum generale nomine Sanctae Sedis, quo omnes et singulae Confraternitates et Sodalitates, quae in iis locis dioecesis Briocensis et Trecorensis, ad quos concordatum 1801 extendebatur, ante illud legitimae existebant, et nunc etiam de facto existunt sub iisdem titulo, legibus et habitu, ubi gestare liceat, ad formam tamen Constitutionis Apostolicae s. m. Clementis VIII, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica etc.*, quaeque insuper noviter et canonice hucusque erectae non fuerint, canonice et noviter erigantur, ita ut in posterum tamquam canonice existentes retineantur, necnon omnes et singuli confratres et sodales ante praefatum decretum juxta uniuscujusque Confraternitatis et Sodalitatis alias legitima statuta jam adscripti, tamquam valide adscripti, necnon benedictiones et impositiones scapularium etc., item benedictiones coronarum, rosariorum etc. tamquam ratae habeantur. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Ad quintum vero dubium eadem Sacra Congregatio respondendum censuit: *Affirmative, dummodo nulla ex iis causis intercesserit, ob quas indulgentiae suum valorem juxta canonicas regulas a probatis auctoribus traditas amiserint.*

F. Card. Asquinius Praef.
A. Archipr. Prinzivalli Substit.

391.

1861 18 Septembris. **Tertiarii.**

Tertii Ordinis S. Francisci. Tres status comprehendit Tertius Ordo S. Francisci. Primus dicitur regularis, et est ille, qui profitetur regulam Tertii Ordinis cum votis solemnibus, et gaudet omnibus indulgentiis FF. Minorum. Secundus status dicitur saecularis, et est eorum, qui habitant in propriis domibus; hujus privilegia nota sunt. Tertius status est eorum, qui habitant in monasteriis, secessibus, conservatoriis, collegiis etc. unam efformantes familiam sub jurisdictione Ordinariorum, et dirigitur a sacerdotibus saecularibus absque votis substantialibus status religiosi, quamvis recitent Officium Ordinis; hic status ut plurimum tantum mulieres complectitur.

Quaeritur nunc:

Utrum hujus tertii status ecclesiae gaudeant indulgentiis, prouti gaudent illae Ordinis FF. Minorum, ita ut Christifideles, qui easdem visitent die 2 Augusti, lucrentur indulgentiam de Portiuncula nuncupatam?

Et quatenus Negative,

Supplicatur pro gratia juxta petita.

Sac. Congregatio die 18 Septembris 1861 respondit:

Monasteria, congregationes, seu communitates mulierum etc. quae subjectae non sunt obedientiae vel directioni Ministri Generalis Ordinis FF. Min. S. Francisci non gaudere communicatione privilegiorum et indulgentiarum Ordinis, nisi speciale habeant indultum Sedis Apostolicae, vel nisi agatur de monasteriis Sanctimonialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, quae fruuntur cunctis privilegiis et indulgentiis, ac si sub gubernio Fratrum suorum actu existerent, juxta decretum Sacrae Congregationis diei 22 Aprilis 1711.

Quoad gratiam vero, quae generice petitur pro indulgentiis et privilegiis, de quibus agitur, obtinendis: *Non expedire.* [1])

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archipr. Prinzivalli Substit.

---

[1]) **Cfr. decret. Tertii Ordin. S. Francisci diei 14 Aprilis 1856.**

392.

1862 18 Septembris. De indulgentiis festivitatibus adnexis.

Urbis et Orbis. Plurimae sunt festivitates quae ad recolenda Redemptionis nostrae mysteria et ad fovendam pietatem in honorem Domini, B. M. V., et SS. Apostolorum celebrantur. In his autem sacris diebus statuendis illud sibi proposuit sancta Mater Ecclesia, ut fideles filii illo igne vehementer accendantur, quem divinus Sponsus, Jesus Christus, e penetralibus Cordis sui misit in terras, adeo ut in festivitatibus celebrandis exemplum et praesidium habeant, quibus inflammentur ad exercendas virtutes, ad merita comparanda, ad gloriam assequendam aeternam. Tam autem late patuit haec Ecclesiae materna charitas, ut non solum plura Domini mysteria per anni curriculum solemniori apparatu in universo Orbe prosequeretur, ut Nativitatem, Epiphaniam, Pascha Resurrectionis etc. atque varias festivitates B. M. V. toto quoque terrarum Orbe majori celebritate recoleret, ut Conceptionem, Nativitatem, Assumptionem etc.; sed etiam alia mysteria Domini minori apparatu vellet a fidelibus populis ubique frequentari, ut Transfigurationem D. N. J. C., Inventionem et Exaltationem SS. Crucis etc. ac festivitates B. M. V. pariter institueret inferiori ritu celebrandas per universum mundum, quemadmodum solemnitatem SS. Rosarii, festivitatem B. M. V. de Mercede, Commemorationem B. M. V. de Monte Carmelo. Quin imo eadem pia Mater Ecclesia in peculiaribus locis vel ob venerandam aliquam imaginem cultu celebrem, vel ob insigne prodigium ibi patratum, vel ob singularem populi devotionem, vel ob alias causas concessit plures celebrari festivitates ad honorandam memoriam mysteriorum Domini, ut in institutione festi SSmi Redemptoris, Instrumentorum ipsius Passionis etc. aut pene innumeras statuendo festivitates in honorem B. M. V. sub titulo de Bono Consilio, Gratiarum, de Succursu, Pietatis, Maternitatis, Puritatis etc. Quod factum est etiam in memoriam Apostolorum, quorum non solum Natalem diem colit Ecclesia solemniori ritu, sed etiam minori apparatu celebrat quaedam peculiaria facta, instituendo festivitatem in Orbe universo celebrandam, ut de

Cathedra S. Petri tum Romana tum Antiochena, de Vinculis Apostolorum Principis, de Conversione S. Pauli, de immissione S. Joannis in ferventis olei dolium evenit, atque ea quoque celebrat, quae singularia quaedam loca respiciunt, ut translationem capitis S. Andreae Apostoli, translationem corporis S. Thomae Apostoli ex India etc.

Jam vero Romani Pontifices ad promovendam populi christiani utilitatem plures indulgentias concessere non tantum pro festivitatibus, quae celebrantur ab universa ecclesia, sed etiam pro iis, quae in uno vel altero loco sunt institutae, nec solum pro primariis, sed etiam pro secundariis.

Cum autem in Brevibus, Rescriptis etc., quibus concessae sunt indulgentiae, non semper facta fuerit declaratio festorum, seu principalium, seu minus celebriorum, sed legatur *pro omnibus festis, vel pro omnibus et singulis festis* sive Domini sive B. M. V., hinc ortum est dubium de quibusnam festis intelligendae sint concessiones hujusmodi genericis verbis expressae, an de omnibus omnino, an vero de primariis tantum, et quae per universum orbem celebrantur, an etiam de minoribus, et iis quoque, quae aliquibus in locis tantum celebrantur, proinde ad Sacram Congregationem delatae sunt preces pro opportuna declaratione; nam difficultati solvendae inservire nequit resolutio ab hac eadem Sacra Congregatione data die 5 Martii 1855, quae regulam generalem non praebet.[1])

Cum enim ex parte Clarissarum Massiliensium in Gallia quaesitum fuisset, an gratia plenariae absolutionis et indulgentiae etc. quam ex concessione S. M. Leonis X possunt consequi quater in anno, et in omnibus solemnitatibus seu festis Domini Sabaoth et B. M. V. et Omnium Sanctorum etc. non obstante Bulla s. m. Pauli V, quae incipit *Romanus Pontifex*, de indulgentiis Regularium adhuc subsisteret, et Eminentissimi Patres in comitiis generalibus diei 5 Martii 1855 respondissent: *Affirmative, excepta indulgentia plenaria pro vivis*, ut clarius videri potest in praefata resolutione Massiliensi, cui omnino attendendum est, hinc alia dubia proposita fuerunt. III. *An per festa Domini Sabaoth intelligendae sint, Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Pascha,*

[1]) Resolutionem illam dabimus ad calcem hujus Collectionis.

Ascensio, Pentecostes et etiam festum Trinitatis et Corporis Christi; et IV. *An per festa B. M. V. intelligenda sint, Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Nativitas, Praesentatio et Conceptio?* In eadem itaque Congregatione, audito Consultoris voto, Eminentissimi Patres responderunt ad utrumque III nempe et IV: *Affirmative juxta consuetudinem,* quae responsio a SS. Domino Papa Pio IX etiam approbata fuit die 12 Martii 1855, nempe in casu, de quo agitur, recipi posse absolutionem et acquiri indulgentiam in iis festis Domini Sabaoth et festis B. M. V., quae recensentur in dubiis, in quibus fuerit consuetudo recipiendi absolutionem et acquirendi indulgentiam, qua responsione peculiare dubium solverunt tunc propositum, non interpretationem aut declarationem porrexerunt festorum, de quibus in concessionibus fit mentio, cum dicitur: *in omnibus festis, in omnibus et singulis festis.*

Hinc igitur in Congregatione generali diei 11 Augusti 1862 quaesita sequentia fuerunt proposita:

1m: *An, quando invenitur concessa indulgentia plenaria in omnibus et singulis festis Domini, intelligenda sint festa praecipua, Nativitatis scilicet, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi juxta praxim S. Congregationis, an vero intelligenda sint festa enuntiata in decisione Massiliensi sub die 5 Martii 1855, an omnia et singula festa etiam secundaria, quae in aliquibus tantum locis celebrantur?*

Et quatenus Affirmative pro festis praecipuis,

2m: *An, quando invenitur concessa indulgentia partialis in reliquis omnibus Domini festivitatibus, de quibusnam festis intelligendum sit?*

3m: *An, quando invenitur concessa indulgentia plenaria in omnibus et singulis festis B. M. V., intelligenda sint festa praecipua, Conceptionis nempe, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, juxta praxim S. Congregationis, an vero standum sit Resolutioni diei 5 Martii 1855? vel an intelligantur inclusae etiam festivitates pene innumerae, quae per Orbem recoluntur, licet non in omnibus, sed in aliquibus tantum locis celebrentur?*

Et quatenus Affirmative pro praecipuis,

4m: *An, quando invenitur concessa indulgentia partialis in reliquis omnibus festis ejusdem B. M. V., de quibusnam festis intelligendum sit?*

5m: *An, quando invenitur concessa indulgentia plenaria vel partialis in omnibus et singulis festis Apostolorum, intelligenda sint festa Natalis uniuscujusque Apostoli, vel etiam festa secundaria?*

Super quibus Consultores sua vota ediderunt, hisque auditis, EE. PP. in Congregatione praedicta generali habita apud Aedes Vaticanas die 11 Augusti 1862 responsiones singulis dubiis dederunt, atque omnibus relatis SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita die 18 Septembris 1862 ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretariae Substituto, Sanctitas Sua responsiones praefatas Eminentissimorum Patrum confirmavit, nempe:

Quoad 1m et 3m: *Affirmative ad 1am partem, Negative ad 2am et 3am partem;* declaravitque expresse Sanctitas Sua, ut quoties in concessione inveniantur verba *in festis,* vel *in omnibus festis,* vel *in omnibus et singulis festis Domini,* aut etiam *in festis,* vel *in omnibus festis,* vel *in omnibus et singulis festis D. N. J. C.,* semper intelligantur tantum festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschatis Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Christi, ac pariter declaravit, ut quoties in concessione inveniantur verba *in festis* vel *in omnibus festis* vel *in omnibus et singulis* festis B. M. V., semper intelligantur dumtaxat festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis; quoad 2m intelligendum esse de omnibus festis Domini, quae celebrantur ab universa Ecclesia. Quoad 4m: pariter intelligendum esse de omnibus festis B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia. Quoad 5m: *Affirmative* ad 1am partem, *Negative* ad 2am.

F. Card. **Asquinius** Praef.

A. Archipr. **Prinzivalli** Substit.

393.

1862 18 Septembris. De habitualiter infirmis quoad lucrandas indulgentias.

Urbis et Orbis. Est hoc in more positum, quod a animarum pastoribus SS. Eucharistiae Sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus ad fideles habitualiter infirmos, chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes solemniter deferatur, proindeque hujusmodi fideles tot plenariis indulgentiis privantur, quas consequerentur, si conditionibus injunctis adimpletis ad sacram Eucharisticam mensam frequentius possent accedere. Itaque quamplures animarum curatores, aliique permulti ecclesiastici viri humillimas preces porrexerunt SSmo D. N. Pio PP. IX, ut de Apostolica benignitate super hoc providere dignaretur, factaque per me infrascriptum Secretariae S. Congregationis Indulgentiarum Substitutum Eidem Sanctissimo de his omnibus fideli relatione in Audientia habita die 18 Septembris 1862, Sanctitas Sua spirituali gregis sibi crediti utilitati prospiciens clementer indulsit, ut praefati Christifideles, exceptis tamen illis, qui in communitate morantur, acquirere possent omnes et singulas indulgentias plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit Sacra Communio et visitatio alicujus ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes confessi, ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario injungenda fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae die 18 Septembris 1862.

F. Card. Asquinius Praef.
A. Archipr. Prinzivalli Substit.

394.

1862 18 Septembris. Scapulare.

Urbis et Orbis. Etsi per plura decreta, praesertim vero sub diebus 12 Februarii, 7 Martii 1840, et 24 Augusti 1844 ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita satis superque provisum sit circa legitimam fidelium admissionem in sacri Scapularis Sodalitatem, declarando inter alia pro indulgentiarum ac privilegiorum acquisitione, *ut fideles ipsi in eamdem Sodalitatem ingredientes, habitum seu scapulare ab habentibus facultatem benedictum legitime recipiant, ipsumque deferant continuo pendens a collo unaque sui parte pectus, et altera scapulas contegens; et licet a sacerdotibus facultatem habentibus non servetur forma in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum praescripta, rata habeatur adscriptio, dummodo praefati sacerdotes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione, et impositione habitus, ac in receptione in Confraternitatem*, plures tamen hujusmodi fidelium adscriptiones invalidae ac nullae prorsus inveniuntur, ita ut fideles sacris indulgentiis, ac privilegiis frustrentur ob habitus impositionem peractam a non habentibus facultatem, vel ob ipsum habitum diversa forma confectum. At vero ne Christifideles eo modo in Sodalitatem adscripti ultra decipiantur, sacerdos Jacobus Etehepare, Missionarius Bajocensis dioecesis, dubia huic Sacrae Congregationi enodanda proposuit, videlicet:

1m: *An pro valida admissione ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo caeteraque omnia lucra sufficiat, reliquis servatis, impositio habitus confecti duobus pannis in una eademque extremitate funiculorum positis, modo postea ad lucrum effectivum indulgentiarum, privilegiorum etc. ipsemet admissus quilibet sibi imponat habitum rite confectum juxta decretum 12 Februarii 1840?*

2m: *An admissiones hujusmodi etiam bona fide hucusque factae sint validae donec iterentur, vel a S. Sede in radice sanentur?*

Et quatenus Affirmative,

3m: *An ad piorum perturbationes ac alia incommoda praecavenda ipsi Etehepare, presbytero Missionario, liceat de tali sana-*

tione pro tota Gallia quoad omne praeteritum Sanctitatem Suam obsecrare?

Itaque in comitiis generalibus in Æde Vaticana die 11 Augusti 1862 habitis, EE. PP., audito prius Consultoris voto, respondendum esse duxerunt:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Non expedire, et supplicandum SSmo pro sanatione omnium adscriptionum modo praedicto hucusque ubique factarum, et typis publicetur decretum.*

Facta demum de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX fideli relatione in Audientia habita die 18 Septembris ejusdem anni per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum, Sanctitas Sua EE. PP. resolutiones benigne confirmavit, ac insuper de Apostolica Sua benignitate omnes et singulas adscriptiones modo praedicto hucusque non solum in Gallia, verum etiam ubique peractas clementissime sanavit, et ut praefatae resolutiones et hujusmodi sanationis gratia ab universis Christifidelibus facilius dignoscantur, hoc generale decretum typis publicari mandavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli** Substit.

395.

1862 18 Septembris. — Regulares non gaudent indulg. sui Ordinis in ecclesiis non propriis, etsi in iisdem s. functiones obeant.

Ordinis Carmelitarum Discalceatorum. Humillimis precibus P. Procuratoris Generalis FF. Carmelitarum discalceatorum huic S. Congregationi Indulgentiarum exponebatur, quod communitas Conventus S. Annae ejusdem Ordinis in civitate Januensi, civili auctoritate nuper compulsa, proprio sequestrato conventu, in monasterium olim ad Benedictinos Monachos pertinens se transtulit, cujus ecclesiae parochialis cura ab Episcopo dioecesano presbytero saeculari jam fuerat demandata. Itaque eadem communitas propria destituta ecclesia, ab Ordinario facultatem obtinuit sacras functiones in eadem parochiali ecclesia peragendi juxta proprii Ordinis statuta. Jam vero cum jure ut Ordinis

ecclesia haec haberi non videatur, dubium exinde ortum est, an quae aliis Ordinis ecclesiis gratiae et privilegia sunt concessa, eidem etiam attributa censeantur; quapropter idem Procurator Generalis dubia proposuit:

1° *An gratiae et privilegia concessa ecclesiis Ordinis Carmelitarum censeri debeant attributa ecclesiae monasterii Benedictinorum, in qua ex concessione Episcopi praefati Carmelitae sacras functiones pro tempore obeunt?*

2° *An supplicandum sit Sanctissimo pro extensione privilegiorum ad ecclesiam de qua supra?*

Ad quae Sacra Congregatio die 11 Augusti 1862, in Palatio Apostolico Vaticano coadunata, praevio Consultoris voto, respondit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Et facta SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia diei 18 Septembris 1862, a me infrascripto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substituto, Sanctitas Sua attentis EE. PP. responsionibus, benigne annuit pro extensione privilegiorum ad ecclesiam praefati Benedictinorum monasterii, usque dum in ipsa FF. Ordinis Carmelitarum excalceatorum sacras functiones celebrabunt. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli** Substit.

396.

1862 18 Septembris. — Ecclesia profanata quoad indulgentias.

Ordinis Carmelitarum Discalceat. Huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi Fr. Maximilianus a S. Joseph Prior Conventus Ordinis Carmelitarum discalceatorum Ratisbonae in provincia Bavariae exposuerat, quod in ecclesia ejusdem Conventus sub titulo S. Joseph aderat ante exclaustrationem Confraternitas S. Joseph canonice erecta, cujus festum prout titulare Confraternitatis celebrabatur Dominica proxima post diem 23 Januarii cum indulgentia plenaria; atque aliae etiam indulgentiae pro iis, qui Confessione et Com-

munione peracta praedictam ecclesiam visitassent, inveniuntur concessae, scilicet feria quarta primae, secundae, tertiae, sextae, septimae, octavae, et nonae hebdomadae ante festum S. Joseph indulgentia plenaria; feria vero quarta hebdomadae quartae et quintae ante idem festum indulgentia centum dierum. At vero quamquam post restaurationem Conventus et ecclesiae reconciliationem, quae ad praedictam Confraternitatem spectant, omnia ut primitus perseverent, dubium tamen proposuerat:

Utrum scilicet per profanationem ecclesiae, quae tempore exclaustrationis locum habuit, jus ad praedicta penitus amissum fuerit?

Et quatenus Affirmative,

Humillimis rogaverat precibus, ut praefatas omnes gratias una cum Confraternitatis erectione de novo concederet, sanando quoque quidquid in confratrum receptione actum hucusque fuerit.

Sacra itaque Congregatio die 11 Augusti 1862 in Ædibus Apostolicis Vaticanis habita, audito prius Consultoris voto, respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

Quam quidem EE. PP. sententiam SSmo D. N. Pio IX relatam per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum in Audientia diei 18 Sept. 1862, Sanctitas Sua benigne confirmavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli** Substit.

397.

1862 18 Septembris. Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo.

Mexicana. Ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam dubium delatum est ex parte Episcopi Sanctae Fidei in Novo Mexico hisce verbis enuntiatum:

Erectam reperi Confraternitatem Nostrae Dominae de Monte Carmelo. Sacerdos habens auctoritatem benedicit juxta normam

praescriptam scapularia, quae in toto territorio per virum saecularem distribuuntur. Lucrarine possunt hoc modo indulgentiae?

Eadem Sacra Congregatio antequam quidquam decerneret, remisit instantiam uni ex Consultoribus ejusdem Sacrae Congregationis, qui censuit respondendum esse:

Negative quoad devotos, qui pro ingressu in Societatem habitum benedictum de manu sacerdotis auctoritatem habentis non receperunt.

Itaque EE. PP. in generalibus comitiis habitis die 11 Aug. 1862 in Ædibus Vaticanis Consultoris sententiam approbantes responderunt:

Negative juxta votum Consultoris.

Et facta de praemissis SSmo D. N. Pio PP. IX relatione per me infrascriptum Substitutum Secretariae praememoratae Sacrae Congregationis in Audientia habita die 18 Septembris 1862, idem SSmus responsum EE. PP. benigne confirmavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli** Substit.

398.

1862 18 Septembris. **De modo recitandi preces.**

Bituricen. Cum ad assequendas indulgentias sive plenarias, sive partiales, quas Apostolica Sedes fidelibus elargitur, requiratur omnino, ut omnes et singulae conditiones impositae, ne una quidem omissa, fideliter adimpleantur, dubia fuerunt proposita huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi a nonnullis Christifidelibus Bituricensis dioecesis.

1° *Utrum scilicet preces praescriptae ad lucrandas indulgentias sive plenarias, sive partiales, sint recitandae flexis genibus?*

2° *Utrum specialiter preces praescriptae pro scapulari immaculatae Conceptionis, scilicet sexies* Pater, Ave *et* Gloria *flexis genibus sint recitandae?*

Hinc Sacra Congregatio in generali conventu apud Vaticanum habito die 11 Augusti currentis anni, audito prius Consultoris voto, respondendum esse duxit:

Ad 1ᵐ: *Negative, nisi aliter praescriptum sit in documento concessionis.*

Ad 2ᵐ: *Negative.*

De quibus facta SSmo D. N. Pio PP. IX relatione per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum, in Audientia diei 18 Septembris 1862, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacrae Congregationis benigne confirmavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli** Substit.

399.

1864 29 Februarii. Varia dubia.

Congregationis S. Benedicti in Gallia. In generalibus comitiis Sacrae hujus Indulgentiarum Congregationis habitis die 29 Februarii 1864 sequentia dubia per Joannem Baptistam Nicolas, Monachum S. Benedicti Congregationis Gallicae proposita fuere:

1° *Cum ex diversis decretis S. Congregationis Indulgentiarum jam liceat plures plenarias indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur, an dictum decretum respiciat solas indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?*

2° *Qui decreto ipso uti voluerit, an teneatur ecclesiam vel publicum oratorium (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae?*

Et quatenus Affirmative,

3° *An sufficiat, ut in una eademque ecclesia tot preces, seu visitationes repetantur, quot sunt indulgentiae lucrandae, quin de ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur?*

Hisce itaque ab EE. PP. mature discussis, votisque Consultorum perpensis, respondendum esse statuerunt:

Ad 1m: *Affirmative.*
Ad 2m: *Affirmative.*
Ad 3m: *Negative.*

F. Antonius Maria Card. **Panebianco** Praef.
A. Colombo Secret.

400.

1864 29 Februarii. Reliquiae S. Maxentioli.

Andegaven. Cum corpus S. Maxentioli, unius ex discipulis sancti Martini, Episcopi Turonensis, ecclesia parochialis de Condè in urbe Cunaud, dioecesis Andegavensis, ab immemorabili possideat, ejusque Reliquias maxima semper Christifideles prosecuti sint veneratione, cumque reliquiarium, quod illud custodit, certis authenticis litteris ac sigillo omnino careat, Episcopus Andegavensis, priusquam de ejus authenticitate quidquam decerneret, superiori anno ecclesiasticorum legatione, de ipsius Sancti ossibus examen instituit, atque in formali recognitione nulla illi adversata est oppositio; at vero cum ex medici inquisitione ossa praefata eidem corpori pertinere, exceptis duobus aliis, quae alterius corporis sunt, animadverteret, duplicem quaestionem huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae solvendam proponit; nimirum:

1° *Cum desint in casu authenticae litterae, an possessio ab immemorabili et non interrupta dicti Sancti corporis, necnon eidem exhibitus publicus cultus, quae certitudinem moralem de authenticitate reliquiarum gignere videntur, sufficiant, ut dicto S. Maxentioli corpori veneratio tribuatur?*

2° *Quid de duobus ossibus pertinentibus ad aliud corpus, minime ad illud S. Maxentioli agendum? Decetne in eadem urna relinquere, aut illa extrahere oportet?*

Sacra itaque Congregatio, quae apud Vaticanum die 29 Februarii anni 1864 habita est, Consultorum votis auditis, sic respondendum esse decrevit:

Ad 1m: *Fideles non esse inquietandos.*

Ad 2m: *Nihil esse innovandum.*

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. Colombo Secret.

401.

1864 29 Februarii. De benedictione rosarii et coronae septem dolorum B. M. V.

Galliarum. Quamvis ex pluribus recentioribus decretis hujus Sacrae Congregationis Indulgentiarum praesertim dierum 11 Aprilis 1840 et 7 Januarii 1843, facile eruatur, quod in

coronarum benedictione, quibus ab habentibus facultatem illae applicantur indulgentiae dumtaxat, quas Romanus Pontifex solet impertiri, nec ulla recitationis formula, nec aquae benedictae aspersio, nec alius ritus exigatur praeter signum crucis, quando in indulto dicatur: *in forma Ecclesiae consueta*, dubitarunt tamen nonnulli Vicarii Generales in Gallia:

An per praefatas declarationes comprehendatur etiam benedictio tum coronarum seu rosariorum S. Dominici, quae a PP. Ordinis Praedicatorum, tum coronarum septem dolorum, quae a PP. Ordinis Servorum Mariae benedicuntur; ita ut sacerdotes, qui a Superioribus praefatorum Ordinum, vel immediate ab Apostolica Sede facultatem impetrant praememoratas coronas benedicendi, in solo crucis signo perficere possint, an vero pro actus valore formula benedictionis simulque aspersio cum aqua benedicta omnino sit adhibenda?

Proposito itaque dubio in Sacra Indulgentiarum Congregatione, quae in Ædibus Vaticanis die 29 Februarii habita fuit, EE. PP., postquam Consultorum vota audissent, responderunt:

Pro coronis Rosarii, et Septem Dolorum servandam esse formulam, cum responsa Sacrae Congregationis dierum 11 Aprilis 1840, et 7 Januarii 1843 non comprehendant casus, de quibus agitur in proposito dubio.

Cum vero ejusdem dubii conclusio ea sit, ut in casu, quo formula sit adhibenda, ipsis Vicariis Generalibus dispensatio ea utendi concedatur, iidem EE. PP. respondendum esse duxerunt:

Quoad dispensationem non expedire.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. Colombo Secret.

402.

1864 29 Februarii. **Altare privilegiatum.**

Andegaven. Cum ab Episcopo Andegavensi trium dubiorum solutio in hac Sacra Congregatione Indulgentiarum expostulata fuisset, nempe:

1° *Utrum privilegium altaris sive proprie dictum, sive personale applicari possit pluribus Defunctorum animabus in cujus-*

cumque diei Missa (servatis servandis), sicuti expresse, sed speciatim declaratum fuit a Sacra Congregatione die 19 Maji 1761 pro Missa in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum die 2 Novembris?

2° *Utrum post Indultum Apostolicum Reverendissimo Ordinario die 10 Maji 1860 concessum, quod permittit,* ut in omnibus ecclesiis parochialibus dioecesis Andegavensis ter in qualibet hebdomada celebrentur cum cantu Missae de Requie, dum Officia occurrunt ritus duplicis, quibusdam tantum exceptis, *applicatio privilegii fieri possit in hisce tribus Missis taliter cantatis, tametsi absolute loquendo extra rubricam cantatae esse de Requie videri valeant, vel differenda sit dicta applicatio in tres alios dies, in quibus Missa dicetur juxta rubricam ordinariam, et secundum alias praescripta a Sacra Congregatione?*

3° *Utrum qui ter habet privilegium personale in hebdomada possit valide, quando in eadem plura inveniuntur festa duplicia, et plura semiduplicia vel infra, potius eligere ad applicationem privilegii festa duplicia, quam differre ad semiduplicia?*

EE. PP. in generalibus comitiis habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 29 Februarii anni 1864, auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, respondendum esse duxerunt:

Ad 1m: *Negative.*[1])

Ad 2m: *Affirmative, quatenus non recurrant festa semiduplicia in hebdomada.*

Ad 3m: *Ut in secundo.*

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. **Colombo** Secret.

403.

1864 29 Februarii. Archiconfraternitas S. Josephi.

Andegaven. Director Archiconfraternitatis S. Josephi Brevi diei 6 Septembris 1861 pro toto imperio Gallico Andegavi erectae in ecclesia Novitiatus ejusdem Societatis, humiliter exponit Sanctitati Vestrae dubia, quae sequuntur, exorans Sanctitatem Vestram, ut eadem dirimere dignetur, ne diu eorum causa maneat perplexus:

[1]) Cfr. decretum Romana diei 19 Junii 1880.

1° *Cum in praedicto Brevi facultas aggregandi alias Confraternitates limitetur tantum ad imperium Gallicum, quaeritur, an sit valida inscriptio personarum commorantium extra idem imperium, qui, quamvis interesse nequeant consuetis conventibus piisque Confraternitatis exercitiis, possunt tamen lucrari indulgentias concessas nonnullis determinatis operibus injunctis, quae ab ipsis implentur?*

2° *An in frequentioribus civitatibus Galliae liceat plures Confraternitates erigere (S. Josephi), cum ad satisfaciendum fidelium devotioni ob locorum distantiam et negotiorum diversitatem una Confraternitas minime sufficiat?*

3° *Cum paulo post concessionem dicti Brevis Bellovaci erecta fuerit altera Archiconfraternitas pariter pro toto Galliae imperio, quaeritur, an Archiconfraternitas Andegavensis aggregare possit Confraternitatem in civitatibus, in quibus jam existit Confraternitas ab Archiconfraternitate Bellovacensi erecta?*

4° *In Gallia cum minime existant Religiosae a S. Sede approbatae, et aliunde plures adsint communitates quasi-Religiosarum, quae scholas dirigunt et Congregationes habent puellarum tam externarum quam alumnarum, valde utile esset Confraternitates erigere in earum ecclesiis, quaeritur, an possint erigi?*

Propositis supraenuntiatis dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiarum habita die 29 Februarii 1864 apud Ædes Vaticanas EE. PP., auditis prius Consultorum votis, responderunt:

Ad 1m: *Negative.*

Ad 2m: *Generatim negative; obveniente autem gravi causa recurrat in casibus particularibus.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Non expedire.*

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. Colombo Secret.

404.

1864 11 Aprilis. Altare privilegiatum.

Urbis et Orbis. Quamplures Romani Cleri sacerdotes, ac praesertim animarum curatores dubium huic Sacrae Con-

gregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae enodandum proposuerunt:

Utrum, scilicet, sacerdos celebrans in altari privilegiato legendo Missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, sive ratione expositionis SS. Sacramenti, sive Stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis, aut ex rationabili motivo, fruatur privilegio, ac si legeret Missam de Requie per rubricas eo die permissam?

Sacra itaque Congregatio, quae habita fuit apud Vaticanas Ædes die 29 Februarii 1864, auditis Consultorum votis, respondendum esse duxit:

Affirmative, deletis tamen verbis aut ex rationabili motivo, *et facto verbo cum Sanctissimo.*

Facta insuper per me infrascriptum ejusdem S. Congregationis Secretarium SSmo D. N. relatione in Audientia diei 11 Aprilis ejusdem anni, Sanctitas Sua EE. PP. sententiam benigne confirmavit.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. **Colombo** Secret.

405.

1864 11 Aprilis. Confraternitas SS. Rosarii.

Ordinis Praedicatorum. Cum Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarasset per decretum diei 19 Augusti 1747 approbatum et confirmatum sub die 26 praedicti mensis a s. m. Benedicto XIV, Sodalitates SS. Rosarii erectas inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum indulgentiis in Brevi Apostolico expressis non gaudere, tamen plures Episcopi in propriis dioecesibus etiam nunc Sodalitates instituunt sub titulo SS. Rosarii vigore Apostolicarum facultatum, quae ab ipsis impetrantur in genere, erigendi nempe Sodalitates cujuscumque tituli et invocationis. Itaque modernus Magister Generalis ejusdem Ordinis Praedicatorum eidem Sacrae Indulgentiarum Congregationi dubium solvendum proposuit:

Utrum absque expressa mentione derogationis privilegii Ordini praefato concessi, et sola vi generalis communicationis indulgentiarum Archiconfraternitatum Urbis, tributae Confraternitatibus,

quae in aliqua dioecesi sub iisdem titulis ab Ordinario eriguntur, etiam Societates sub titulo SS. Rosarii inscio Magistro Ordinis Praedicatorum institutae indulgentiis huic Societati elargitis frui possint et valeant?

Cum autem praefatum dubium in Congregatione habita die 29 Februarii 1864 in Palatio Apostolico Vaticano ab EE. PP. fuerit rite discussum, respondendum esse duxerunt:

Provisum per responsum ab hac Sacra Congregatione die 19 Augusti 1747, confirmatum a Benedicto XIV die 26 praedicti mensis, facto verbo cum SSmo.

Facta deinde per me infrascriptum Substitutum SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia diei 11 Aprilis ejusdem anni, Sanctitas Sua votum EE. PP. benigne confirmavit. Etsi autem per praefatum Benedicti XIV decretum cautum sit, ne in posterum, virtute Brevis Apostolici in genere impetrati, erigantur Confraternitates SS. Rosarii inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, tamen, ne devotionis fervor tepescat, sed potius sodalium pietas magis augeatur et florescat, Sanctitas Sua Confraternitates tali modo hactenus erectas, dummodo nihil aliud obstet, motu proprio ac de plenitudine potestatis sanavit, et validas esse declaravit, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Idem vero SSmus D. N. de plenitudine pariter potestatis voluit et expresse mandavit, ut in posterum Confraternitates SS. Rosarii nonnisi ad formam decreti Benedicti XIV erigantur, servatis insuper ceteris de jure servandis. [1])

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli** Substit.

406.

1864 29 Augusti. Portiuncula.

Forojulien. Quamvis compertum sit, et ab hac Sacra Congregatione declaratum, ecclesias omnes, quae sub regimine olim erant FF. Ordinis Seraphici, indulgentias amisisse ejusdem Ordinis proprias; attamen ad enixas preces R. P. Hadriani Josephi Humbert ex Ordine Conventualium, s. m. Pius

[1]) Cfr. decretum Constantien. diei 26 Augusti 1747.

PP. VII per Breve sub die 20 Junii 1817 confirmavit et, quatenus opus esset, de novo concessit indulgentias omnes et singulas, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes vulgo de Portiuncula nuncupatas in ecclesiis existentibus in Galliarum regnis, quaeque a FF. dicti Ordinis primitus regebantur; imo ad majorem Christifidelium utilitatem idem Pontifex per aliud Breve *Alias nos* sub die 4 Maji 1819 praedictam indulgentiam de Portiuncula nuncupatam in iisdem ecclesiis ad Dominicam immediate sequentem diem 2 Augusti, nisi haec dies in Dominicam incidit, transtulit.

Cum autem hodie nonnullae ecclesiae in Gallia sub regimine FF. Ordinis S. Francisci iterum existant, quaeque ideo potiuntur hac indulgentia die 2 Augusti, sequentia enata sunt dubia proposita a parocho S. Francisci in civitate Forojuliensi curiae Episcopali, et ab hac Sacrae Congregationi, ut declarentur:

1° *Utrum Brevia* Exponi Nobis *diei 20 Junii 1817 et* Alias Nos *4 Maji 1819, si sint authentica, adhuc vigeant pro Gallia, quamvis in quibusdam locis nunc exstent Conventuales Franciscanorum ecclesiae, in quibus fideles die 2 Augusti indulgentias de Portiuncula nuncupatas consequi possunt?*

2° *Utrum, firmo remanente Brevi* Alias Nos *de translatione indulgentiarum de Portiuncula ad Dominicam, vetus Franciscana ecclesia, nunc parochialis, indulto speciali indigeat, ut in ea fideles indulgentias die 2 Augusti lucrentur?*

Sac. Congregatio in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa, respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Indigere.*

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. Cossa Sustit.

407.

1864 29 Augusti. De indulgentiis festo adnexis.

Congregationis S. Benedicti in Gallia. Inter dubia de translatione indulgentiarum quae Joannes Baptista Nicolas,

Monachus S. Benedicti in Gallia, huic Sacrae Congregationi obtulerat enodanda, sequens propositum est:

Utrum indulgentiam alicui festo adjunctam lucretur quisquis die ipsa juxta Kalendarium Breviarii Romani, vel potius juxta Kalendarium uniuscujusque dioecesis, Ordinis etc.

Item qui Sodalitati cuicumque nomen dederunt, an indulgentias acquirant die, in qua festum celebratur in Ordine Regulari, ad quem attinet dicta Sodalitas, licet sit diversa a die Kalendarii Romani, vel dioecesani?

Sac. Congregatio in generalibus comitiis habitis die 29 Augusti 1864, audito Consultorum voto et re mature discussa, respondit:

Indulgentiam acquiri a Christifidelibus die fixa et rite constituta in sua dioecesi; a regularibus Ordinibus die rite constituta in suo Kalendario; ab hominibus, qui Sodalitati nomen dederint, quae ad Regularem Ordinem attineat, indulgentiam acquiri die rite constituta in Kalendario dioecesis, vel in Kalendario Ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant, non tamen in utraque die.[1])

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. Cossa Substit.

408.

1864 26 Septembris. Scapulare.

Monacen. Presbyter quidam facultatem habens scapulare B. M. V. de Monte Carmelo et scapulare caeruleum Conceptionis immaculatae compluribus dedit personis. Quae duo scapularia ita confecta et aptata fuerant, ut ambae partes unius scapularis cum partibus alterius adunarentur, eademque chorda jungerentur. Per errorem vero ambo scapularia ita male confecta fuerunt, ut nullum constituerent determinatum scapulare, binae enim partes ejusdem coloris ita componebantur, ut pars pectoralis nonnisi caerulea esset, et pars, quae ad tergum descendebat, nonnisi coloris tanei vel viceversa. Unde sacerdos Franciscus de Wimmes sequentium dubiorum supplex postulat solutionem:

1° *An scapulare dictae formae pro utroque scapulari valeat? Et quatenus Affirmative,*

[1]) Cfr. decretum Januen. diei 12 Januarii 1878.

2° *Num aliquid supplendum, vel emendandum sit?*

Quatenus vero Negative,

3° *Utrum dispensatio, an nova scapularium distributio sit necessaria?*

4° *Quaerit Orator a Sacra Congregatione facultatem distribuendi, si opus sit, personis, de quibus supra, dicta ambo scapularia?*

Sac. Congregatio in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas Ædes, audito Consultoris voto, et re mature discussa, die 29 Augusti respondit:

Ad 1^m^: *Negative et ad mentem; mens est, valere, dummodo partes uniuscujusque scapularis ita disponantur, ut una ab humeris, altera a pectore dependeat, licet omnes uno funiculo connectantur.*

Ad 2^m^: *Provisum in primo.*

Ad 3^m^: *Supplicandum SSmo pro sanatione.*

Ad 4^m^: *Provisum in tertio.*

SSmus in Audientia diei 26 Septembris ejusdem anni ab infrascripto Cardinale Praefecto habita petitam sanationem concessit.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. Colombo Secret.

409.

1864 29 Augusti. **Sorores pauperes S. Francisci.**

Colonien. Cum SSmus D. N. Pius PP. IX per Litteras Apostolicas in forma Brevis datas sub die 19 Decembris 1856 benigne indulserit, ut virgines Congregationis de Aquisgrano in dioecesi Coloniensi collegialiter viventes, et sub nomine Pauperum Sororum regulam Tertii Ordinis S. Francisci profitentes omnibus et singulis indulgentiis perfruantur, quae Tertio Ordini S. Francisci a S. Sede concessae sunt; ex tenore praefati Brevis sequentia enata sunt dubia:

1° *Utrum istae indulgentiae sint personales tantum Tertiariis B. Francisci concessae, an etiam locales in ecclesiis Minoriticae familiae ab omnibus Christifidelibus lucrandae ad ecclesias vel oratoria publica praefatarum Sororum accedentibus?*

2° *Utrum Sorores praefatae Tertio Ordini S. Francisci dein incorporentur per ipsam professionem religiosam in una Congre-*

gatione factam, quemadmodum pro Monialibus, quae Elisabethinae vocantur, obtinet; an unaquaelibet soror, velut personae laicae, in Tertium Ordinem a sacerdote facultatem habente prius recipienda sit, donec ipsarum Congregatio, ejusque statuta a S. Sede Apostolica particulariter approbentur?

Sac. Congregatio in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas Ædes die 29 Augusti 1864, audito Consultoris voto, et re mature perpensa, respondendum censuit:

Ad 1m: *Indulgentias censeri tantummodo personales in casu.*

Ad 2m: *Recurrant ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium.*

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. Cossa Substit.

410.

1864 29 Augusti. — Scapulare.

Cameracen. Cum in civitate vulgo Turcoing nuncupata Archidioecesis Cameracensis hoc in nonnullarum piarum matrum more positum sit, ut parvulis suis etiam rationis usum nondum adeptis sacrum scapulare consueto ritu imponi faciant, Superior domus religiosae Missionariorum Societatis Mariae ejusdem civitatis, de hujusmodi impositionis validitate dubitans exquirit:

Utrum sufficiens sit isthaec scapularis impositio, ut parvuli, cum ad rationis usum pervenerint, indulgentiis, aliisque privilegiis illud gestantibus concessis frui possint et valeant?

Sac. Congregatio in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas Ædes die 29 Augusti 1864, audito Consultoris voto, et re mature perpensa, respondit:

Affirmative.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. Cossa Substit.

411.

1864 29 Augusti. — Benedictio Apostolica.

Vallis Guidonis. Cum pluries declaratum fuerit a S. Sede, Sorores monasteriorum Galliae lucrari posse indulgentias omnes, quae Religiosis, seu Instituto Monialium solemnia

vota emittentium secundum regulam respectivam concessae fuerunt, hinc quoad familiam Carmelitanam dubium exortum est:

An scilicet Sororibus hujus Instituti in Gallia Benedictio Apostolica quater in anno cum indulgentia plenaria a Benedicto XIV Ordini Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo concessa impertiri a confessario aut capellano pro tempore licite et valide possit? Et quatenus Negative, supplicationes suas offerunt Sorores Carmelitae Vallis Guidonis pro gratia, earum nempe confessario aut capellano pro tempore Benedictionem Apostolicam impertiendi cum indulgentia plenaria.

Sac. Congregatio in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas Ædes die 29 Augusti 1864, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa, respondit:

Ad 1am partem: *Negative;* ad 2am: *Non expedire.*

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. **Cossa** Substit.

412.

1864 29 Augusti. Coronae 7 gaudiorum B. M. V.

Ordinis Capucinorum. Circa coronam Septem Gaudiorum B. M. V., R. P. Generalis Procurator Ordinis FF. Min. Capucinorum duo obtulit dubia, quae huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi resolvenda proposita fuere:

1° *Utrum corona Septem Gaudiorum B. M. V. in Ordine Seraphico ditata sit indulgentia plenaria?*

2° *An ad effectum lucrandi dictam indulgentiam necesse sit, ut praefatae coronae benedicantur?*

Sac. Congregatio in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas Ædes, audito Consultoris voto et re mature perpensa, die 29 Augusti 1864 respondendum duxit:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Negative.*

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. **Cossa** Substit.

413.

1864 29 Augusti. Congregatio B. M. V. Prima primaria.

Societatis Jesu. Per decretum hujus Sacrae Indulgentiarum Congregationis latum die 8 Januarii 1861 super institutionibus et aggregationibus Confraternitatum seu Congregationum, injungitur ac praescribitur observantia Constitutionis Clementis fel. rec. PP. VIII incipien. *Quaecumque* circa modum instituendi et aggregandi Confraternitates omnino adhibendum ab Ordinibus Regularibus et Archiconfraternitatibus. Suborta hinc fuit dubitatio, num infirmari inde censeatur facultas instituendi et aggregandi, qua Congregatio primaria B. M. V., sub titulo Annuntiationis in Urbe fruitur. Quapropter R. P. Praepositus Generalis S. J. huic Sacrae Congregationi sequens dubium proponendum curavit:

Utrum in praefato decreto 8 Januarii 1861 comprehendantur institutiones et aggregationes fieri solitae a Congregatione B. M. V. ab Angelo salutatae in Collegio Romano erecta, nuncupata Prima-Primaria, *juxta peculiarem et propriam formulam qua, vi concessionum plurium Summorum Pontificum, illius Societatis Moderatores usi sunt et adhuc utuntur?*

Sac. Congregatio in generalibus comitiis habitis apud Vaticanum die 29 Augusti 1864, auditis Consultorum votis et re mature perpensa, respondendum duxit:

Non comprehendi.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. Cossa Substit.

414.

1864 29 Augusti. „Angelus Domini."

Tornacen. Proposito dubio huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi per Joannem Baptistam Falise, in dioecesi Tornacensi parochum:

Utrum ad effectum lucrandi indulgentias a Summis Pontificibus concessas fidelibus, qui orationem vulgo dictam Angelus Domini *certis quibusdam diei horis ad campanae pulsum pie recitaverint, requiratur, ut campana sit ritu ab ecclesia praescripto benedicta?*

Sac. Congregatio in generalibus comitiis apud Vaticanum habitis, audito Consultorum voto et re mature perpensa, die 29 Augusti 1864 respondit:

Negative.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. Cossa Substit.

415.

1864 29 Decembris. — De versione precum.

Cum pro nonnullis precibus latino vel italico sermone confectis concessae fuerint indulgentiae, addita facultate easdem preces recitandi quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, et aliquando adjectum, *et approbata ab Ordinario loci, vel a respectivis Ordinariis,* singillatim autem pro Orationibus in Collectione Romana, edit. XIII, contentis indulgentias acquiri eas recitando in quodcumque idioma translatas, dummodo versiones sint fideles; in Audientia habita die 29 Decembris 1864 ab infrascripto Cardinale Praefecto SSmus D. N. Pius Papa IX benigne declaravit, indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles. Licet autem pro lucranda indulgentia requiratur versionis fidelitas; nihilominus ut constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio Sacrae Congregationis Indulgentiarum per Eminentissimum Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cujus recitationi primitus indulgentia concessa fuit.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
A. Colombo Secret.

416.

1866 30 Augusti. — De Sodalitatibus Filiarum Mariae erigendis nulla habita ratione distantiae.

Urbis et Orbis. Quantum in populo christiano tum familiarum, tum salutis communis intersit, juventutem sequioris sexus adeo instituere, et praecipue sanctissimae religionis nostrae subsidiis a tenera adhuc aetate munire, ut pietatis operibus intenta succrescens, a recto, quem semel suscepit, tramite, *etiam cum senuerit, non recedat,* satis experientia et ratione compertum est. Inter cetera autem, quae huic fini inservire dignoscuntur, adnumeranda quidem

pia illa Sodalitia, quae praesertim sub B. M. V. titulo canonice instituta et erecta, toties a Sede Apostolica non solum commendata, sed spiritualibus indulgentiarum auxiliis ditata inveniuntur, et quae potissimum *Filiarum Mariae* nomine circumferuntur.

Nuper vero cum in Basilica S. Agnetis extra moenia Urbis similis pia Sodalitas fuerit canonice erecta sub titulo, et patrocinio *B. M. V. Immaculatae et S. Agnetis Virginis et Martyris*, et per Litteras Apostolicas datas die 16 Januarii 1866, amplissimis indulgentiarum muneribus locupletata; et per aliud Breve datum die 16 Februarii 1866 in Primariam, seu Archisodalitatem fuerit erecta, ita ut eidem jus competat aggregandi ceteras Sodalitates ejusdem nominis et instituti ubique locorum erectas, vel erigendas, eisdemque communicandi omnes et singulas indulgentias praefatae Archisodalitati concessas, vel concedendas, servata tamen forma Constitutionis Clementis VIII incip. *Quaecumque;* nunc tandem SSmus D. N. Pius PP. IX ad humillimas preces Moderatoris ejusdem Archisodalitatis, cum maxime puellarum bono expedire judicaverit, plures etiam in eodem loco hujusmodi Sodalitates institui et erigi; in Audientia habita ab Eminentissimo Cardinali Praefecto die 30 Augusti currentis anni 1866, benigne mandavit, ut quoad praedictas Sodalitates nulla distantiae ratio habeatur, sed liceat Episcopis, prout opportunum in Domino judicaverint, plures in civitate, vel dioecesi hujusmodi Sodalitates instituere et erigere; quae sic institutae et erectae jam dictae Archisodalitati aggregari possint et valeant, et in indulgentiarum communicationem admitti, ita ut in ipsis ecclesiis, ubi respectivae Sodalitates fuerint erectae, praeter functiones secundum statuta obiri solitas, etiam visitationes peragi possint, quoties hae ad indulgentiarum acquisitionem praescriptae inveniantur, servata in reliquis Constitutione Clementis VIII et ceteris de jure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.

A. Colombo Secret.

417.

1866 19 Octobris. **Declaratio decreti diei 1 Januarii 1861 circa Confraternitatum aggregationes.**

Per decretum hujus Sacrae Congregationis Indulgentiarum editum die 8 Januarii 1861 confirmata et pristinae observantiae restituta Constitutione Clementis VIII incip. *Quaecumque* data sub die 7 Decembris 1604 super institutionibus, vel aggregationibus Confraternitatum, inter cetera cautum fuit, ut in formula aggregationum, quae concordare deberet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII, hujus ejusdem Constitutionis saltem praecipua capita insererentur cum variationibus a Sanctitate Sua approbatis. Nunc vero SSmus D. N. Pius PP. IX enixe postulantibus nonnullis tum Superioribus Ordinum Regularium, tum Rectoribus Archiconfraternitatum, ut hujusmodi litterae aggregationum commodius exaratae respectivis Confraternitatibus expediantur, in Audientia habita ab Eminentissimo Cardinali Praefecto die 19 Octobris 1866 benigne indulsit, ut praefata capitum expositio in posterum etiam separatim a litteris aggregationum dari possit, ita tamen, ut simul cum praefatis litteris adnexa omnino communicetur, et in eadem formula exprimatur. Servatis vero et in suo robore permanentibus reliquis omnibus, quae tam in laudata Constitutione Clementis VIII, quam in praefato decreto praescribuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae die 19 Octobris 1866.

A. M. Card. **Panebianco** Praef.
Philippus Can. **Cossa** Substit.

418.

1867 26 Martii. **De privilegio moderatorum Sodalitatum Filiarum Mariae in numismatibus benedicendis.**

Parochus ad Basilicam S. Agnetis extra Urbis moenia, Moderator Sodalitatis Filiarum Mariae in Primariam nuper erectae in eadem Basilica, sub patrocinio B. M. V. Immaculatae et inclytae V. et M. Agnetis, a SSmo D. N. declarari petiit:

Utrum a Moderatoribus piarum hujus nominis Unionum, quae dictae Primariae aggregatae sint, benedici possint cum applicatione plenariae indulgentiae (juxta litteras in forma Brevium diei 16 Januarii et 16 Februarii 1866) quaecumque numismata B. V. M., vel ea tantum, de quibus, uti tessera Primariae, mentio fit in dictis Apostolicis Litteris?

Ejusmodi preces ad SSmum relatae sequenti Rescripto fuerunt remissae.

SSmus D. N. Pius Papa IX in Audientia habita ab infrascripta Cardinale Praefecto die 26 Martii 1867 proposito dubio rescribi mandavit, posse tantum benedici numismata, in quibus insculpta sit imago B. M. V. et S. Agnetis, prout in tessera Primariae Unionis, de qua agitur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

A. Card. **Bizzarri** Praef.
A. Colombo Secret.

419.

1868 18 Augusti. **Scapulare B. M. V. — Officium recitandum.**

Urbis. In Constitutionibus Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Romae editis anno 1825 ad lucrandum privilegium *Sabbatinum* appellatum, pro adscriptis Sodalitati ejusdem tituli, legitur: *Litteras habentes Officium saltem parvum B. V. quotidie recitare,* et in libello instructionis anno 1840 in Urbe impresso reperitur: *Qui sciunt legere, tenentur recitare horas canonicas in Officio magno vel parvo.* Ex parte itaque Reverendissimi Procuratoris Generalis Congregationis SS. Redemptoris suppliciter S. Congregationi Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum proposita sunt resolvenda sequentia dubia:

1° *Num confratres sacri Scapularis valentes Officium recitare, teneantur saltem ad parvum B. V. Officium persolvendum pro assequenda indulgentia Sabbatina?*

2° *Num Officium parvum recitandum sit secundum ritum Romanum?*

3° *Num dictum Officium parvum quotidie sit recitandum?*

4° *Num totum Officium parvum quotidie sit recitandum, vel unum Nocturnum cum Laudibus?*

Eminentissimi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Julii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, respondendum esse duxerunt:

Ad 1^m^: *Affirmative, exceptis iis, qui jam tenentur ad recitationem divini Officii.*

Ad 2^m^: *Affirmative, nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum.*

Ad 3^m^: *Affirmative.*

Ad 4^m^: *Recitandum esse Nocturnum diei cum Laudibus et ceteras Horas ejusdem Officii.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX a me infrascripto Cardinali Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis ratam habuit.

A. Card. **Bizzarri** Praef.
A. Colombo Secret.

420.

1868 18 Augusti. **De Vicarii Generalis potestate circa erectionem Confraternitatum.**

Aurelianen. Etsi Vicarius Generalis vi officii sibi generaliter commissi expedire possit ea negotia, quae ad ordinariam Episcopi jurisdictionem spectant; nonnulla tamen exercere nequit sine speciali Episcopi mandato: ea nempe, quae vel ex jure scripto, vel ex causae gravitate specialem commissionem requirunt. Inter haec autem adcensendam esse Confraternitatum erectionem tum docent doctores, tum inferri videbatur ex resolutione Sacrae Rituum Congregationis edita die 7 Octobris 1617, qua Episcopo Elboren. respondit: *„Nemini licere inconsulto Episcopo in sua dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates, et earum statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua dioecesi.* Praeterea Vicarius Generalis non potest pariter vigore officii sui se ingerere in exsequutione litterarum Apostolicarum pro hujuscemodi indultis, si haec fuerint Episcopo directa, nisi potestas subdelegandi eidem facta fuerit, suumque Vicarium Generalem reapse subdelegaverit. Id confir-

matum reperitur ab hac Sacra Congregatione in una Gratianopolitana diei 24 Maji 1843. Cum enim Episcopus Gratianopolitanus ab Apostolica Sede obtinuisset praeter alias facultates, licentiam erigendi in sua dioecesi plures Sodalitates, quaesitum fuit a Sacra Congregatione, *utrum duo Vicarii Generales ejusdem Episcopi, qui cum ipso unam personam moralem efficiebant saltem quoad jurisdictionem ordinariam, uti possent facultatibus praedictis, scilicet Sodalitates erigendi etc.*, Sacra Congregatio respondit: *Indulta seu facultates, de quibus in proposito dubio, etsi non cedant in propriam Episcopi utilitatem, sed in gratiam dioecesanorum, non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad rectam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata; ita ut, eo absente, vel morbo laborante, sive nimiis occupationibus impedito, vices pro eo alius gerat, tamquam ab ipso legitime delegatus, sed cum sint potius favores, quos idem Episcopus ab Apostolica Sede personaliter impetravit, hinc ab Episcopo tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi, nisi in precibus Apostolicae Sedi delatis expostulasset iis verbis, aut similibus, nempe eos sive per se, sive per suos Vicarios Generales communicandi etc.*

Denique in Constitutione Clementis VIII incip. *Quaecumque* etc. cum praecipiatur, aggregationem Confraternitatum faciendam esse praevio loci Ordinarii consensu, et cum ejusdem litteris testimonialibus; et praeterea statuta earumdem Confraternitatum non posse tradi, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, in utrisque casibus venire solum Episcopum inferebatur tum ex verbis Constitutionis, tum ex natura rei; ita ut Vicarius Generalis speciali ad id mandato indigeat. Per aggregationem enim Confraternitas quadam nova erectione perficitur, et per statutorum traditionem, privilegiorum, indulgentiarum communicationem ad sublimiorem statum evehitur. Unde hic Ordinarii appellatione solum Episcopum designari visum est, quemadmodum in casu, de quo in Tridentina Synodo sess. 23 cap. 8 de Reform. hisce verbis: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio ordinari petat, nullatenus id ei permittatur, nisi ejus probitas et mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* Ordinarii autem no-

mine hic intelligi Episcopum, non vero Vicarium Generalem, nisi antea speciale mandatum ei ab Episcopo tributum fuerit, omnes tradunt doctores, ita ut Vicarius Generalis absque eo dimissoriales, seu testimoniales litteras ad effectum suscipiendi Ordines concedere minime possit. Nil mirum igitur, quod Vicarius Generalis Episcopi Aurelianensis quatuor sequentia dubia Sacrae Congregationi enodanda proposuerit, nempe:

1° *Cum Episcopus obtinuerit facultatem a Sede Apostolica erigendi Confraternitates cum respectivis indulgentiis, possitne Vicarius Generalis id praestare absque speciali delegatione Episcopi?*

2° *Potestne Vicarius Generalis auctoritate ordinaria erigere Confraternitates absque delegatione Episcopi, ita ut erectio sic peracta canonica sit?*

3° *Utrum Vicarius Generalis possit valide concedere litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum?*

4° *Utrum Vicarius Generalis possit approbare statuta Confraternitatum?*

Quibus EE. PP. in comitiis generalibus apud Vaticanas Ædes habitis die 20 Julii 1868, audito Consultoris voto, et re mature perpensa, rescribendum duxerunt:

Ad 1m: *Negative, nisi Episcopo subdelegandi potestas in Apostolico indulto concessa fuerit, suumque Vicarium Generalem subdelegaverit.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Negative, et supplicandum SSmo pro sanatione quoad praeteritum.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 18 Augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit, et sanationem erectionum Confraternitatum, et approbationum statutorum a Vicariis Generalibus usque ad totum currentem diem 18 Aug. 1868 factarum, necnon aggregationum, quae cum litteris testi-

monialibus et consensu Vicariorum Generalium locum hucusque habuerunt, benigne impertita est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

A. Card. Bizzarri Praef.
A. Colombo Secret.

421.

1868 18 Augusti. Dubia de scapulari.

Cameracen. Nonnunquam accidit, praesertim sacrarum missionum tempore, ut, cum sacerdos ad id legitime deputatus scapulare B. M. V. de Monte Carmelo aliudve fidelibus imponit, deficiant scapularia priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit; hinc superior domus religiosae Missionariorum Societatis Mariae in civitate vulgo Tourcoing nuncupata Archidioecesis Cameracensis humiliter supplicat S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro sequentium dubiorum solutione:

1° *Utrum unum idemque scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi, repetita solummodo super singulis receptionis, sive impositionis formula?*

2° *Utrum hujusmodi formula usurpari solita in actu impositionis scapularium essentialis sit, ut quis scapulare rite accepisse censeatur, jusque habeat ad indulgentias illud ferentibus concessas, an vero absque indulgentiarum dispendio possit omitti, praesertim in morbis, aliove urgenti casu?*

3° *Ex indulto s. m. Gregorii XVI sub die 30 Aprilis 1838 necessarium amplius non est ad indulgentias acquirendas, ut inscribantur in Confraternitatis libro nomina fidelium qui B. M. V. de Monte Carmelo scapularia recipiunt; quaeritur utrum idem dicendum de aliis scapularibus a S. Sede approbatis?*

Itaque EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Julii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, rescripserunt:

Ad 1m: *Affirmative, ita tamen ut primum scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum.*

Ad 2m: *Tam ad primam quam ad secundam partem proferenda esse verba, quae sunt substantialia, ad formam decreti hujus Sacrae Congregationis diei 24 Augusti 1844, quod sic se habet:*

An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quae fit a sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta? S. C. respondit: *Affirmative, dummodo sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione, et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem.*

Ad 3m: *Negative.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX a me infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit.

A. Card. Bizzarri Praef.
A. Colombo Secret.

422.

1868 18 Augusti. Utrum extranei adscribi possint Confraternitati.

Firman. Hodiernus director piae Unionis sub titulo Patrocinii S. Joseph in civitate Firmana, et Archiconfraternitati ejusdem tituli Romae existenti in ecclesia S. Rochi aggregatae, metuens, ne ob decreta alias edita a suprema Universali Inquisitione, nempe feria V 17 Novembris 1689, et feria V 12 Julii 1703, adscribi possent eidem piae Unioni extradioecesani, sacro Tribunali supplicem libellum porrexit. Eminentissimi Patres eumdem remitti mandarunt ad Sacram Congregationem Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum, in qua, omnibus ad examen revocatis, propositum est sequens dubium:

Utrum pia Unio sub titulo Patrocinii S. Joseph Firmi canonice erecta et legitime aggregata Archiconfraternitati ejusdem tituli de Urbe, possit adscribere extraneos id postulantes?

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Julii 1868, audito prius Consultoris voto, reque mature perpensa, rescripserunt:

Affirmative, dummodo omnia concurrant, quae pro adscriptione requiruntur.

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita a me infrascripto Cardinali Praefecto die 18 Augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis confirmavit.

A. Card. Bizzarri Praef.
A. Colombo Secret.

423.

1868 18 Augusti. Scapulare.

Urbis. Ex quo parva scapularia, quae fideles gestare solent, in sua origine et institutione aliud non sint quam scapularia variis Ordinibus religiosis propria, pro majori fidelium commoditate ad parvam formam redacta, enata sunt dubia a Reverendissimo P. Procuratore Generali Congregationis SS. Redemptoris Sacrae Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum proposita solvenda, quae tam ad antiqua, quam ad recentiora scapularia referuntur, scilicet:

1° *Utrum ad scapularia conficienda necessario et exclusive adhibenda sit materia* ex lana, *vel utrum sumi etiam possit cylinum* (cottone) *aliave similis materia?*

Et quatenus Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam,

2° *Utrum vox* pannus, panniculus *ab auctoribus communiter usurpata sumi debeat in sensu stricto i. e. de sola lanea textura reticulata* (lavoro di maglia, tricotage), *an de quocumque laneo opere acu picto* (ricamo, broderie) *adhibito tamen semper colore praescripto?*

3° *Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta, vel acu picta habet* ornamenta *pariter ex lana, sed diversi coloris?*

4° *Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta vel acu picta habet ornamenta ex materia non lanea v. gr. ex serico, argento, auro etc.?*

5° *Hucusque generalis viguit usus conficiendi scapularia formae oblongae, vel saltem quadratae. Nunc autem quibusdam in regionibus introducitur usus conficiendi scapularia formae rotundae, vel ovalis imo et multangulae. Quaeritur itaque, utrum*

alia forma praeter oblongam et quadratam obstet validitati scapularis?

6° *Permultis in regionibus laudabilis viget usus a S. Sede approbatus gestandi per modum unius plura simul inter se diversa scapularia, quo in casu variorum scapularium panniculi alii aliis superpositi duobus tantum funiculis assuuntur, ita tamen, ut singularium scapularium panniculi dependeant tam a pectore, quam ab humeris. Non raro autem haec scapularia unita sic conficiuntur, ut loco plurium panniculorum diversi coloris, unicus tantum in utraque funiculorum extremitate panniculus habeatur, in quo conspicitur* ornamentum intextum, *vel* acu pictum *ex diversis coloribus ad significanda plura diversa scapularia. Quaeritur utrum haec scapularia sint valida?*

Itaque EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Julii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, rescribendum esse duxerunt:

Ad 1m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 2m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 3m: *Affirmative; dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat.*

Ad 4m: *Ut in praecedenti.*

Ad 5m: *Nihil esse innovandum.*

Ad 6m: *Negative.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX a me infrascripto Cardinali Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit.

A. Card. **Bizzarri** Praef.
A. Colombo Secret.

424.

1868 18 Augusti. Indulgentiae in ecclesiis Soc. Jesu.

Societatis Jesu. Sacrae Congregationi expositum fuit, quod inter ecclesias, in quibus Patres Societatis Jesu exercent sacrum ministerium, praesertim post politicas superioris hujusque saeculi perturbationes, aliquae olim ad Societatem

ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt, aliae tamen ad Societatem Jesu numquam proprie pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati concredita est, ut ibidem obeat sui Ordinis ministeria. Quaerebatur porro utrum in utriusque generis ecclesiis fideles lucrari possint indulgentias, quae a S. Sede Apostolica concessae sunt visitantibus ecclesias Societatis Jesu occasione quorumdam festorum, ex gr. S. Ignatii, S. Aloisii etc.

Relate ad primam partem quaesiti nulla occurrebat difficultas; si enim illegitime ecclesiae sublatae fuerint, in casu restitutionis non solum de jure, sed etiam de facto ad Societatem ipsam spectant; si vero aliqua ecclesia a Societate canonice subtracta sit, et deinde canonice pariter restituta ad pristinum statum rediise minime ambigendum est.

Sed cum relate ad secundam quaesiti partem rescriptum fuisset, ut clarius exponeretur, id factum est hisce verbis: Ortum est dubium, utrum hae indulgentiae possint lucrari a fidelibus non solum in ecclesiis, quae propriae sunt Societatis, sed etiam in illis, quae Societati in usum tantum concessae sunt. Ad hanc speciem pertinent ex. gr. ecclesiae, quarum proprietas est quidem penes Episcopos locorum, earum vero usus stabilis et totalis concessus fuit Societati, et solent appellari ecclesiae Jesuitarum.

Pluries haec Sacra Congregatio resolutiones ediderat, quae ad propositum dubium aliquo modo referri possent. Et revera die 11 Januarii 1862 declaraverat, „omnes et singulas capellas publicas FF. Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncup. in Germania, Polonia, Hungaria etc. existentes gaudere, donec residentiam inibi praefati Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis ejusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas capellas Christifideles ad Sacrum audiendum, et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant. Etiam antea [1]) die nempe 27 Maji 1732 eadem haec Sacra Congregatio ad preces Procuratoris Generalis FF. Ord. Min. S. Francisci Capuc. nuncup. censuerat, ecclesias, capellas, et oratoria publica in residentiis et hospitiis missionum prae-

[1]) Vide num. 102 hujus Collectionis.

fati Ordinis gaudere indulgentiis generaliter concessis omnibus ecclesiis Ordinis ejusdem, dummodo tamen ecclesiae et oratoria sint publica et fixa, et ad quae confluant fideles ad Sacrum audiendum, et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta." In hisce autem casibus vel agebatur de ecclesiis et capellis propriis illorum Ordinum, vel quaestio respiciebat qualitatem dumtaxat capellarum atque ecclesiarum.

At vero aliter se res habuit, quando actum fuit de ecclesiis saecularium, in quibus per Religiosos divina officia seu Sacramenta administrabantur; tunc enim minime declaratum est, praedictas ecclesias indulgentiis gaudere, sed potius speciale indultum communicationis indulgentiarum concessum est. Ita inter cetera indultum fuit per Litteras Apostolicas datas die 25 Junii 1765, ut Christifideles aliquam ex ecclesiis saecularium visitantes, quae in Provinciis ultra montes a FF. Ord. Min. Capuc. administrantur, eas indulgentias consequantur, quas consequerentur, si aliquam ex ecclesiis Ordinis visitarent.

Non immerito igitur distinguendae erant ecclesiae, quae saltem quoad usum propriae Ordinis dici possunt, ab ecclesiis, in quibus Religiosi divina officia et Sacramenta tantum administrant, quin ullo modo propriae Ordinis dici possint, prout sunt ecclesiae arcium, stationum militum, et aliae hujusmodi, quibus aliqui Religiosi in spiritualibus inserviunt; cum priores quidem indulgentiis gaudeant, non vero secundae, nisi speciale Apostolicum indultum obtentum fuerit.

Rebus huc adductis, opportunum visum fuit in casu exquirere a Reverendissimo P. Praeposito Generali S. J., an circa propositum dubium aliquid addendum existimaret; qui reapse ad ceteras animadversiones addidit responsum sui Praedecessoris P. Vincentii Caraffa datum die 6 Maji 1647, quod sic se habet: „Quaestione hic super agitata, tandem judicatum fuit: templa aliena simpliciter concessa nostris usibus, adeo ut quoad usum censeri possint nostra, gaudere privilegiis et indulgentiis templorum Societatis, quamdiu in his tamquam suis exercet sua ministeria."

Quare tota quaestio in quatuor sequentia dubia distributa fuit, quae Sacrae Congregationi solvenda proposita fuere:

1° *An Christifideles indulgentias concessas a S. Sede visitantibus ecclesias Societatis Jesu lucrari possint visitando ecclesias, quae olim ad Societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt?*

2° *An quoad alias ecclesias, quae numquam proprie ad Societatem ipsam pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati legitime concredita est, ut ibidem obeat sui ordinis ministeria, approbandum sit responsum datum a P. Vincentio Caraffa die 6 Maji 1647?*

Et quatenus Affirmative,

3° *Quasnam conditiones habere debeat concessio usus, ut ecclesiae concreditae quoad usum ipsum censeri possint nostrae, nempe ipsius Societatis?*

Et quatenus Negative,

4° *Quomodo secundo dubio respondendum sit?*

Itaque EE. PP. in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas Ædes die 20 Julii 1868, auditis Consultorum votis, et rebus mature perpensis, rescribi mandarunt:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Affirmative dummodo penes ecclesias, de quibus agitur, PP. Soc. Jesu resideant, et ministeria propria inibi obeant.*

Ad 3m: *Concessionem usus debere esse legitimam, et usum constantem ac plenum, et dummodo hujusmodi ecclesiae sint publicae.*

Ad 4m: *Provisum in secundo.*

Facta denique de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX relatione ab infrascripto Cardinali Praefecto in Audientia diei 18 Augusti ejusdem anni, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit et confirmavit.

A. Card. Bizzarri Praef.

A. Colombo Secret.

425.

1869 10 Julii. Dubia circa jubilaeum.

Editis Litteris Apostolicis in forma Brevis die 11 Aprilis 1869, quibus SSmus D. N. Pius PP. IX omnibus Christifidelibus indulgentiam plenariam in forma jubilaei occasione oecumenici Concilii concessit, huic Sacrae Congregationi In-

dulgentiarum, et Sacrarum Reliquiarum infrascripta proposita sunt dubia, praesertim circa jejunia, quae Christifideles servare debent, ut indulgentiam hujus jubilaei lucrari valeant:

1° *Inconcussi juris est, operibus alias praeceptis satisfieri non posse obligationi de operibus injunctis ad acquirendas indulgentias, nisi aliud constet expresse de mente Concedentis; nihilominus pro hoc jubilaeo oritur dubium, quia in Litteris Apostolicis legitur: „praeter consueta quatuor anni tempora, tribus diebus etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria, et sabbato jejunaverint.“ Quaeritur, an standum sit regulae generali, ita ut ad effectum lucrandi indulgentiam omnes dies jejunii, ad quod quisque tenetur, vel dies jejunii quatuor anni temporum dumtaxat excludantur?*

2° *An jejunia quatuor anni temporum, attenta voce illa* praeter, *ultra tria jejunia pro jubilaeo expresse praescripta, habenda sint uti opus injunctum ad indulgentiam acquirendam?*

3° *An iis, qui aut voto, aut praecepto, uti sunt Franciscales, aut quocumque alio titulo tenentur toto anni tempore jejunare aliquo die ex diebus praescriptis pro jubilaeo, suffragetur tale jejunium ad lucrandam indulgentiam?*

4° *Cum Religiosi S. Francisci teneantur jejunare a secunda die Novembris usque ad Nativitatem Domini, quaeritur, utrum, hoc decurrente tempore, ipsi possint unico jejunio tribus praescriptis diebus facto, satisfacere duplici obligationi tum praecepti, tum jubilaei?*

5° *An idem dicendum sit pro Quadragesima Ecclesiae etiam quoad Christifideles?*

6° *Utrum jejunia pro jubilaeo praescripta debeant esse* jejunia stricte sumpta, *etiam quoad qualitatem ciborum, sicuti ea, quae ex Ecclesiae praecepto adimplenda sunt, quin tamen quis uti possit indultis, si quae pro jejuniis Ecclesiae obtenta fuerint?*

7° *Si quis indultum vescendi carnibus etiam pro jejuniis jubilaei consequatur, teneturne lege de non permiscendis epulis, nempe carnibus cum piscibus?*

8° *An ii, qui ad statutam aetatem pro jejunii obligatione nondum pervenerint, necnon operarii, aliique, qui ob legitimam*

causam ad jejunia ab Ecclesia praecepta non tenentur, debeant jejunare, ut indulgentiam jubilaei lucrentur?

9° *In Litteris Apostolicis legitur:* tribus diebus etiam non continuis. *Quaeritur an in hoc jubilaeo, ob dicta verba, singuli dies jejunii in diversas hebdomadas dividi possint?*

10° *Attenta clausula* hac vice tantum *quaeritur, an qui in censuras et casus reservatos inciderit, una tantum vice absolvi possit, prout edixit Bened. XIV in Constit.* Inter graviores, *vel potius in hoc jubilaeo toties quoties in censuras, et casus reservatos incurrerit, absolvi possit?*

11° *An qui privilegio Bullae Cruciatae gaudet, hoc tantum titulo, sine alia causa, in jejuniis jubilaei carnibus vesci possit?*

12° *An saltem vesci valeat ovis, et lacticiniis?*

Quibus sedulo perpensis Sacra Congregatio, benigne annuente SSmo D. N., die 10 Julii 1869 respondendum esse censuit:

Ad 1m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Affirmative.*

Ad 4m: *Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, dummodo esurialibus tantum cibis pro dictis tribus jubilaei jejuniis utantur, quamvis fortasse ab usu ciborum esurialium dispensationem pro dicta Quadragesima obtinuerint.*

Ad 5m: *Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ut in responsione ad quartum dubium et cum eadem conditione in ea apposita.*

Ad 6m: *Affirmative, nisi aliquod speciale indultum, in quo etiam de jubilaei jejunio expressa mentio fiat, obtineatur.*

Ad 7m: *Affirmative.*

Ad 8m: *Affirmative. Quod si judicio confessarii id praestare nequiverint, confessarius ipse poterit jejunium in alia pia opera commutare.*

Ad 9m: *In hoc jubilaeo Affirmative.*

Ad 10m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 11m et 12m: *Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ut ii, qui privilegio Bullae Cruciatae legitime fruuntur,*

tantum ovis et lacticiniis in jejuniis pro hoc jubilaeo praescriptis uti possint, servata in ceteris jejunii ecclesiastici forma.

A. Card. **Bizzarri** Praef.
Dominicus Sarra Substit.

426.

1870 6 Octobris. Confessio et Communio quando peragendae.

Urbis et Orbis. Inter ceteras conditiones, quae in adimplendis operibus injunctis pro acquisitione indulgentiarum servari debent, ea est, ut eadem fiant intra tempus in concessionibus praefinitum. Ut vero Christifideles facilius ad eas lucrandas excitarentur, pluries haec Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, approbantibus Summis Pontificibus, quoad praescriptam Confessionem et Communionem vel benigna interpretatione, vel indultis hac in re providendum existimavit.

Hinc per decretum diei 19 Maji 1759 statuit *Confessionem suffragari, si expleatur etiam in pervigilio festivitatis, pro qua concessa est indulgentia;* et item per decretum diei 12 Junii 1822 declaravit *Communionem peragi posse in vigilia festivitatis.*

Etsi vero haec indulta nullum dubitandi locum relinquerent circa eas indulgentias, quae pro festivitatibus proprie dictis conceduntur, incipientibus nempe a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi, ita ut liberum sit fideli, vel in vigilia vel in ipso die festo confiteri, et sacra synaxi refici, plures tamen exinde dubitationes obortae fuerunt, an idem dicendum foret de aliis indulgentiis spatio unius diei lucrandis, et ab initio diei naturalis incipientibus, quae videlicet concederentur non ratione festivitatis occurrentis, sed alia qualibet ex causa, quemadmodum usuvenire solet pro sextis feriis mensis Martii, diebus Dominicis festum S. Aloisii praecedentibus, Oratione quadraginta horarum aliisque casibus similibus quibuscumque.

Itaque SSmus D. N. Pius PP. IX in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto ejusdem Sacrae Congregationis die 6 Octobris 1870 ad removendam omnem dubitandi rationem et ad commodius reddendum Confessionis et

Communionis adimplementum, benigne declarari et decerni mandavit, prout hoc decreto declaratur atque decernitur: *tum Confessionem dumtaxat, tum Confessionem et Communionem peragi posse die, qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuerit indulgentia quaelibet non solum ratione festivitatis occurrentis juxta allata decreta, verum etiam quacumque alia ex causa, vel devotionis, vel pii exercitii, aut solemnitatis, uti esset pro memoratis, et ceteris hujusmodi diebus, pro quibus indulgentia cum conditione Confessionis et Communionis concessa jam fuerit, vel in posterum concedatur, licet tempus ad eam acquirendam ab initio diei naturalis, et non a primis Vesperis sit computandum, servata tamen in adimplendis aliis operibus injunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum.* Voluitque Sanctitas Sua nihil innovatum censeri quoad decretum diei 9 Decembris 1763 favore Christifidelium, qui laudabili consuetudine utuntur confitendi semel saltem in hebdomada, cum privilegiis, conditionibus et restrictivis ibidem recensitis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae die 6 Octobris 1870.

A. Card. Bizzarri Praef.
A. Colombo Secret.

427.

1870 17 Decembris. De sensu clausulae „Corde saltem contrito“.

Urbis et Orbis. Juxta Apostolicae Sedis praxim in plenariae indulgentiae concessionibus apponitur clausula: *Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti etc.* Haec clausula juxta declarationem alias datam exprimit conditionem, ita ut Confessio inter opera injuncta recensenda sit, et nemo indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari possit, nisi sacramentalem Confessionem faciat, et cetera injuncta opera adimpleat.

Jam vero in indultis, quibus partiales indulgentiae conceduntur, nulla mentio fit de sacramentali Confessione, sed adhibetur clausula: *corde saltem contrito.* Hinc apud nonnullos quaestio orta est:

An praescripta contritio requiratur dumtaxat uti mera dispositio, nempe ut, quatenus aliquis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cujusvis indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias assequendi: vel potius clausula illa corde saltem contrito *inducat veram conditionem, scilicet tamquam pars operis injuncti contritio ipsa habenda sit, ita ut ad indulgentiam lucrandam etiam ab iis actus contritionis emittendus sit, qui in statu gratiae et caritatis reperiuntur?*

Ut hac in re Christifideles tutam regulam habeant, Sacra Congregatio suprascriptum dubium solvere non dedignetur.

Sac. Congregatio, re sedulo diligenterque perpensa, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet:

Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam.

Et facta relatione SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia habita a me infrascripto Cardinale Praefecto die 17 Dec. 1870, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit.

A. Card. Bizzarri Praef.
A. Colombo Secret.

428.

1871 26 Januarii. **De facultate benedicendi et imponendi scapulare Christifidelibus eosque adscribendi Confraternitatibus.**

Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide soleat aliquando concedere Missionariis facultatem benedicendi et imponendi Christifidelibus scapularia, nonnulla oborta sunt dubia, quae dictae Sacrae Congregationi ab Episcopis et Missionariis proposita, et ab eadem ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum transmissa fuerunt, nempe:

1° *Utrum sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi scapularia, habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christifidelibus, et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. Sede approbatis?*

2° *Utrum necessaria sit praevia erectio canonica talium Confraternitatum ex parte Ordinarii loci, ut, qui habent a S. Sede*

facultatem adscribendi dictis Confraternitatibus, possint Christifideles eisdem adscribere?

Quibus vigore specialium facultatum a SSmo D. N. Pio PP. IX tributarum Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, re sedulo diligenterque perpensa, die 26 Januarii 1871 respondendum censuit, prout respondet:

Ad 1m: *Affirmative, ita tamen, ut sacerdotes, qui praedictum indultum benedicendi scapularia ab Apostolica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in Album ipsius Sodalitatis referantur.*

Ad 2m: *Detur instructio prout sequitur:*

Ex piis Sodalitiis quaedam sunt ab Apostolica Sede ita approbata, ut Christifideles ubique locorum eisdem ab iis, qui legitimam facultatem habent, possint adscribi, licet in eorumdem Christifidelium respectivis dioecesibus peculiariter erecta non reperiantur, ut ex gr. sunt Confraternitates Scapularis B. M. V. Montis Carmeli, Rosarii, Septem Dolorum; ac propterea quoad ista Sodalitia nulla requiritur in dioecesi praevia Episcopi erectio.

Quod si agatur de Confraternitate approbata a S. Sede pro determinato aliquo tantum territorio, non requiritur praevia erectio Episcopi, sed Sacerdos habens apostolicam facultatem adscribendi, non potest ea uti, nisi in eodem territorio, quo circumscribitur ipsa pia Sodalitas.

Pariter non requiritur praevia erectio Episcopi, si pium Sodalitium legitime erectum reperiatur in dioecesi a Superioribus Regularibus, qui ad hoc speciale privilegium ex Apostolicae Sedis concessione habent, dummodo in erectione conditiones in Constit. Clementis VIII incip. *Quaecumque* servaverint.

Quibus positis apparet, eos, qui, ut supra, a S. Sede facultatem obtinuerint benedicendi scapularia, eaque imponendi, et Christifideles adscribendi, posse dicta facultate uti dumtaxat quoad Confraternitates scapulare habentes et canonice erectas, prout superius explicatum est, et si in indulto apposita sit clausula *de consensu, vel licentia Ordinarii,*

illa cum aliis conditionibus a jure praescriptis omnino servanda erit.

Ut autem qui praedictam facultatem habent, satis instructi sint in benedicendis et imponendis scapularibus, communicentur Resolutiones hujus Sacrae Congregationis in Urbis et Cameracen. diei 18 Augusti 1868.

A. Card. Bizzarri Praef.
A. Colombo Secret.

429.

1871 14 Maji. Via Crucis.

Urbis et Orbis. Salutare Viae Crucis, seu Calvarii exercitium summopere conducit ad recolendam memoriam Passionis D. N. J. C., qui ob nimiam charitatem, qua nos dilexit, opprobria passus et vulneribus affectus, ut a servitute peccati humanum genus redimeret, pretiosum suum Sanguinem effudit, et ligno crucis affixus se obtulit holocaustum pro peccatis. Quapropter Summi Pontifices, ut fideles Christo in carne passo cogitatione passionis ejus saepe saepius unirentur, pium Viae Crucis, seu Calvarii exercitium non modo commendarunt, sed etiam reserato Ecclesiae thesauro indulgentiis illud auxerunt.

Verum stationes Viae Crucis juxta primaevas concessiones erigi tantum poterant in ecclesiis, piisque locis Ordini Minorum Observantium subjectis, atque indulgentiis fruebantur personae, quae eidem Ordini erant addictae. Tractu tamen temporis ad omnes Christifideles, qui in ecclesiis piisque locis praedicti Ordinis tam sanctae devotioni vacarent, indulgentiarum concessio extensa fuit, et deinde praesertim Benedictus XIV s. m. Apostolicis Litteris in forma Brevis incipien: *Cum tanta* die 30 Augusti 1741 evulgatis concessit, ut etiam in aliis ecclesiis memorato Ordini non subjectis stationum erectio fieri posset cum aliqua tamen limitatione, quam per Rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 10 Maji 1742 clarius declaravit. Idem namque Pontifex inter monita ad rite peragendum pium exercitium Viae Crucis jussu Clementis XII

exarata, et ab ipso confirmata inseri voluit hanc declarationem sub num. X hisce verbis: „Si eccettuano però quei luoghi dove si trovano i Conventi dei Frati Minori suddetti, non dovendosi in tal caso erigere la Via Crucis in altre chiese non soggette al medesimo Ordine: seppure detti Conventi non fossero situati in tanta lontananza dalla terra o città, ovvero la strada che ad essi conduce, fosse si malagevole, che senza grave incommodo, da giudicarsi tale dall' Ordinario, non potesse frequentarsi dal popolo il santo esercizio.[1])

Nuper vero SSmo D. N. Pio PP. IX humillimis precibus expositum fuit, valde optandum esse, ut tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi divina humanaque omnia pessumdare conantur, pia Viae Crucis exercitatio magis magisque promoveatur, ac illius stationum erectio, sublata limitatione enuntiata, ubique in ecclesiis piisque locis fieri possit. Sanctitas Sua animadvertens summam esse vim meditationis Passionis et mortis Redemptoris nostri ad confirmandam in animis fidem, ad curanda conscientiae vulnera, ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam, in Audientia habita die 14 Maji 1871 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae memoratas preces benigne excipiens Apostolica auctoritate indulsit, ut stationes Viae Crucis cum adnexis indulgentiis etiam in locis, ubi Conventus praefati Ordinis Minorum, sive Observantium, sive Reformatorum, sive Recollectorum existunt, quamvis in ejusdem Ordinis ecclesiis, sacris aediculis, piisque locis erectae reperiantur, nulla habita superius expressae limitationis, ac distantiae ratione, servatis tamen aliis de jure servandis erigi possint et valeant. Ceterum Sanctitas Sua per praesens decretum minime intendit derogare privativae facultati, quam idem Ordo in peragenda erectione stationum Viae Crucis habet, nec specialibus indultis hac super re aliis per-

[1]) „Exceptis tamen locis, ubi reperiuntur Conventus praedictorum Fratrum Minorum, cum hoc in casu non debeat erigi Via Crucis in aliis ecclesiis eidem Ordini minime subjectis, dummodo tamen dicti Conventus non ita distent ab oppido vel civitate, aut ad eos iter ita sit arduum, ut sine gravi incommodo, ab Ordinario dijudicando, percurri nequeat a fidelibus pro pio exercitio peragendo."

sonis ob peculiaria rerum ac locorum adjuncta ab Apostolica Sede concessis, quarum tenor ac forma in omnibus servanda erit.

Non obstantibus contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis, quibus Sanctitas Sua in omnibus perinde ac si de singulis expressa mentio facta fuerit, plene derogavit.

Datum Romae die 14 Maji 1871.

A. Card. **Bizzarri** Praef.
A. Colombo Secret.

430.

1872 16 Junii. **Idem, qui benedicit, debet imponere scapularia.**

Beatissime Pater! Cum spiritualia exercitia a fidelibus laicis peragerentur in pia domo specialiter ad hoc destinata in dioecesi N. sub ductu presbyterorum Missionariorum Societatis N., plurimis imposita sunt scapularia tum B. V. M. de Monte Carmelo, tum immaculatae Conceptionis ejusdem Virginis Deiparae. Urgente vero quadam temporis angustia, ita se res habuit: Alter ex praefatis Missionariis scapularia e suggestu benedixit; tum ibidem consistens impositionis verba proferebat, dum alter Missionarius, debita et ipse facultate pollens, sacrum scapulare singulis fidelibus imponebat. Postmodum autem dubitari coepit de validitate hujusmodi impositionis; quare humillime supplicatur, ut Sanctitas Vestra declarare dignetur num valida sit necne; et quatenus Negative, ut eamdem benigne sanare velit, ita ut fideles, qui utraque laudata scapularia, vel alterutrum descripto ritu acceperunt, indulgentiis aliisque privilegiis fruantur, iis, qui eadem scapularia legitime acceperint, concessis. Perdifficile quippe foret, quin potius impossibile, praefatos fideles, alios alibi degentes, de nullitate monere, et sacro habitu iterum induere. Pro qua gratia et.

SSmus D. N. Pius PP. IX, in Audientia habita ab infrascripto Cardinale Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum die 16 Junii 1872, impositiones scapularium, prout in precibus, quoad praeteritum peractas, dummodo eorumdem scapularium benedictio rite

facta fuerit, benigne sanavit. Ceterum in impositionibus in futurum peragendis ab eodem sacerdote scapularia imponantur, a quo ipsa scapularia benedicuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

A. Card. **Bizzarri** Praef.
Pro R. P. D. Secret.
Dominicus **Sarra** Substit.

431.

1877 25 Februarii. Rosarium.

Cameracen. Sacerdos Lefebure, rector parochiae de Templemare, Archidioecesis Cameracensis in Gallia, proposuit Sacrae Congregationi sequentia dubia. Exponitur quod in decretis authenticis Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1861 collectis legitur decretum subsequens sub numero 248. „Urbis et Orbis. SSmus D. N. Clemens PP. XIII benigne concessit, ut confratres et consorores cujuscumque Confraternitatis seu Sodalitii aut Congregationis ubique locorum existentis, dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti, eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possint et valeant, ita tamen ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera injuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exsequantur. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces cujuscumque Sodalitii, Confraternitatis seu Congregationis concedi absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die Audientiae SSmi 2 Augusti 1760."

Ex verbis hujus decreti quaeritur:

1° *Utrum confratres et consorores cujuscumque Confraternitatis tunc existentis facultate in praefato decreto concessa gaudere possint et valeant, sine recursu ad S. Sedem, vel ad hoc dictus recursus sit necessarius ex verbis sequentibus dicti decreti: Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam .... ad preces cujuscumque Sodalitii concedi?*

Et quatenus Affirmative ad primam partem dubii primi,

2° *Utrum confratres et consorores Sodalitatis SS. Rosarii ex speciali S. Sedis facultate, post decretum praefatum, ab Ordinario loci erectae cum participatione omnium ac singularum indulgentiarum ac aliarum gratiarum spiritualium, quibus ditata est Archiconfraternitas hujusmodi Romae erecta ante dictum decretum, gaudere possint et valeant facultate in hoc decreto concessa?*

3° *Utrum recitatio Rosarii integri in qualibet hebdomada requiratur ad consequendas indulgentias Archiconfraternitati Romae erectae concessas tam pro dicti Rosarii recitatione, quam pro aliis operibus, ita ut omissio Rosarii integri in hebdomada officiat consecutioni indulgentiarum pro aliis quibuslibet operibus piis concessarum nempe: pro Communione in ecclesia Confraternitatis in prima Dominica cujuslibet mensis, pro comitatu processionis SS. Rosarii tam in praefata Dominica, quam in septem festis B. M. V. pro visitatione capellae seu altaris B. M. V. in Dominica prima cujuslibet mensis, in quinque praecipuis festis B. M. V. ac aliis diebus et ceteris similibus piis operibus? Vel recitatio Rosarii integri in hebdomada requiratur tantum ad assequendas indulgentias recitationi Rosarii adnexas, (minime vero ad lucrandas indulgentias pro aliis piis operibus concessas)?*

4° *Quid intelligendum est per verba subsequentia (caput VII integrum) quae leguntur sub fine num. 2 cap. IX catalogi indulgentiarum SS. Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX confirmatarum? an per praefata verba implicite confirmentur vel implicite excludantur a confirmatione aliae indulgentiae contentae in cap. VII Summarii indulgentiarum SS. Rosarii ab Innocentio confirmatarum in suo Brevi* Nuper pro parte, *quae non expresse recensentur in catalogo indulgentiarum a Sanctitate Sua Pio IX anno 1862 adprobato?*

5° *Quid intelligendum est per verba sequentia:* Confratres servientes, *quae leguntur in num. 1 cap. X catalogi indulgentiarum SS. Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX adprobati anni 1862, an per haec verba intelligantur confratres tam militantes quam servituti addicti, imo et famuli?*

6° *Quid intelligitur per verbum Rosarium recitandum ante devotam imaginem pro consecutione indulgentiae plenariae confirmatae sub num. 3 cap. X catalogi indulgentiarum SS. Rosarii a*

Sanctitate Sua Pio IX adprobati anno 1862? an Rosarium integrum vel ejus tertia pars?

7° *Utrum in forma, ut vocant absolutionis, seu modo impertiendae indulgentiae confratribus SS. Rosarii in articulo mortis dicendum est: et per indulgentiam plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII confratribus SS. Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, ut legitur in capite XII Summarii indulgentiarum SS. Rosarii ab Innocentio XI adprobati in suo Brevi* Nuper pro parte *vel dicendum est: et per indulgentiam plenariam a Summis Pontificibus Innocentio VIII et Pio V confratribus SS. Rosarii in articulo mortis concessam ut legitur in libellis manualibus SS. Rosarii?*

8° *Utrum praeter festa mysteriorum SS. Rosarii, quae sequuntur videlicet: Annuntiationem B. M. V., ejusdem Visitationem, Nativitatem Domini, Purificationem B. M. V., in quibus recoluntur quatuor prima mysteria Rosarii, Resurrectionem Domini, ejusdem Ascensionem, Pentecostem et Assumptionem B. M. V., in quibus recoluntur undecimum, duodecimum, tertium decimum et quartum decimum mysterium, etiam ut festa mysteriorum SS. Rosarii habenda sint omnia festa subsequentia, quae reperiuntur in libellis manualibus SS. Rosarii, scilicet:* 1° *Dominica infra octavam Epiphaniae Domini, in qua recolitur quintum mysterium; feria quarta majoris hebdomadae, in qua recolitur sextum mysterium; feria sexta ejusdem hebdomadae, in qua recolitur septimum mysterium, festum S. Coronae spineae indultum pro dioecesi oratoris ac fixum feria sexta post Cineres, in quo recoliter octavum mysterium; Inventio S. Crucis, in quo recolitur nonum mysterium; Exaltatio S. Crucis, in quo recolitur decimum mysterium; festum Omnium Sanctorum, in quo recolitur quintum decimum mysterium.* 2° *Quatenus quaedam ex praefatis festis habenda sint ut festa mysteriorum SS. Rosarii quaenam sunt festa ista?*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita partim in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas Ædes die 8 Maji 1874, partim in particularibus die 12 Febr. 1877, audito prius Consultoris voto, ad praefata dubia respondendum esse censuit ut infra:

Ad 1m: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et ad mentem; et mens est, supplicandum SSmo, ut per decretum*

generale extendatur ad omnes confratres cujuscumque Confraternitatis, aut Sodalitii indultum lucrandi singulas indulgentias, exercendo opera, quae pro viribus peragere poterunt.

Ad 2^m^: *Provisum in primo.*

Ad 3^m^: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad 4^m^: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 5^m^: *Affirmative, et extenditur ad milites actu servientes.*

Ad 6^m^: *Intelligitur tertia pars.*

Ad 7^m^: *Utraque forma est legitima.*

Ad 8^m^: *Ad primam partem Negative; ad secundam dumtaxat festum Omnium Sanctorum pro decimo quinto mysterio, et festum B. M. V. feria sexta post Dominicam Passionis pro decimo mysterio, facto verbo cum SSmo.*

De quibus facta relatione per me infrascriptum Cardinalem Praefectum SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia diei 25 Februarii 1877, Sanctitas Sua petitas gratias benigne concessit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
Dominicus **Sarra** Substit.

432.

1877 14 Aprilis. **Reliquiae.**

Abellinen. In inferiori Basilica praecipui templi Atripaldae, oppidi dioecesis Abellini, plura condi Martyrum corpora in Diocletiani persecutione caesorum tum historia ac traditio, tum inscriptiones et locus ipse *specus Martyrum* ab antiquissimis temporibus vocitatus testabatur. Anno 1629 et sequentibus usque ad annum 1634 tredecim ex iis corporibus effossa (inter quae eminet corpus S. Hypolisti) rite recognita, supplicatione solemni delata et sub altari in urnis recondita publicae venerationi exposita fuere; alia vero corpora licet vix detecta non tamen loco amota fuerunt nec effossa, ceu fuse referunt Bollandistae.

Vertente anno 1856 cum praedicto altari reficiendo cives Atripaldenses operam darent, septem alia ex istis corporibus reperta fuerunt, diligenter effossa et caute ac decenter in

capsa reposita, accedente Episcopo, qui propterea ad hanc Sac. Congregationem Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositam acta processualia transmisit, postulans, ut de eorum corporum identitate et authenticitate decerneretur.

Cum vero Sacra Congregatio in generalibus comitiis, re maturo examine discussa, respondisset: *coadjuvandas esse probationes;* iis allatis, quaestio iterum proposita fuit sub sequentibus dubiis:

1° *An constet inventa corpora esse vere Martyrum, ita ut publico cultui exponi possint?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An danda sint Martyribus ipsis specialia nomina?*

3° *An pro concessione Officii res ad Sac. Rituum Congregationem remittenda sit?*

Itaque EE. PP. in Congregatione particulari habita die 12 Februarii 1877, visis et exploratis documentis, ac potissimum noviter deductis rationibus ex inspectione sepulchrorum per viros in sacra archaeologia peritissimos, rebusque mature perpensis, respondendum duxerunt:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Juxta modum: modus est ut inventa corpora dicantur esse Hypolisti, Crescentii et sociorum Martyrum.*

Ad 3m: *Recurrant ad Sacrorum Rituum Congregationem.*

Et facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione, in Audientia diei 14 Apr. ejusdem anni, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbavit et ratum habuit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

433.

1878 12 Januarii. **De accessione et accumulatione indulgentiarum.**

Quiten. Romani Pontifices in concedendis indulgentiis moderamen semper consueverunt observare, ne *per indiscretas et superfluas indulgentias et claves Ecclesiae contemnantur et poenitentiae satisfactio enervetur* (cap. Cum ex eo 14 de poenit. et remiss.). Eodemque consilio ducti haud unquam

omisere, indulgentias, quas moderaminis fines excessisse perspexerunt intra eosdem cohibere. Sacrosancta item Tridentina Synodus (sess. 25 decret. de indulg.) veteri et probatae Ecclesiae consuetudini inhaerens, moderationem in indulgentiarum concessione enixe inculcat, *ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.* Abusus vero, qui in indulgentias irrepserint, *emendatos et correptos cupiens,* Episcopis mandat, ut eos Ecclesiae suae diligenter quisque colligat, et ad *Summum Romanum Pontificem* deferat, *cujus auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur.* Quae auctoritas a Romanis Pontificibus per Sacram Indulgentiarum Congregationem post ipsius institutionem solet exerceri.

Quare varii abusus, quos in nonnullis regionibus adversus adeo salutarem Ecclesiae disciplinam inolevisse compertum est, propositi fuerunt in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1877 sub forma sequentium dubiorum:

1° *Potestne Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis sive eidem pio Sodalitio, cui a Romano Pontifice jam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias indulgentias adjungere? Potestne crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias?*

2° *Potestne Episcopus fidelibus dioecesis non suae indulgentias concedere si Ordinarius loci consentit? potestne tolerari hujusmodi praxis, si nihil aliud intenditur, nisi ut per majorem numerum Praelatorum indulgentias concedentium summa dierum indulgentiarum eidem actui devoto adnexarum multiplicetur?*

3° *Potestne Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare?*

4° *Potestne Episcopus in partibus infidelium, quamvis auxiliarius Ordinarii alicujus dioecesis, indulgentiam quadraginta dierum concedere sicut dioecesanus?*

5° *Potestne Episcopus, quin limites sui juris excedat, ad augendas indulgentias eumdem actum pietatis in partes dividere et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies indulgentiarum concedere?*

6° *Potestne Delegatus Apostolicus, virtute facultatum, quas a Summo Pontifice accepit, in concedendis indulgentiis concurrere cum uno vel altero Episcopo territorii delegationis suae, ut idem objectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet?*

7° *Praelati, quibus privilegio Apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debentne hac facultate uti per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit, an vero possunt unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentium aut in perpetuum?*

Sac. Congregatio respondendum duxit ut infra:

Ad 1m: *Negative, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur.*

Ad 2m: *Negative ad utrumque.*

Ad 3m: *Negative.*

Ad 4m: *Negative.*

Ad 5m: *Negative.*

Ad 6m: *Consultius, ut se abstineat.*

Ad 7m: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Facta autem per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia habita die 12 Januarii 1878, Sanctitas Sua praedictas responsiones probavit et publicari mandavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

434.

1878 12 Januarii. Varia dubia.

Geneven. Episcopus Hebron. et Vicarius Apostolicus Genevensis infrascripta dubia ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam transmisit:

1m: *Utrum, nisi aliud expresse habeatur in indultis, indulgentiae lucrandae incipiant a media nocte, an vero a primis Vesperis.*

2m: *Utrum, si quis utens recenti privilegio Confessionem et Communionem pridie ejus diei peragat, cui affixa est indul-*



gentia, etiam reliqua opera praescripta pridie fieri, adeoque pridie etiam indulgentia lucrifieri possit?

3m: *Utrum, si eidem pio operi, quod a fidelibus iterari non potest, variis titulis indulgentiae adnexae sunt, possint omnes lucrifieri?*

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1877, auditis Consultorum votis rebusque mature perpensis, responderunt:

Ad 1m: *A media nocte ad mediam noctem.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Affirmative, dummodo opera injuncta vere iterari nequeant, vel non soleant, sicuti confessio, nisi sit aliunde necessaria.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 12 Januarii 1878, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

435.

1878 12 Januarii. **De translatione festivitatum et indulgentiarum.**

Januen. Quamvis circa translationem indulgentiarum pro casibus translationis festorum, quibus tributa fuit indulgentia lucranda ab illis, qui in decursu diei festi ecclesiam visitaverint, jam a Sacra Congregatione Indulgentiarum responsa et decreta prodierint, quae certam normam praebent, tamen pro variis circumstantiis quaedam dubia adhuc supersunt.

Certum est, quod translato tantum festo per accidens, idest quoad Officium et Missam infra annum non transfertur indulgentia festivitati adnexa, utpote constat ex decreto S. R. C. diei 16 Septembris 1741 per responsum „*translato festo unice quoad Officium, non transfertur indulgentia tali festo concessa*“; idque recentius confirmatum et praesertim sancitum fuit per decretum Urbis et Orbis sub die 9 Augusti 1852.

Pariter certum est, quod cum transfertur festum quoad solemnitatem et exteriorem publicam celebrationem, transfertur et indulgentia eidem festo concessa, etiamsi non transferatur Officium cum Missa, ut patet ex praedicto decreto diei 9 Augusti 1852 et ex responsione S. Congregationis Indulgentiarum 18 Septembris 1862.

Sed non constat de decisione quoad transferendam indulgentiam simul cum festo, quando festum, cui adnexa est indulgentia, transferri debet in perpetuum et assignari fixe ad aliam diem: utrum nempe translato festo in perpetuum simul transferatur indulgentia, etsi festum celebretur sine solemnitate et sine externa publica functione? Insuper dubium est circa diem, quo attributa sit indulgentia in diversis provinciis et coenobiis, quando festum ob occurrentiam alterius festi altioris ritus, vel majoris dignitatis sit assignatum vel assignandum ad varias distinctas dies.

Cum autem indulgentiae plenariae festis tributae in Kalendariis Capucinorum adnotari soleant, et consuetudo sit eas adscribendi tantum unicuique diei, quo festum assignatum est, pro provincia, nulla facta exceptione quoad illos Conventus, qui festum habent assignatum, et perpetuo celebrant alia die, P. Clementinus ab Ulmeta, provinciae Januensis, Capucinorum alumnus et Kalendarii extensor, ut certior factus in adnotandis indulgentiis in Kalendario ab erroris periculo se eximere valeat, de licentia sui Superioris Provincialis subsequentia dubia Sacrae Congregationi Indulgentiarum humillime exponit et supplicibus precibus eorumdem solutionem petit:

1° *Utrum translato festo in perpetuum et perpetuo ad aliam diem sive ex speciali decreto S. R. C. sive ex praescripto rubricarum assignato, simul ad eamdem diem iterum festo assignatam transferatur indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione?*

Et quatenus Affirmative,

2° *Utrum eadem translatio indulgentiae fiat tam in casu, quo translatio perpetua festi sit pro toto Ordine, quam in casu perpetuae translationis festi pro sola regulari provincia?*

3° *Cum festum assignatum est ad quamdam diem pro provincia et in aliqua dioecesi, vel in aliquo coenobio ob occurrentiam alterius festi praeferendi translatum sit et perpetuo assignatum ad aliam diem, utrum indulgentia festo tributa adscribenda sit pro singulis coenobiis ad diem, quo unumquodque festum celebrat, vel potius sit retinenda tanquam lucrabilis in omnibus coenobiis eadem die assignata pro provincia, dummodo tamen exceptio non sit facienda ratione solemnitatis vel externae publicae celebrationis?*

4° *Quando aliquod festum ex novo indulto Kalendario adjungendum, eo quod impediatur die propria ad sequentem primam diem liberam transferri et assignari debet, si ei concessa sit indulgentia, utrum haec adscribenda sit diei, quo festum assignatur fixe in provincia, et quoad omnia provinciae coenobia, quamvis non in omnibus festum eadem die locum habeat?*

5° *Utrum indulgentiae tributae alicui festo pro universis fidelibus cum conditione visitandi ecclesias determinatas Regularium, lucrari possint ab omnibus Christifidelibus etiamsi ejusdem festi celebratio cum indulgentia alia die in dioecesi locum habeat?*

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1877, auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, responderunt:

Ad 1^m et 2^m: *Affirmative.*

Ad 3^m, 4^m et 5^m: *Affirmative juxta modum, nempe indulgentia semel tantum a singulis respective lucrari potest.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 12 Jan. 1878, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

436.

1878 12 Januarii. **De indulgentia pro qualibet oratione coram imagine SS. Cordis Jesu publicae venerationi exposita.**

Parisien. Summus Pontifex Pius VI per Rescriptum datum Florentiae die 2 Januarii 1792 concessit indulgen-

tiam septem annorum totidemque Quadragenarum Christifidelibus, qui cum debitis dispositionibus, *templum, oratorium, seu altare, ubi sacra Cordis D. N. J. Ch. imago publicae venerationi decenti forma, quae convenit, ut moris est, exposita habeatur, pie visitaverint, necnon per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae Deum oraverint.*

Hinc Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae infrascriptum dubium fuit propositum:

Utrum Redemptoris imaginibus, in quibus SSmi Cordis imago extrinsecus non appareat, applicari possit concessio indulgentiae a s. m. Pio VI facta pro qualibet oratione, quae fiat coram imagine aliqua SSmi Cordis Jesu publicae venerationi exposita?

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1877 auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, responderunt:

Negative.

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 12 Jan. 1878, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

437.

1878 13 Aprilis. Absentes ne adscribantur Confraternitatibus.

Urbis et Orbis. Cum in nonnullis ex piis Sodalitiis, (hisce potissimum temporibus institutis) inter sodales adscribendi etiam absentes consuetudo inoleverit, quae reprobata jamdiu fuerat ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, praesertim in *Americana novi Regni Hispanici* die 28 Aprilis 1761, relatione de hoc facta SSmo D. N. Leoni Papae XIII per me infrascriptum Secretarium dictae Sacrae Congregationis in Audientia habita die 13 Aprilis 1878, SSmus, praevia sanatione omnium adscriptionum hactenus haud rite factarum, mandavit, ut in posterum serventur, atque ad observantiam revocentur resolu-

tiones praefato anno 1761 editae, quas ad istiusmodi effectum una cum praesenti decreto evulgari jussit. [1])

Datum Romae die 13 Aprilis 1878.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.

A. **Panici** Secret.

438.

1878 23 Novembris. De facultate Vicarii Capitularis quoad Confraternitates.

Congregationis Pretiosissimi Sanguinis. Cum in Aurelianen. diei 18 Augusti 1868 ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaratum fuerit, Vicarios Generales in erigendis Confraternitatibus, earumdem statutis approbandis, ac litteris testimonialibus pro ipsarum aggregatione concedendis juxta Clementis VIII Constitutionem, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica,* haud pollere potestate ordinaria, sed speciali indigere delegatione; in dubium fuerunt etiam revocatae Vicarii Capitularis quoad praedicta facultates: unde Superior Generalis Congregationis Pretiosissimi Sanguinis preces huic Sacrae Congregationi porrexit ad hoc, ut sequentia dubia dignetur resolvere:

1m: *Potestne Vicarius Capitularis erigere Confraternitates ita ut erectio sic peracta canonica sit?*

2m: *Utrum Vicarius Capitularis possit valide concedere litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum?*

3m: *Utrum Vicarius Capitularis possit approbare statuta Confraternitatum?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 Novembris 1878 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1m, 2m et 3m: *Vicarius Capitularis se abstineat.*

Facta de iis omnibus per me infrascriptum dictae Sacrae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 23 Novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.

A. **Panici** Secret.

---

[1]) Resolutio illa habetur supra pag. 202.

439.

1878 23 Novembris. Super interpretatione verborum „infra unam vel duas hebdomadas“.

Friburgen. Episcopus Leucensis et Vicarius Capitularis Archidioecesis Friburgensis die 14 Januarii 1877 cum petiisset ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quod inibi ob sacerdotum penuriam confessio facta bis in mense, servatis servandis suffragari possit ad indulgentias intra praedictum tempus occurrentes lucrandas, quemadmodum et aliae dioeceses tali concessione ex indulto Apostolico laetantur, gratia fuit concessa, ast eo modo et forma, qua assolet, rescribendo scilicet: *SSmus precibus obsecundans, benigne annuit pro petito indulto, ita ut presbyteri et ceteri fideles Archidioecesis Friburgensis, qui infra unam vel duas hebdomadas uniuscujusque mensis sacramentalem Confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias plenarias, eo temporis intervallo concessas, absque sacramentali Confessione lucrari possint, dummodo etc.* At vero praelaudatus Episcopus dubitans, num sub voce *hebdomada* septem dies vel octo sint intelligendi, et num verba *infra duas hebdomadas* accipi ita debeant, ut bina Confessio intra mensem sufficiat, vel potius ut in omni quatuordecim dierum decursu Confessio sit peragenda, supplex Sacram Congregationem adiit, postulans, ut dubia isthaec diluere dignetur:

1° *Utrum Confessio praescripta per* singulas hebdomadas *peragi debeat infra septem vel potius infra octo dies?*

2° *An verba* infra duas hebdomadas *stricte interpretanda sint, ita ut Confessio peragi debeat infra quatuordecim dies, vel potius sufficiat bina Confessio in mense?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 Novembris 1878 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1m: *Affirmative ad primam partem, id est, praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio; Negative ad secundam partem.*

Ad 2m: *Affirmative ad primam partem, id est, praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio; Negative ad secundam partem.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 23 Novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

440.

1878 23 Novembris. **Super facultate impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis.**

Tarantasien. Episcopus Tarantasien., mature perpensis decisionibus Sacrae hujus Indulgentiarum Congregationis de benedictione in articulo mortis, et praesertim perpensa decisione 23 Septembris 1775, considerata ex alia parte quadam consuetudine, quae in ea dioecesi invaluit circa subdelegationem ejusdem benedictionis, supplex Sacram hanc adiit Congregationem, quatuor dirimenda proponens dubia:

1° *Utrum valida sit subdelegatio benedictionis in articulo mortis impertiendae facta modo generali v. g. in coetibus ecclesiasticis, omnibus scilicet presbyteris praesentibus, vel etiam aliis, qui curam animarum habent, licet coetibus non adessent?*

2° *Utrum Episcopus subdelegare possit non solum omnes parochos, sed etiam vicarios, qui saepissime loco parochorum (moribundos) in extremo agone laborantes adjuvant, eisque Ecclesiae Sacramenta ministrant?*

3° *Utrum responsio Sacrae Congregationis diei 23 Sept. 1775 ad tertiam partem dubii 8 intelligenda sit de subdelegatione facta singulis speciatim et in scriptis?*

4° *Utrum facultas subdelegandi ad actum quemcumque confessarium a primo subdelegato eligendum, ut fertur in laudata decisione loc. cit., sit numerice exprimenda in ipsa concessione, seu in prima subdelegatione?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 Novembris 1878 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1m et 2m: *Juxta Constitutionem Benedictinam* Pia Mater *Episcopus subdelegare potest ad Benedictionem Papalem cum indulgentiae plenariae applicatione in articulo mortis, suis dioecesanis impertiendam, unum vel plures sacerdotes saeculares*

aut regulares, quotquot pro numero animarum necessarios esse prudenter judicaverit.

Ad 3m: *Negative; consultius tamen esse, si subdelegatio fiat singulis speciatim et in scriptis.*

Ad 4m: *Negative.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 23 Novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.

A. **Panici** Secret.

441.

1878 23 Novembris. **De indulgentia Portiunculae quoad distantiam.**

Bergomen. In oppido, cui nomen Martinengo, dioecesis Bergomensis, ecclesia adest quae ad PP. Franciscales Reformatos olim pertinuit, qui expulsi inde fuerunt anno 1810. Sed etiam post eorumdem expulsionem fidelium concursus ad illam ecclesiam die 2 Augusti, Portiunculae indulgentiam lucrandi causa, perrexit ad annum usque 1860, quo, a militibus occupata, cultui fuit adempta. Post haec Praepositus ecclesiae parochialis oppidi illius Breve obtinuit, in quo cum assueta clausula *dummodo nulla extet eo loci, vel unius saltem milliarii spatio distet Franciscalis Ordinis ecclesia*, concessum fuit ad septennium, ut in ea ecclesia posset lucrifieri Portiunculae indulgentia.

Praefata interim jam Ordinis Franciscalis ecclesia cultui restituta, concessa fuit Instituto Sacrae Familiae Bergomi erecto, pro pauperum villicorum filiis christiane educandis. Cumque anno 1870 ad preces Episcopi Tiberiadis, Coadjutoris Episcopi Bergomensis, Portiunculae privilegium ad septennium, et cum superius relata clausula per separata Brevia elargitum fuerit singulis ecclesiis praelaudati Instituti, fideles ad ecclesiam etiam praedictam pro assequenda Portiunculae indulgentia accedere rursum incoeperunt.

Septennio exacto, renovata fuit concessio ad aliud septennium, et cum eadem clausula utriusque ecclesiae favore, pro ecclesia nempe parochiali cum Brevi 8 Maji 1870, ac

pro illa Instituti cum Brevi 22 Junii ejusdem anni. At cum duae hae ecclesiae minus quam unius milliarii spatio distent inter se, praelaudatus Episcopus, metuens, ne illa Instituti, utpote ad Franciscales Patres olim pertinens, impedimento sit, quominus parochialis ecclesia praedicta concessione uti queat, dubium istud Eminentissimo a Secretis Brevium proposuit, qui post datum huic peculiari casui responsum, quaestionem ad hanc Sacram Congregationem deferre censuit. Proposita igitur fuit sub sequenti generali formula:

An, si nulla exstet ecclesia actu ad PP. Franciscales pertinens, plures ecclesiae in eadem civitate, imo in eadem paroecia, milliarii spatio minime inter se distantes, frui possint privilegio, vulgo della Porziuncola.

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano diei 15 Novembris 1878 EE. PP. rescripserunt:

Affirmative: attenta tamen speciali praerogativa indulgentiae Portiunculae, expedire, ut in novis concessionibus clausula quoad distantiam, quae apponi solet favore ecclesiarum Ordinis S. Francisci, extendatur ad alias omnes ecclesias hoc privilegio ditatas.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 23 Novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

442.

1878 23 Novembris. — De crucibus stationum Viae Crucis.

Auranen. In Gallia mos invaluit 14 tabellas una cum crucibus pro stationibus Viae Crucis ex ferro saepe in typos fuso condendi, quibus ferreis crucibus inversis totidem ligneae applicantur, quae tamen nullo modo videri possunt a coram adstantibus. Cum autem pluries ab hac Sacra Congregatione definitum fuerit, indulgentias pro pio Viae Crucis exercitio concessas crucibus tantum rite benedictis esse adnexas; cumque in appendice ad Rituale Romanum typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide editum anno 1864

pag. 404, et anno 1874 pag. 108 traditum reperiatur, cruces praedictas esse debere ligneas, hinc Episcopus Auranensis merito dubitans, num juxta praefatam consuetudinem conditionibus satisfiat ad indulgentiarum acquisitionem necessariis, per suum Vicarium supplex adiit hanc Sacram Congregationem ab ea expostulans trium dubiorum resolutionem:

1° *An illud ex ligno debent esse cruces, quod legitur in appendice ad Rituale Romanum editum anno 1864 ex typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pag. 404, obliget sub poena nullitatis?*

Et quatenus Affirmative,

2° *An huic praecepto sufficienter satisfacit supradicta appositio totidem crucium lignearum, etsi coram adstantibus invisibilium, ad partem adversam crucium ferrearum?*

Et quatenus Negative,

3° *An consulendum sit SSmo pro sanatione Crucis Viarum hujusmodi jam erectarum?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 Novembris 1878 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1m: *Affirmative.*

Ad 2m: *Negative.*

Ad 3m: *Attenta bona fide consulendum SSmo pro convalidatione stationum sic erectarum, et pro facultatibus necessariis et opportunis concedendis eidem Episcopo Oratori, qui sive per se, sive per alium sacerdotem sibi benevisum cruces ligneas privatim benedicat, easque benedictas, meliori quo fieri potest modo, ne scandalum oriatur, ita stationibus superponat, ut ab omnibus conspici possint.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 23 Novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.

A. Panici Secret.

443.

1878 21 Decembris. Reliquiae neque emantur, neque vendantur.

Cum sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti, a fidelibus veneranda sint; multa enim beneficia per ea a Deo hominibus praestantur; [1]) ut eorum venerationi consulatur, utque omnis turpis quaestus eliminetur, non semel leges ecclesiasticae, sed et civiles latae fuerunt. Siquidem cap. 3 Cod. *de sacrosanctis ecclesiis* statutum fuit: *Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur.*

Jam vero abhinc nonnullis annis, suffragantibus rerum ac temporum adjunctis, abusus irrepsit, ut homines catholicae fidei osores et turpis lucri avidi sacras Reliquias undequaque exquisitas et arreptas et authenticitate pollentes, Romae potissimum, magno fidelium et maxime advenarum scandalo, vendere non erubescant.

Id cum SSmo D. N. Leoni PP. XIII innotuerit, Eadem Sanctitas Sua volens huic malo occurrere, et simul sacrarum Reliquiarum, quantum fieri potest, recuperationi studere, sacrorum canonum statutis inhaerens districte praecepit, ne Christifideles sub quolibet praetextu, etiam redimendi, sacras Reliquias et Sanctorum exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, tam in Urbe, quam extra, emere aut mercari praesumant. Insuper mandavit, ut quicumque sacras Reliquias, quae venales prostent, invenerit, Locorum Ordinarios commoneat, quorum intererit, opportune providere.

Hoc propterea decretum Idem SSmus D. N. fieri et publicari mandavit.

Datum Romae die 21 Decembris 1878.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

444.

1879 22 Martii. De absol. generali et bened. Papali pro Regularibus Ordinibus et Tertiariis ad eos pertinentibus.

Tertii Ordinis S. Francisci. Tres Ministri Generales Ordinum S. Francisci, Conventualium nempe, Minorum Obser-

[1]) Concil. Trident. Sess. 25. de venerat. et Reliq. Sanctorum.

vantium et Capucinorum, sub quorum uniuscujusque directione Fratres et Sorores adsunt, ad uniformitatem quoad tertiarios universos sub qualibet directione constitutos inducendam, consilium inierunt unicum conficiendi Manuale, quod omnibus foret commune. Illud a Fr. Nicolao a S. Joanne exaratum quatuor constat partibus, quarum prima notiones generales totius tertii Ordinis exponit, aliae vero et regulas tradunt, caeremonias recensent et indulgentias. Pars vero quae indulgentias recensebat, huic S. Indulgentiarum Congregationi exhibita fuit pro facultate obtinenda illam evulgandi. Imo supplex quoque libellus porrectus fuit pro novis gratiis et privilegiis favore Tertiariorum impetrandis.

Ex parte quoque praesidis generalis Societatis S. Francisci Salesii expositum fuit, Societatem hanc per Rescriptum Summi Pontificis sub die 1 Maji 1873 participem factam fuisse privilegiorum, quibus gaudent chordigeri S. Francisci, ac proinde quaerebatur, utrum inter haec privilegia reperiretur illud quoque absolutionis generalis, et quatenus *Negative,* enixe flagitabatur, ut facultas elargiendi absolutionem generalem quater saltem in anno concederetur.

Interim dum Sacra Indulgentiarum Congregatio haec omnia ad examen revocabat, in primis animadvertebat, diversas formulas impertiendi tum generalem absolutionem per annum, tum in articulo mortis et benedictionem papalem, quae sive in exhibito Manuali pro Tertiariis, sive in Summariis indulgentiarum et privilegiorum iisdem concessorum legebantur, haud levem facessere difficultatem. Quae quidem difficultas pro formulis generalis absolutionis eo magis aucta est, quod a nonnullis locus factus est controversiae potissimum de virtute et efficacia absolutionis generalis. His vero accesserunt aliae quaestiones a confessario Monialium Ordinis S. Francisci dioecesis Viterbiensis et Tuscanensis propositae, quae pariter ad generalem absolutionem referebantur.

Quare haec Sacra Indulgentiarum Congregatio haud cunctandum esse censuit, ut desuper his suum depromeret judicium; auditoque consultoris voto, manifestius patuit, ex literali et obvio sensu formularum interpretationem erui veritati non consonam, et doctrinam quoque dogmaticam

indulgentiarum haud leviter laedentem. Ad quas proinde quaestiones dirimendas utpote dogma respicientes quum haec Sacra Indulgentiarum Congregatio ex sui institutione incompetens foret, res tota ad Supremam Universalis Inquisitionis Congregationem delata est, quae de his omnibus maturo examine peracto, detectos errores reprobavit, veramque doctrinam proponens, juxta eam corrigenda mandavit, quae minus recta fuerant scripta et evulgata.

Verum Suprema Universalis Inquisitionis Congregatio in tuto positis quae ad dogma pertinebant, reliqua, quae propius rectam indulgentiarum administrationem attingebant, huic Sacrae Congregationi definienda reliquit.

Quare sequentia dubia resolvenda proposita sunt:

1^m^: *An et pro quibus praescribenda sit sub poena nullitatis formula unica pro absolutionibus generalibus impertiendis?*

Et quatenus Affirmative,

2^m^: *Quaenam formula sit injungenda?*

3^m^: *An pro impertienda absolutione in articulo mortis Tertiariis saecularibus Franciscalibus debeat formula Benedictina adhiberi, vel sit eadem sub poena nullitatis praescribenda?*

Et quatenus Negative,

4^m^: *An sit sub eadem poena injungenda formula a Fr. a Cipressa tradita?*

Et quatenus Negative,

5^m^: *An formula, quae nunc adhiberi solet, sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?*

6^m^: *An pro impertienda Tertiariis Franciscalibus saecularibus benedictione Papali obligatio adsit formula Benedictina utendi, vel sit eadem praescribenda?*

Et quatenus Negative,

7^m^: *An formula, qua nunc iisdem Tertiariis Franciscalibus benedictio Papalis impertiri consuescit, sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?*

8^m^: *An pro iisdem sit et quatenus Benedictinae observantia injungenda quoad regulas ab eadem quoad benedictionem Papalem praestitutas?*

9^m^: *An pro indulgentia adnexa absolutioni generali sit servanda etiam quoad Tertiarios Franciscales saeculares responsio*

data 12 Martii 1855, vel, attentis praesentibus adjunctis, addenda indulgentia pro vivis, quoad festa etiam, pro quibus fertur concessa a Leone X?

10m: *An absolutioni generali adnexa sit indulgentia pro defunctis?*

Et quatenus Negative,

11m: *An sit concedenda Tertiariis Franciscalibus saecularibus?*

12m: *An absolutiones generales dari debeant, aut possint intra vel extra Sacramentum Poenitentiae?*

13m: *Utrum Chordigeri S. Francisci Assisinatis ac Sodales S. Francisci Salesii gaudeant privilegio absolutionis generalis et benedictionis Papalis?*

Et quatenus Negative,

1° *Utrum possit atque expediat ipsis concedere privilegium absolutionis generalis, et quoties in anno, vel potius hujus privilegii loco iisdem elargiri communicationem indulgentiarum et bonorum operum, et cum qua formula?*

2° *Utrum expediat Chordigeris et Salesianis concedere privilegium absolutionis plenariae in articulo mortis, et quoties in anno illud benedictionis Papalis?*

14m: *An constet de authenticitate gratiae absolutionis generalis Monialibus O. S. F. dioecesis Viterbiensis et Tuscanensis a Clemente VIII concessae?*

Et in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 18 mensis Martii anni 1879 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1m: *Consulendum SSmo, ut ad uniformitatem inducendam et ad falsas interpretationes vitandas praescribere dignetur sub poena nullitatis unicam absolutionis generalis formulam pro Regularibus cujuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus; pro Tertiariis vero Saecularibus, ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum eisdem vel cum Regularibus habentibus unicam pariter dignetur praescribere formulam benedictionis cum indulgentia plenaria, loco absolutionis generalis hucusque usitatae.*

Ad 2m: *Provisum in primo.*

Ad 3m: *Formula Benedictina est praescribenda sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim, facto verbo cum SSmo.*

Ad 4m et 5m: *Provisum in tertio.*

Ad 6m: *Ut in tertio.*

Ad 7m: *Provisum in sexto.*

Ad 8m: *Regulas a Benedicto XIV praescriptas esse adamussim observandas.*

Ad 9m: *Quoad Tertiarios saeculares provisum in primo.*

Ad 10m: *Consulendum SSmo, ut concedat ad cautelam indulgentiam pro defunctis.*

Ad 11m: *Provisum in primo.*

Ad 12m: *Servetur pro Regularibus consuetudo.*

Ad 13m: *Negative ad utrumque.*

Ad 1m: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, facto verbo cum SSmo pro concessione indulgentiae plenariae quater in anno diebus a Summo Pontifice designandis et pro communicatione bonorum operum pariter quater in anno, juxta formulam praescriptam in decreto Sacrae Indulgentiarum Congregationis diei 25 Februarii 1739.*

Ad 2m: *Ad primam partem, gaudeant impetratis; ad secundam, Chordigeris et Salesianis concedendum esse privilegium, si SSmo placuerit, Benedictionis Papalis semel tantum in anno.*

Ad 14m: *Non esse interloquendum.*

His vero editis ab EE. PP. resolutionibus, Sacrae hujus Congregationis Indulgentiarum Cardinalis Praefectus, quo initum consilium de unico conficiendo Manuali pro universis Tertiariis facilius et tutius assequi posset, proponendum censuit, ut specialis seligeretur Commissio constans ex Secretariis, vel ex personis ab eisdem designandis, trium Sacrarum Congregationum, videlicet Episcoporum et Regularium, S. Rituum, et Indulgentiarum, quae videat, utrum et aliae animadversiones faciendae sint in exhibito Manuali, easque proponat in peculiari Patrum Cardinalium Congregatione a SSmo deputanda. Quod propositum EE. PP. unanimiter probaverunt.

Facta autem de iis omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 22 Martii 1879, Sanctitas Sua praefatas resolutiones benigne

approbavit et confirmavit; et resolutiones quoad priora octo dubia executioni mandari praecepit per decretum S. Rituum Congregationis.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

Decretum Sac. Rituum Congregationis,

quo priores octo recensitae resolutiones executioni mandatæ sunt.

Occasione editionis unici Manualis ab universis fratribus ac consororibus Tertio Ordini S. Francisci adscriptis adhibendi, plures tum circa formulas absolutionis generalis et in articulo mortis, tum circa Benedictionem Papalem exortae fuerant controversiae. Ad eas dirimendas Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita in una *Tertii Ordinis Sancti Francisci* die 18 Martii 1879 sequentia dubia declaranda proposuit:

Dubium I: *An et pro quibus praescribenda sit sub poena nullitatis formula unica pro absolutionibus generalibus impertiendis?*

Et quatenus Affirmative,

Dubium II: *Quaenam formula sit injungenda?*

Dubium III: *An pro impertienda absolutione* in articulo mortis *Tertiariis Saecularibus Franciscalibus, debeat formula Benedictina adhiberi, vel sit eadem sub poena* nullitatis *praescribenda?*

Et quatenus Negative,

Dubium IV: *An sit sub eadem poena injungenda formula a Fr. a Cipressa tradita?*

Et quatenus Negative,

Dubium V: *An formula, quae nunc adhiberi solet, sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?*

Dubium VI: *An pro impertienda Tertiariis Franciscalibus Saecularibus Benedictione Papali obligatio adsit formula Benedictina utendi, vel sit eadem praescribenda?*

Et quatenus Negative,

VII: *An formula, qua nunc iisdem Tertiariis Franciscalibus Benedictio Papalis impertiri consuescit, sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?*

Dubium VIII: *An pro iisdem sit et quatenus Benedictinae observantia injungenda quoad regulas ab eadem quoad Benedictionem Papalem praestitutas?*

Hisce autem dubiis rite perpensis Eminentissimi et Reverendissimi Patres sic rescripserunt:

Ad I^m^: *Consulendum Sanctissimo, ut ad uniformitatem inducendam, et ad falsas interpretationes vitandas praescribere dignetur sub poena nullitatis unicam absolutionis generalis formulam pro Regularibus cujuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus; pro Tertiariis vero Saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus habentibus unicam pariter dignetur praescribere formulam Benedictionis cum indulgentia plenaria hucusque usitatae.*

Ad II^m^: *Provisum in primo.*

Ad III^m^: *Formula Benedictina est praescribenda sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad IV^m^ et V^m^: *Provisum in tertio.*

Ad VI^m^: *Ut in tertio.*

Ad VII^m^: *Provisum in sexto.*

Ad VIII^m^: *Regulas a Benedicto XIV praescriptas esse adamussim observandas.*

Quibus per Secretarium ejusdem Sacrae Congregationis Sanctissimo relatis, Sanctitas Sua, dum resolutiones Sacrae ipsius Congregationis approbare dignata est, voluit, ut eae per decretum Sacrae Rituum Congregationis executioni mandarentur.

Porro Sacra haec Rituum Congregatio, ut ejusmodi sibi commisso muneri satisfaceret, opportunum in primis duxit, expendere omnes et singulas benedictionum et absolutionis generalis formulas, quae non tantum penes Tertiarios Franciscales, sed et apud alias ejusdem Ordinis familias, immo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes, erant in usu, quo unicam atque identicam concinnaret formulam ab omnibus in posterum in ejusmodi benedictionibus, ac absolutione respective adhibendam. Interea vero monendos censuit omnes in re interesse habentes, ut, si quid in casu notatu dignum judicassent, intra congruum tempus Sacrae ipsi Congregationi subjicere possent. Quum autem triennio jam elapso, nihil ex parte alicujus Ordinis objectum fuerit, Sacra eadem Rituum Congregatio, omnibus in re mature libratis expensisque, haec decernere rata est:

I. Pro absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta a Constitutione s. m. Benedicti Papae XIV *Pia Mater*, addito tantum ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris.

II. Benedictio nomine Summi Pontificis impertiatur cum formula approbata in Litteris encyclicis ejusdem s. m. Benedicti Papae XIV *Exemplis Praedecessorum*, sed nonnisi bis in anno, et sub conditione,

quod haec benedictio numquam detur eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat.

III. In absolutione generali pro Regularibus cujuscumque Ordinis atque in benedictione cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Reverendissimo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae; abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis, videlicet:

I. Formula Absolutionis Generalis pro Regularibus

cujuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor, *addito nomine proprii Fundatoris.*

Deinde Sacerdos dicit:

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subjungit:

Dominus noster Jesus Christus per merita Suae Sacratissimae Passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, necnon Sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum majorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem et indulgentiam omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus jam confessi estis: In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus sancti. Amen.

II. Formula Benedictionis cum indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus,

ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cujuscumque Ordinis habentibus.

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti Sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dicto deinde Confiteor etc., Misereatur etc., Indulgentiam etc., *sacerdos prosequitur:*

Dominus noster Jesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini Nostri Jesu Christi, precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris nostri N. et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi commissa, plenariam indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec indulgentia immediate post sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis; Dominus Noster Jesus Christus etc. *et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Facta postmodum SSmo D. N. Leoni PP. XIII a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto debita cunctorum relatione, Sanctitas Sua decretum ejusdem Sacrae Congregationis suprema auctoritate Sua ratum habuit et sancivit, formulas superius relatas insimul approbans, contrariis quibuscumque minime obstantibus: volens, ut super his expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Die 7 Maji 1882.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praef.
Plac. Ralli S. R. C. Secret.

445.

1879 21 Junii. De erectione stationum Viae Crucis.

Engolismen. Pro erectione stationum Viae Crucis peragenda dispositum fuit in Brevi *Exponi Nobis* a Clemente XII, die 16 Januarii 1731 edito, et a Benedicto XIV in Brevi *Cum tanta sit* die 30 Augusti 1741 confirmato et inserto, haud posse stationes Viae Crucis erigi in ecclesiis et locis Ministro Generali Ordinis S. Francisci minime subjectis, nisi accederet licentia Ordinarii loci ac consensus parochi et Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit.

Cum vero plures exortae fuerint quaestiones circa erectionum Viae Crucis validitatem, ex eo, quod in dubium saepe revocaretur, num praedicta licentia ac consensus datus fuerit, ad quaslibet in posterum istiusmodi difficultates eliminandas, Sacra Indulgentiarum Congregatio in decreto diei 3 Augusti 1748 praescribendum censuit, quod in erigendis in posterum ejusmodi stationibus tam sacerdotis erigentis deputatio, ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii vel Antistitis, et parochi, necnon Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi ejusmodi erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia in scriptis et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae.

Jam vero Episcopus Engolismensis istiusmodi decretorum tenorem perspectum habens Sacrae Indulgentiarum Congregationi supplices libellos porrexit, atque in horum primo exponit, in sua dioecesi ac fere ubique in Gallia exstare hospitalia, ecclesias, capellas, oratoria, domus Congregationum Sororum vota simplicia emittentium, et a S. Sede vel ab Episcopo etiam tantum approbatarum, quae omnia quamvis de jure minime a jurisdictione parochiali exempta dici queant, tamen de facto a parocho independenter administrantur per capellanos ab Episcopo nominatos. Ac subdit: in hisce omnibus ecclesiis ac locis bona fide stationes Viae Crucis erectas fuisse, quin parochorum consensus fuerit re-

quisitus. Dubitans hinc de istiusmodi erectionum validitate postulat, ut declaretur, utrum pro validis sint habendae vel non, et casu, quo nullitate laborare fuerit definitum, instantissime postulat, ut a Sanctissimo sanatio indulgeatur, ne nimia oriatur confusio, et fidelium admiratio excitetur:

In altero autem supplici libello exponit, plures sacerdotes in Gallia facultatem obtinere a Ministro Generali Ordinis Minorum stationes Viae Crucis erigendi in certo numero ecclesiarum vel oratoriorum, praevia tamen Ordinarii licentia, quam licentiam postea Ordinario exhibent, qui subscribit verbis generalibus v. g. *Authentica recognovimus et exsecutioni mandari permisimus.* At quaerit, num licentia, sic verbis generalibus data sufficiat, ut sacerdos ea donatus possit deinde cum solius parochi vel Superioris loci consensu, in quocumque loco intra limites jurisdictionis praedicti Ordinarii, valide stationes erigere, servatis servandis et relicto peractae erectionis testimonio, propria manu subscripto; an vero praeter hanc generalem licentiam requiratur, sub poena nullitatis, ante quamcumque erectionem novus recursus ad Ordinarium cum designatione loci vel ecclesiae, ut erectioni in tali loco consentiat.

Quare in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Junii 1879 proposita fuerunt dubia:

1^{m}: *Utrum nullae sint erectiones stationum Viae Crucis, sine consensu in scriptis parochi factae in hospitalibus, ecclesiis, capellis ac domibus Congregationum Sororum, de jure haud exemptis a parochiali jurisdictione, sed de facto (juxta morem in Gallia vigentem) administratis independenter a parocho, per capellanum nominatum ab Episcopo?*

Et quatenus Affirmative,

2^{m}: *An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione hujusmodi erectionum?*

3^{m}: *An consensus Ordinarii in scriptis requiratur sub poena nullitatis in singulis casibus pro unaquaque stationum erectione, vel sufficiat, ut sit generice praestitus pro erigendis stationibus in certo numero ecclesiarum vel oratoriorum, sine specifica designatione loci?*

Et quatenus Affirmative ad primam partem et Negative ad secundam,

4^m^: *An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione erectionum, cum dicto generico consensu jam factarum, vel sit supplendum defectui per novum consensum in scriptis ab Episcopo specifice praestandum?*

EE. PP., auditis Consultorum votis, rescripserunt:

Ad 1^m^: *Negative.*

Ad 2^m^: *Provisum in primo.*

Ad 3^m^: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 4^m^: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Et facta de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 21 Junii 1879, Sanctitas Sua in omnibus votum Sacrae Congregationis adprobavit et sanavit praefatas erectiones cum generico consensu peractas.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

446.

1879 21 Junii. Indulgentia Portiunculae Cincturatorum.

Bergomen. Inter quamplures indulgentias a Summis Pontificibus concessas utriusque sexus fidelibus Archiconfraternitati Cincturae S. Augustini et S. Monicae sub invocatione B. M. V. de Consolatione adscriptis duae reperiuntur, ut patet ex earumdem Summario a Sacra Indulgentiarum Congregatione per decretum diei 7 Martii 1863 approbato. Harum prima in § 15. „In Nativitate B. M. V. iidem (praedicti nempe confratres et consorores), qui poenitentes et confessi Ordinis ecclesiam, et altare vel capellam (Confraternitatis) visitaverint, et loco manus adjutricis recitaverint quinquies etc. (Pater sc. et Ave pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et haeresum exstirpatione) ex indulto Gregorii XIII eamdem consequentur indulgentiam, ac visitantes primo et secundo die Augusti ecclesiam B. M. V. in Portiuncula dictam de Angelis extra muros Assisii." Altera vero in

§ 28: „In Dominica sequente festum S. Nicolai de Tolentino iisdem poenitentibus et confessis visitantibus a primis Vesperis ad totam Dominicam capellam S. Nicolai et altare Confraternitatis conceditur indulgentia Portiunculae ut in § 15.“

Sacerdos nunc Bergomensis, Carolus Berlendis, supplex adit Sacram Indulgentiarum Congregationem, atque exponens, quod, quum nihil reperiatur in supradictis paragraphis, nec pariter penes ullum auctorem, qui agit de s. Cinctura, ex quo pateat, indulgentiam hujusmodi posse lucrari dictis diebus toties quoties injunctae visitationes iterentur, uti obtinet in indulgentia de Portiuncula nuncupata, dubium exoritur, an talis indulgentia tam ample fuerit concessa, ut determinatis vicibus acquiri valeat, vel potius una tantum vice, facta insuper devotis confratribus facultate eam lucrandi tempore, quod a primis Vesperis ambarum solemnitatum decurrit usque ad secundas (§ 15) vel usque ad integrum diem (§ 28), postulat, ut dubium istud diluere Sacra Congregatio dignetur:

An indulgentia, uti illa Portiunculae, concessa Cincturatis S. Augustini et S. Monicae, qui cum injunctis conditionibus visitaverint Ordinis ecclesiam et altare vel capellam Confraternitatis in festivitate Nativitatis B. M. V. a primis usque ad secundas Vesperas, et alia concessa item praedictis, qui in die Dominica festum S. Nicolai a Tolentino immediate sequenti a primis Vesperis usque ad totam illam diem cum conditionibus injunctis visitaverint capellam S. Nicolai et altare Confraternitatis, possit toties quoties *acquiri, vel* semel tantum *in unoquoque ex dictis diebus festis?*

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Junii 1879 rescripserunt:

Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Et facta per me infrascriptum Secretarium relatione SSmo D. N. Leoni XIII in Audientia diei 21 dicti mensis et anni, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne adprobavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

447.

1879 21 Junii. Benedictio crucium et tabellarum Viae Crucis.

Smirnen. Cum in Smirnensi Archidioecesi exortum fuerit dubium: *An pro validitate benedictionis crucium stationum Viae Crucis requiratur, ut benedictio detur ante ipsarum affixionem, vel sufficiat, ut post affixionem impertiatur,* pro ipsius resolutione supplex libellus huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi a Reverendissimo Archiepiscopo fuit porrectus.

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Junii 1879, auditis Consultorum votis, rescripserunt: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Et facta per me infrascriptum Secretarium relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 21 dicti mensis et anni, Sanctitas sua votum Sacrae Congregationis benigne adprobavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

448.

1879 28 Augusti. Indulgentiae apocryphae.

Cum peculiariter onus incumbat Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, revocatas, falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias detegendi atque prohibendi, ut quae verae sunt a falsis secernantur, accurate ad examen revocato libello, Germanico idiomate conscripto Teschenii in Silesia anno praeterito typis dato cui titulus: „Der Orden des Friedens oder dessen drei Andachten der . . . Jungfrau Mariae“ [1]) deprehensum est, in eo contineri indulgentias jamdiu revocatas a s. m. Benedicto XIV per decretum diei 6 Martii 1756, cujus hic tenor:

„SSmus D. N. Benedictus XIV omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotidie per integrum mensem Coronam B. Joannae Valesiae, triplicatum Rosarium nuncupatum, devote recitaverint, semel intra eumdem mensem, die nempe ab unoquoque ad sui libitum eligenda, in qua

[1]) Ordo Pacis, sive ejusdem tres devotiones in honorem B. M. V.

vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequi valeant; iis vero, qui in singulis feriis sextis Quadragesimae singulisque septem B. M. V. festivitatibus ut supra, dictam coronam recitaverint, septem annorum totidemque quadragenarum, ac tandem pro qualibet ejusdem coronae devota recitatione indulgentiam centum dierum in perpetuum benigne concessit. Revocatis omnibus et singulis aliis indulgentiis, quae pro ejusdem Coronae recitatione asserebantur concessae. Declaravit insuper Sanctitas Sua, ut quis consequi possit praefatas indulgentias, requiri, ut Corona sit de more benedicta a Superioribus Ordinis Annuntiationis B. M. V. sub regula S. Francisci a Sede Apostolica approbati, vel a quolibet confessario ordinario Monialium ejusdem Ordinis, et propterea eisdem Superioribus Ordinis et Confessariis dictas Coronas benedicendi facultatem tribuit et impertitus est. In distribuendis vero hujusmodi coronis earumque usu SSmus servari jussit decretum fel. rec. Alexandri PP. VII editum sub die 6 Februarii 1657, nimirum ne hujusmodi coronae utpote benedictae vendantur, aut alteri commodentur, aut precario dentur, alioquin careant indulgentiis jam concessis, et aliqua ex eis deperdita, alia subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit. Datum Romae die 6 Martii anno 1756. Fr. J. Card. *Portocarrero* Praef., A. E. *Vicecomes* Secr."

Quapropter ne Christifideles decipiantur, Sacra eadem Congregatio die 28 Augusti 1877 praefati libelli, ut supra impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illumque prohibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis. Insuper declarando nullis aliis indulgentiis frui posse coronam B. Joannae Valesiae recitantes, nisi illis, quae habentur in supra relato decreto.

Datum Romae die 28 Augusti 1879.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
A. Panici Secret.

449.

1880 23 Maji. Portiuncula.

Hodiernus parochus ecclesiae parochialis S. Nicolai in civitate Bruxellensi, dioecesis Mechliniensis, Sacrae Indulgentiarum Congregationi humiliter exponit quae sequuntur:

Per litteras diei 14 Septembris anni 1821 Summus Pontifex Pius VII, nulla tunc existente in civitate Bruxellensi ecclesia Ordinis S. Francisci, concessit, ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui vere poenitentes et sacra Communione refecti praefatam ecclesiam parochialem S. Nicolai die 2 mensis Augusti, vel Dominica immediate sequente, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi quolibet anno devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequi possint et valeant, quas consequerentur, si aliquam ex ecclesiis Ordinis S. Francisci pro acquirendis indulgentiis vulgo de Portiuncula nuncupatis die secunda Augusti devote visitassent. Praesentibus, ait Pontifex, perpetuis futuris temporibus valituris.

Jam vero abhinc viginti quinque fere annis ecclesiae Ordinis S. Francisci nunc in civitate Bruxellensi existunt. Igitur, non obstante clausula de perpetuitate concessionis, ut supra, tamen a quibusdam in dubium revocatur, utrum praefata indulgentia perseveret in ecclesia S. Nicolai, quae nunquam fuit sub regimine Fratrum Ordinis Seraphici, sed prope ipsam exstabat hujusce Ordinis ecclesia, quae in perturbatione rerum publicarum sub fine elapsi saeculi fuit diruta, et ex qua multa ab illo tempore pia opera in proximam S. Nicolai parochialem ecclesiam fuere translata.

Quare quum jam inde ab initio praesentis saeculi, nullo occurrente intervallo, sciente et consentiente loci Ordinario, quotannis Christifideles magno concursu ad praedictam parochialem ecclesiam S. Nicolai, indulgentiam dictam de Portiuncula lucraturi accedere, ibidemque singulis annis numero fere septingentorum, hac data occasione, sacram Commu-

nionem sumere consueverint, aliaque ex parte numerus incolarum civitatis Bruxellensis ad ducenta fere millia excreverit, infrascriptus parochus a Sacra Indulgentiarum Congregatione humiliter postulat oraculo Sanctitatis Suae edici, *utrum indulgentia Portiunculae concessa praefatae ecclesiae S. Nicolai Bruxellis perseveret?*

SSmus D. N. Leo Papa XIII, in Audientia habita die 23 Maji 1880 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus attentis expositis, respondendum censuit: *Affirmative.* Contrariis quibuscumque non obstantibus.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
Pius **Delicati** Secret.

450.

1880 19 Junii. Reliquiae.

Vivarien. Inter illustres sanctosque viros qui Christi fidem in Gallias invexerunt, Vivariensium et Aniciensium perpetua traditio S. Ostianum Presbyterum Confessorem merito accenset. Is enim tertio mediante Ecclesiae saeculo, quo S. Fabianus Romanus Pontifex, ut Evangelium inter Occidentales populos diffunderetur plurimum adlaborasse traditur, Velaunorum regionem Helviis proximam Apostolicis laboribus excoluit, ibique demum sancto fine quievit. Ejus corpus primum in recessu Vallis Couspiensis reconditum, postea Ecclesiae pace concessa, in proximum rurale templum S. Martini illatum fuit, quo ex tempore illud a S. Ostiano praecipue nuncupari coepit. Quamvis autem templum hoc barbarorum incursionibus devastatum, ac saeculo fere decimo in ampliorem formam restitutum fuisset, constans tamen et perennis Vivariensis populi traditio fuit, antiquissimis confirmata monumentis in sacra etiam liturgia consignatis, eo in templo sacrum Ostiani corpus adhuc asservari. Ex quo factum est, ut a remotissimis usque saeculis ad nostram aetatem pluries per annum sive ad expetendam pluviam, sive ad alia beneficia, per intercessionem S. Ostiani, obti-

nenda, instituta supplicatione ad illud rurale templum Vivarienses magna devotione accedere consueverint.

Cum itaque non sine divinae protectionis opera, templum hoc ad nostram usque aetatem illaesum manserit, optimum visum fuit cla. me. Ludovico Delcusy Vivariensi Episcopo anno 1868 opportunas instituere indagines, eo fine, ut S. Ostiani sacra lypsana detegerentur. Disjecto itaque priore pavimento, aliud vetustissimum saeculi V aut VI subtus repertum fuit, omnino intactum, cui adhuc primaevae arae vestigia impressa visebantur. Quo etiam pavimento sublato apparuit area lapidea rudis operis, nullaque notata epigraphe, in qua ossa unius viri aetatis longaevae condebantur, uti accurata anatomes probavit inspectio.

Tanta porro Vivariensi ac finitimarum regionum populis persuasio inerat, eo loci S. Ostianum requiescere, ut ejus inventionis nuntium omnes ingenti affecerit laetitia, atque statim repertum corpus, ceu vera sui Patroni atque Magistri lypsana habere, et debito honore colere non dubitaverint, nisi prudentissimum ipsius Episcopi intercessisset consilium, ut juxta S. Tridentinae Synodi praescriptiones (decret. de invocat. venerat. et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus, sess. 25) res prius mature discuteretur. Quod quidem consilium secutus novus Ecclesiae Vivariensis Pastor, Reverendissimus Dominus Fridericus Bonnet, judicium super reperti corporis identitate deferendum censuit ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam, una cum actis authenticis ejusdem inventionis ad eam missis. Sacra autem Congregatio, exquisito in primis voto unius ex Consultoribus, sequens proposuit dubium:

Utrum reliquiae sub ara sacelli Couspiensis anno 1868 die 18 Septembris repertae vere ac proprie spectent ad corpus S. Ostiani Presbyteri Confessoris, et ideo constet de ejusdem corporis identitate?

EE. PP. in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Junii 1880, accurate perpensa ampla, jugi, perpetuaque populorum traditione antiquissimis et gravissimis firmata monumentis, ac liturgicis etiam in

libris contenta, neque non effusissima erga S. Ostianum eorumdem devotione, quae propter illarum Reliquiarum inventionem magis ac magis excrevit, et ita novum ac splendidum earum identitatis monumentum suppeditat; perpensis etiam Reverendissimorum Consultorum sententiis, atque omnibus mature discussis, rescribendum duxerunt:

Affirmative, seu constare de identitate corporis S. Ostiani Presbyteri Confessoris.

Factaque de praemissis relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 19 Junii anni 1880, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit ac confirmavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
Pius Delicati Secret.

451.

1880 19 Junii. **Altare privilegiatum.**

Romana. Procurator Generalis Trappensium huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exposuit ut infra. In unoquoque Trappensium monasterio exstat altare privilegiatum, in quo celebratur quotidie Missa pro fratribus, propinquis et benefactoribus defunctis. Cum autem ex decreto praefatae Sacrae Congregationis diei 29 Februarii 1864 tenendum sit, quod privilegium altaris nequeat applicari pluribus defunctorum animabus in eadem Missa, quaeritur: quaenam sit praedicti apud Trappenses altaris privilegiati efficacia, et num privilegium inutile evadat, ex eo, quod nunquam uni animae determinatae applicetur?

Cum rei examen commissum fuisset uni ex Consultoribus, idem tria sequentia proposuit dubia:

1^m^: *Quo sensu intelligenda sit responsio Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 29 Februarii 1864, quod privilegium altaris* nequeat *applicari pluribus defunctorum animabus in eadem Missa,* practice *tantum et* de facto *juxta mentem concedentis de more Ecclesiae ex* limitatione concessionis, *an etiam* theoretice *et* absolute *ex* limitatione potestatis?

2m: *Num apud Trappenses in Missa, quae quotidie celebratur pro pluribus (fratribus scilicet propinquis et benefactoribus), indulgentia altaris ad unum ex iis limitetur?*

3m: *Num privilegium inutile evaserit ex eo, quod uni ex iis determinatae animae non consueverit applicari?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Junii 1880 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1m: *Non propositum.*

Ad 2m: *Affirmative.*

Ad 3m: *Negative.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 19 Junii 1880, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
Pius Delicati Secret.

452.

1880 19 Junii. Dubia de vero sensu decreti diei 13 Aprilis 1878.

Post editum ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita generale decretum diei 13 Apr. 1878 de non adscribendis absentibus Sodalitiis seu piis Unionibus hac nostra praesertim aetate institutis, undique plurima exorta sunt dubia de vero sensu illius decreti; imo plures ex parte potissimum Episcoporum porrecti fuerunt libelli supplices, quibus enixe ab hac Sacra Congregatione postulabatur, ut non obstante supramemorato decreto absentes adscribi possent saltem Sodalitiis seu piis Unionibus piisque Operibus, quae vere Confraternitates dici nequeunt, simulque proponebatur modus, quo via in posterum praecluderetur abusibus, qui hucusque inoleverant in absentium inscriptione.

Quare desuper his sequentia dubia solvenda proposita fuerunt:

1m: *Utrum decretum diei 13 Aprilis 1878 prohibens inscriptionem absentium ad pias Uniones et ad pia Opera, quae a veris Confraternitatibus distinguuntur, extendatur?*

2^m^: *Utrum et quomodo post editum memoratum decretum probanda vel permittenda sit inscriptio sociorum absentium, cum agitur de veri nominis Confraternitatibus?*

3^m^: *Quid respondendum quoad petitiones exhibitas a Moderatoribus Confraternitatum, praesertim ab Episcopis, qui postulant, non obstante decreto, adscribi posse praedictis Confraternitatibus absentes per litteras et per interpositam personam, sive propter consuetudinem sive propter novas rationes ab ipsa experientia desumptas?*

4^m^: *Quaenam alia praescribenda in casu?*

Quibus in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Junii 1880 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1^m^, 2^m^ et 3^m^: *Providebitur in 4°.*

Ad 4^m^: *Firmo remanente decreto diei 13 Aprilis 1878 dubiis et petitionibus propositis provideatur per appositam instructionem et dispositivam declarationem juxta mentem panditam, pro opportunis exceptionibus.*

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 19 Junii 1880 relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis judicium in omnibus benigne approbavit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
Pius Delicati Secret.

453.

1880 26 Novembris. Declaratio decreti diei 13 Aprilis 1878 de absentibus non adscribendis ad pias Sodalitates.

Urbis et Orbis. Quum fidelium piis Sodalitatibus adscriptio per se actus sit religionis et pietatis, adeo ut dies, qua fidelis piae alicui Societati inscribitur, plerumque a Sancta Sede indulgentiis ditata sit, decet omnino, ut ipsa inscriptio serio ac devote certo aliquo modo fiat ac debita forma. Quamquam vero ad hoc per se non requiratur necessario *personalis praesentia*, quum etiam gravissima negotia *inter absentes* per litteras vel interpositam personam perfici possint, tamen ipsa personalis praesentia ex generali regula jure exigitur, ut adscribendorum devotioni potius quam numero

consulatur, ac pluribus abusibus via praecludatur. Generalis haec regula ab hac Sacra Congregatione in Americana Novi Regni Hispanici die 28 Aprilis 1761 indicata, novissime decreto Urbis et Orbis diei 13 Aprilis 1878 instaurata est ac confirmata. Sed ea generatim in suo robore manente plures sane exceptiones locum habere possunt, vel ex peculiari Sodalitatum quarumdam constitutione, quae sua natura exceptionem postulare videtur, vel ex specialibus quarumdam privilegiis, vel ex extrinsecis circumstantiis, vel ex benigna Apostolica dispensatione: adeoque plures dubitationes, multoque plures petitiones pro favorabili exceptione, ad hanc Sacram Indulgentiarum Congregationem delatae sunt. Quibus omnibus mature perpensis, Eminentissimi Patres Sacris Indulgentiis praepositi in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Junii 1880 rescripserunt: *Firmo remanente decreto diei 13 Aprilis 1878, dubiis et petitionibus propositis providendum esse per appositam instructionem et dispositivam declarationem juxta mentem panditam ab Eminentissimis Patribus in ipsa Congregatione pro opportunis exceptionibus.*

I. Primo itaque juxta mentem Eminentissimorum Patrum distinguendum est inter Sodalitates pro universo orbe catholico, ac Sodalitates pro certa tantum dioecesi vel regione canonice erectas, relate ad quas fideles, qui extra limites locali Sodalitati constitutos commorantur, *absentes* dicuntur, imo vero non *simpliciter absentes,* sed etiam *extranei* dici possunt. Hujusmodi locales Sodalitates, quemadmodum ex. gr. Confraternitas B. M. V. Guadalupensis, de qua sermo est in Americana Novi Regni Hispanici, in Confratres admittere nequeunt *absentes* extra limites Sodalitatis: atque hic primus est sensus memoratae resolutionis Sacrae Congregationis diei 28 Aprilis 1761, atque hoc primum sensu adscriptiones *absentium* tum decreto Urbis et Orbis diei 13 Aprilis 1878, tum praesenti instructione irritae omnino generali lege *sine ulla nova exceptione* declarantur.

II. Sodalitates etiam universales, relate ad quas nulli sunt primo hoc sensu *absentes* seu extranei, nequeunt in confratres admittere simpliciter *absentes;* scilicet requiritur

ex jure adscribendorum personalis praesentia. At nullatenus mens fuit decreti, eam restringere ad locum ubi Sodalitas canonice erecta propriam habet sedem ac centrum; sed sufficit adscribendorum praesentia coram quocumque, qui quocumque in loco delegatam vel subdelegatam legitime habeat adscribendi facultatem: non sufficit vero moralis, interpretativa vel repraesentativa praesentia per litteras aut alio quovis modo per interpositas etiam personas: atque hic alter est sensus, quo adscriptiones *absentium* juxta resolutiones in Americana et juxta memoratum decretum irritae sunt, ac praesenti etiam instructione irritae quidem generali lege, sed *cum infrascriptis exceptionibus* declarantur.

III. Quamvis generatim relate ad communicationem indulgentiarum communes pro quavis Societate latae sint leges, praesertim in Constitutione Clementis VIII *Quaecumque*, tamen relate ad legem de non adscribendis *absentibus* ejusque exceptiones, aequum est distinguere inter Sodalitia, quae strictiori sensu collegia dici possunt, ut esse solent pleraeque proprii nominis Confraternitates ad modum organici corporis constitutae, et Sodalitia, quae laxiori modo sociali vinculo colligantur, ut esse solent plures etiam Confraternitates et pleraeque piae Associationes, Congregationes, Aggregationes, Uniones ac Pia Opera, ut vocant. Inter plura discrimina quae ad praesentem scopum non refert nec facile est accuratius inquirere, illud maxime ad rem pertinet advertere, quod strictiori sensu Collegia, seu proprii nominis Confraternitates et Sodalitia, quae ad illas in organica sui constitutione magis accedunt, soleant etiam juxta proprias leges pro sodalium inscriptione certam aliquam habere formam cum aliqua solemnitate ac ritu, ut publica candidatorum petitio ac praesentatio, probatio aliqua et novitiatus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cincturae, quae ex sui natura personalem praesentiam requirunt. Pro hujusmodi itaque Sodalitatibus cujuscumque sint nominis, nulla praesenti declaratione datur generalis ac ordinaria exceptio a lege de non adscribendis *absentibus:* tantum conceditur earum Moderatoribus eorumque Delegatis, ut in casibus singularibus dispensare possint a statuta forma inter praesentes ac *ab-*

sentes etiam per singularem seu extraordinariam exceptionem rite adscribere.

IV. Pro Sodalitatibus etiam, piis Unionibus, piis Operibus et cujuscumque sint nominis, Societatibus, quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam inter praesentes, decretum quoad *absentes*, quantum fieri potest, rite servetur; et potius *praesentium* adscriptio facilior reddatur ac pro viribus promoveatur, multiplicatis canonice associationum centris auctoque pro opportunitate Zelatorum, Zelatricium, Promotorum, vel quovis nomine nuncupentur eorum numero, qui juxta approbatas Sodalitii leges non modo inscriptionum utcumque promovendarum officium, sed etiam *adscribendi subdelegatam habeant facultatem*. Sed quum id nec semper, nec ubique fieri possit, nec plane sufficiat, apostolica benignitate indulgendum esse videtur, ut, qui *praesentes* commode nequeunt, non omnino excludantur, sed quamvis *absentes* per litteras, vel interpositas personas, quae eos repraesentent, adscribi discrete valeant, vitando simul abusus, quibus maxime praecavendis adscribendorum praesentia exigitur. Itaque quum plurium diversi nominis Sodalitatum ac piorum Operum vis et utilitas maxime sit in fidelium *numero*, qui ad varia pietatis et charitatis exercitia consociantur, ne praesentiae conditio impedimento sit felicibus Societatum incrementis, ac ne plurimi fideles bonae voluntatis ab inscriptionis beneficio contra decreti mentem praepediantur, Sacra Congregatio, attentis plurium Sodalitatum et maxime Episcoporum postulationibus, praesenti hac dispositiva declaratione per amplam a littera legis exceptionem apostolica auctoritate declarat, etiam *absentes* ad hujusmodi pias Associationes adscribi posse, servata tamen decreti mente, spiritu ac scopo, ut scilicet non solum augeatur numerus, sed etiam adscribendorum devotioni consulatur, non temere, leviter ac turmatim collectis nominibus, sed discrete, ne alii, quantum fieri potest, inscribantur, nisi qui absentes quidem corpore, sed praesentes spiritu, scientes et volentes piae Societati adscribi, injuncta opera adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

V. Porro exceptiones speciales vel ob probata quarumdam Sodalitatum statuta, quae absentium etiam inscriptionem includere, aut supponere, aut flagitare videntur; vel ob privilegia; vel ob singularem fidelium devotionem sua directe mittendi nomina ad insignia quaedam Sanctuaria, Sodalitatum centra; vel denique ob varia Sodalitatum, personarum, locorum ac temporum adjuncta, partim jam vel declaratae, vel ad tempus concessae, quin necesse sit eas singillatim recensere, generali hac decreti benigna interpretatione et dispositiva declaratione simul omnes comprehenduntur, ratae habentur, confirmantur atque ampliantur.

Hanc vero Sacrae Congregationis instructionem et declarationem SSmus D. N. Leo PP. XIII in Audientia ab infrascripto Cardinali ejusdem Congregationis Praefecto die 26 mensis Novembris 1880 habita benigne approbavit et promulgari mandavit, ac sanatis prius, si quae factae fuerint, irritis *absentium* adscriptionibus, decretum diei 13 Aprilis 1878 in posterum juxta praesentem benignam interpretationem et dispositivam declarationem observari praecepit.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano** Praef.
Pius Delicati Secret.

Decretum, quod sequitur, quia suo loco imprimi non potuit, hic ad calcem appositum est.

1855 12 Martii. Absolutio generalis.

Massilien. Ex parte Clarissarum civitatis Massiliensis in Gallia exponebatur: *Ferraris* (Prompta biblioth. canon. verbo *Indulg.)* tradit: „Ex concessione Leonis X Clarissae „possunt consequi plenariam absolutionem et indulgentiam, „ac insuper papalem benedictionem quatuor in anno diebus, „quibus maluerint, et addit formulam sequentem:[1])

„*Confiteor* etc. *Misereatur* etc. *Indulgentiam* etc. deinde: „Dominus Noster Jesus Christus per merita suae sanctissimae

[1]) Quae tamen formula suppressa est decreto hujus Sac. Congreg. Indulg. diei 22 Martii 1879 in una Tertii Ordinis S. Francisci, et altera eidem substituta per S. R. C. decretum diei 7 Maji 1882; vide num. 444.

„Passionis vos absolvat, et gratiam suam vobis infundat. Et „ego auctoritate ipsius et BB. Apostolorum Petri et Pauli et „Summorum Pontificum Ordini Nostro ac vobis concessa, et „mihi in hac parte commissa absolvo vos ab omni vinculo „excommunicationis majoris vel minoris et interdicti, si quod „forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fide„lium necnon sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem „auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et „regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum „Majorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis seu „etiam neglectis, et ab omnibus peccatis vestris, quibus contra „Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia vel ma„litia deliquistis, concedens vobis remissionem et indulgentiam „plenariam omnium peccatorum vestrorum confessorum, et „etiam cunctorum, de quibus non recordamini, aut oblitae „fuistis, in quantum claves Ecclesiae se extendunt, et restituo „vos illi innocentiae, in qua eratis, quando baptizatae fuistis, „et quomodo Sanctitas Domini Nostri N. Papae faceret, si „ipsemet in confessione peccata vestra auscultasset etc. ac „eadem auctoritate Apostolica benedictionem papalem vobis „impertior. In nomine Patris etc. *(Deinde injungitur poeni„tentia.)* Ite in pace et gratia Dei, et orate pro me.

„Item ex concessione ejusdem Leonis X possunt consequi „plenariam absolutionem et indulgentiam in omnibus solemni„tatibus, seu festis Domini Sabaoth, et B. M. V. omniumque „Sanctorum et Apostolorum Petri et Pauli, ac S. Patris Fran„cisci, et S. Clarae, et per totam majorem hebdomadam, et „insuper in festo S. Catharinae V. et M.; et traditur formula, „quae eadem est ac prior, excepto quod terminetur ad haec „verba: baptizati fuistis."

Quaeritur igitur:

1° *An gratiae praedictae sint adhuc adnexae his formulis, non obstante Bulla Pauli V de indulgentiis Regularium?*

2° *An retineri vel introduci possit usus illas impertiendi?*

3° *An per festa Domini Sabaoth, intelligenda sint: Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, et etiam festum Trinitatis et Corporis Christi?*

4° *An per festa B. M. V. intelligenda sint: Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas, Praesentatio et Conceptio?*

5° *Quia de priori formula dicitur, quod debeat recipi de consensu confessarii, an sufficiat, ut Abbatissa illum ab eo expostulet, quibusdam diebus ante, nomine sororum?*

6° *An confessarius et capellanus, qui non esset confessarius, possint illas impertire ex delegatione Ordinarii, cui Clarissae subjiciuntur?*

Sac. Congregatio in generalibus comitiis habitis in Apostolico Palatio Vaticano die 5 Martii currentis anni, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, respondendum esse duxit:

Ad 1m: *Affirmative, excepta indulgentia plenaria pro vivis.*

Ad 2m: *Affirmative, juxta modum, ut in prima.*

Ad 3m: *Affirmative, juxta consuetudinem.*

Ad 4m: *Affirmative, juxta consuetudinem.*

Ad 5m: *Affirmative.*

Ad 6m: *Affirmative.*

Cum vero de praemissis SSmo D. N. Pio PP. IX a me subscripto ejusdem Sacrae Congregationis Secretario facta fuisset relatio in Audientia diei 12 ejusdem mensis Martii, Sanctitas Sua praefatas EE. PP. resolutiones benigne approbavit.

F. Card. **Asquinius** Praef.
A. Colombo Secret.



APPENDIX

IN QUA CONTINENTUR NONNULLA DOCUMENTA QUÆ PASSIM IN DECRETIS CITANTUR.

I.

Clementis PP. VIII Constitutio super modo et forma per quoscumque Regulares Ordines, Religiones, Instituta, seu Archiconfraternitates et Congregationes saecularium, tam Urbis, quam aliarum civitatum et locorum, in erectionibus, institutionibus et aggregationibus Confraternitatum et Congregationum, et communicationibus privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, aliarumque spiritualium gratiarum et indultorum eisdem Confraternitatibus et Congregationibus faciendis in posterum observandis.

Ad num. 6., 56. et 388.

Clemens PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Quaecumque a Sede Apostolica ad promovendam Christifidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaque prudentia et cautione sancita et decreta sint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus progressu temporis animadvertit, sensim aliquos abusus in eisdem statutis et decretis observandis provenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, et quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio, providere. Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et forsan etiam a Nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus et Institutis, ac etiam Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus diversarum nationum, nominum et institutorum, tam in Alma Urbe Nostra, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis, facultas erigendi et instituendi in eorum et aliis ecclesiis et collegiis, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates et Congregationes in eadem Urbe et in aliis locis existentes, eisque privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective communicandi attributa fuerit,

ac nulla certa forma, vel ratio praescripta sit, quae in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus faciendis servari debeat; propterea sive negligentia Superiorum Ordinum, Religionum et Institutorum, vel officialium Archiconfraternitatum et Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae Confraternitatibus et Congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, non servant formam in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum et Congregationum incuria, quae non inquirunt ea, quae praestare oportet, ut illa consequantur, nonnullae pravae consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde provenerunt, quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicae sollicitudinis officio, paternaque erga omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac Nostra Constitutione perpetuo valitura decernimus atque statuimus, ut in posterum tam hujus Almae Urbis Nostrae, quam aliarum Civitatum et locorum totius christiani orbis Regularium, Ordinum et Religionum et Institutorum, quibus in eorum et quibuscunque aliis ecclesiis et collegiis Confraternitates saecularium erigendi et instituendi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfraternitatum et Congregationum cujusvis nationis, nominis et instituti illae sint et in quibuscumque ecclesiis, domibus et oratoriis, tam saecularium, quam, ut praefertur, quorumcumque etiam mendicantium Ordinum, Religionum, Institutorum Regularium, quavis tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate erectae ac institutae existant, seu alias quovis modo introductae reperiantur, quibus alias Confraternitates et Congregationes instituendi, erigendi ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta praedicta elargiendi et communicandi potestas a Romanis Pontificibus Praecessoribus Nostris, vel a Nobis et Apostolica Sede attribu-

fuit, Magistri, Priores, Praepositi, Rectores, Gubernatores, Praeceptores, Primicerii, Praelati, Custodes, Guardiani, Praefecti, Administratores et alii Officiales, seu Superiores quovis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum et Institutorum unam tantum Confraternitatem et Congregationem de consensu tamen Ordinarii loci, et cum litteris ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis et Congregationis erigendae et instituendae pietas et christianae charitatis officia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis erigere et instituere; ceterarum vero Archiconfraternitatum et Congregationum in singulis civitatibus, oppidis, vel locis unam etiam Confraternitatem et Congregationem dumtaxat, quae Apostolica vel Ordinaria auctoritate prius erecta ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati et Congregationi ejusdem vel alterius nationis, nominis et instituti aggregata sit, praevio similiter loci Ordinarii consensu et cum ejus litteris testimonialibus, quibus ejusdem Confraternitatis et Congregationis aggregandae institutum, pietas et christianae charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adjungere et aggregare possint; huic vero Confraternitati et Congregationi erigendae, instituendae, seu aggregandae ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta, quae ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti ac communicanti, seu Archiconfraternitati et Congregationi aggreganti nominatim, et in specie, non autem quae per extensionem, vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse et in specie communicare valeant. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum et Institutorum erigentium et instituentium ac communicantium, seu Archiconfraternitatum et Congregationum aggregantium edita Confraternitatibus et Congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum et aliorum praedictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint,

quae nihilominus ejusdem Episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus semper subjecta remaneant. Insuper volumus et ordinamus, ut praedicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia ac communicantia, necnon Archiconfraternitates et Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi et communicandi formulam a Nobis novissime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus et Congregationibus aggregantibus nominatim et expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra, concessa ipsis Confraternitatibus et Congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes fiunt, communicare possint, quibus Confraternitates et Congregationes ejusdem dumtaxat nationis et nominis, Ordinis, Religionis et Instituti, Archiconfraternitatis et Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatae, quam in posterum aggregandae utantur, potiantur, gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum et Congregationum erectarum, institutarum et aggregatarum ac quibus communicationes factae sunt, ministri et officiales et alii supradicti privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta hujusmodi, praevia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejusdem ecclesiae Capitulo, illa juxta Sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant; quibus etiam ministris, officialibus et aliis praedictis eleemosynas et alia oblata christianae charitatis subsidia, juxta modum et formam per Ordinarium loci praescribendam, remotis tamen mensis, pelvibus et capsis, quae in ecclesiis et oratoriis dictarum Confraternitatum et Congregationum publice ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia ac communicantia, seu Archiconfraternitates et Congregationes aggregantes, tam Almae Urbis Nostrae, quam aliarum civitatum et locorum quorumcumque juxta modum a Vicario

Urbis et ab Ordinariis locorum respective praescribendum, observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem et ornatum ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium et communicantium, ac Archiconfraternitatum et Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum et Congregationum erigendarum, instituendarum et aggregandarum et quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus arbitrio ejusdem Vicarii Nostri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum respective fideliter exponere atque erogare procurent, ut omnes intelligant, coelestes Ecclesiae thesauros, non quaestus, aut alicujus lucri causa, sed pietatis et charitatis excitandae gratia ex Apostolicae Sedis benignitate Christifidelibus aperiri. Praeterea volumus, ut confessarii, qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus et Congregationibus aggregantibus concessorum ac Confraternitatibus et Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt et poterunt, saeculares scilicet in Alma Urbe a praedicto Nostro Vicario, extra Urbem vero a locorum Ordinariis, Regulares autem non solum a praedicto Vicario Nostro, et a locorum Ordinariis respective, sed etiam a suis Superioribus approbati sint, utque confratres confitentes a criminibus, casibus et censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et sacris Concilii Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum et nostris Constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam et tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem confessarii praedictos confratres cujuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae, etiam si speciali nota dignae fuerint, a casibus contentis in litteris, quae die Coenae Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis et libertatis ecclesiasticae, et clausurae monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria et urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa et licentia concessa abutentes praedicta monasteria ingressi fuerint, necnon vio-

lentae manus injectionis in clericum et singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus tam a Nobis, quam a praedicto Nostro in Urbe Vicario et locorum Ordinariis respective reservatis et pro tempore reservandis et etiam a quavis excommunicatione ab homine lata absolvere et super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare praetextu dictorum privilegiorum nullo modo possint. Demum statuimus et pariter ordinamus, ut Confraternitates et Congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut praefertur, erectae et institutae, et quibus communicationes praedictae factae sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus et Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus et Congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatae, ab eisdem respective Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus et Congregationibus novas erectionum, institutionum, communicationum et aggregationum litteras, juxta formam a Nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europa sint, et si extra Europam fuerint, infra biennium a die publicationis praesentium in Romana Curia faciendae computandos impetrare teneantur: alioquin, dicto tempore elapso, erectiones, institutiones et quaecumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum et indultorum, et aggregationes illarum vigore ipsis concessae nullius sint roboris et momenti ac revocatae et abolitae censeantur eo ipso. Erectionum autem, institutionum, communicationum et aggregationum, tam hactenus factarum, quam deinceps faciendarum litterae ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus et Congregationibus gratis omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus accepta, expediri et concedi debeant. Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, Institutorum seu Archiconfraternitatum, Congregationum et Confraternitatum hujusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio et officio fungantur et praefulgeant, contra praemissa in aliquo venire, vel facere praesumpserint, erectiones, institutiones et communicationes

privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum et Indultorum, aliorumque praemissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendae, seu renovandae nullius sint roboris et momenti, et quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium et aliorum praedictorum privationis officiorum, quae obtinet, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam, quae ab alio, quam a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso. Decernentes praesentes litteras perpetuo validas et efficaces existere et fore ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicque Nostrae mentis et intentionis existere, et ita et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac quorumcumque Ordinum, Religionum et Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum et Confraternitatum saecularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, ac Bulla aurea nuncupatis Regularibus Ordinibus, Religionibus, Institutis seu Archiconfraternitatibus, Congregationibus et Confraternitatibus saecularium, eorumque Superioribus, et aliis quibusvis personis cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existentibus, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio et consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum, etiam pluries concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis,

eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores ac si ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Litterae ad omnium, quos concernunt, notitiam facilius deveniant, volumus illas ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe et in Acie Campi Florae more solito publicari et affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque publicatione hujusmodi, omnes Regulares Ordines, Religiones, Instituta et Archiconfraternitates, Congregationes et Confraternitates saecularium, quae in Urbe quidem, post mensem, quae vero in Europa, post decem menses, quae demum extra Europam fuerint, post octodecim menses a die publicationis hujusmodi computandos, perinde afficere et arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatae fuissent. Et nihilominus, ut ipsae praesentes Litterae notiores fiant, magisque omnibus innotescant, universis et singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis per easdem praesentes committimus et mandamus, ut per se, vel alium, seu alios hasce Nostras Litteras, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis magis expediri visum fuerit, in suis Cathedralibus et majoribus respective ecclesiis civitatum, oppidorum et locorum quorumcumque eorum dioecesum, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent et publicari auctoritate Nostra mandent ac faciant. Ceterum, quia difficile foret, easdem praesentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, et simili auctoritate decernimus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae mu-

nitis eadem ubique fides habeatur, quae ipsismet Litteris haberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris, die septima Decembris 1604.

M. Vestrius Barbianus.

II.

Declaratio et extensio Constitutionis Clementis VIII circa formam communicandi indulgentias.

Ad num. 6 et 56.

Paulus PP. V. Ad perpetuam rei memoriam.

Quae salubriter a Praedecessoribus Nostris, Romanis Pontificibus constituta sunt, ut ab omnibus, praesertim in Alma Urbe Nostra inviolabiliter observentur, ex officii Nostri debito providere tenemur, prout in Domino conspicimus expedire.

1. Olim siquidem fel. rec. Clemens PP. VIII Praedecessor Noster, volens nonnullas pravas consuetudines tollere, quae irrepserant in usu facultatum a Sede Apostolica concessarum nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus et Institutis, ac etiam Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus diversarum nationum, nominum et institutorum, tam in praedicta Alma Urbe Nostra, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis erigendi et instituendi necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates et Congregationes, eisque privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective communicandi, perpetua valitura Constitutione, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica*, facultates hujusmodi moderando, indulgentias aliasque spirituales gratias communicandas et formulam easdem Confraternitates et Congregationes erigendi, instituendi, aggregandi et respective communicandi praescripsit, et alia constituit, voluit et ordinavit, prout in Litteris in hujusmodi forma Brevis sub Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 7 Decembris 1604 Pontificatus sui anno 13 desuper expeditis plenius continetur.

2. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii, Capitulum et Canonici Basilicae Lateranensis de eadem Urbe diversas ubique constitutas ecclesias vel capellas, seu altaria vel oratoria eidem Basilicae submittere, subjicere, annectere, incorporare ac in Basilicae praedictae membrum recipere atque in submissione, subjectione, annexione, incorporatione et receptione hujusmodi eisdem, necnon aliis similiter ecclesiis, capellis, altaribus, seu oratoriis et piis locis aedificatis et constructis in solo Lateranensi, varias indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias, indulta et privilegia concedere soleant, dicta Constitutionis forma, eo quod in ea se non comprehendi praetendant, minime servata.

3. Propterea Nos, volentes, ut Constitutio praedicta tam ab eisdem Lateranensis Ecclesiae Capitulo et Canonicis, quam ab aliis quibuscumque jus et facultatem communicandi hujusmodi indulgentias habentibus, ut par est, sine discrimine in posterum observetur, Constitutionem et Litteras praedictas Clementis Praedecessoris cum suis clausulis et decretis ad Basilicae Lateranensis et aliarum Basilicarum et ecclesiarum quarumcumque Capitula, Canonicos et quasvis alias personas similes facultates habentes illisque utentes, ad effectum videlicet, ut ipsa Capitula et Canonici ac personae nullas in posterum indulgentias communicare possint, nisi praedictae Constitutionis forma servata et eas solummodo, quae a Nobis illis praescribentur, auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus, et ab ipsis, perinde ac si eorum expressa mentio in dictis Litteris facta esset, perpetuis futuris temporibus, sub poenis in eisdem Litteris contentis, inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

4. Non obstantibus praemissis et omnibus illis, quae idem Clemens Praedecessor dictis in Litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, quod indulgentiae, peccatorum remissiones, gratiae et privilegia per dictum Capitulum et Canonicos Lateranenses vigore indultorum eis a Sede praedicta concessorum quibusvis ecclesiis, capellis, altaribus, oratoriis et locis piis hactenus concessa et communicata in suo robore permaneant.

5. Quodque praesentium transumptis etc. etc. *(clausula consueta).*

Datum Romae apud S. Petrum 3 Novembris 1610. Pontificatus Nostri anno sexto.

III.

Ad num. 17. 18. 27. 53.

Paulus PP. V. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in Beati Petri Sede constitutus, cui inter alia coelestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, sollicite prospicere debet ac solerter, ut hujusmodi indulgentiarum dispensatio et usus ad Dei gloriam et animarum salutem praecipue dirigatur, et ne ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriatur. Proinde cum fel. rec. Clemens PP. VIII, Praedecessor Noster, magna cum diligentia et sollicitudine procuraverit, abusus et corruptelas, tum in communicando indulgentiarum thesauro, tum in modo illas recipiendi irreptos tollere et propterea sua quadam Constitutione formam aggregandi, instituendi et recte administrandi Societates et Confraternitates praescripserit, licet morte praeventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem exsecutionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa indulgentias a plerisque Romanis Pontificibus Praedecessoribus, Religionibus et Ordinibus monasticis et mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit: Nos, qui nullis Nostris meritis, sed sola Dei benignitate ad Summi Apostolatus officium vocati sumus, susceptum a tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum catholicae Ecclesiae regimen suscepimus, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus a dicto Clemente Praedecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis Praedecessoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur et indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem nobiscum communicarent. Cum itaque praefati Cardinales privilegia, concessiones et gratias praedictis Religionibus et Ordinibus concessas diligenter inspexerint et examinaverint, ac eorumdem Ordinum

Superiores et Officiales pluries audiverint, ac circa easdem indulgentias varia dubia et incertitudines et confusiones adesse compererint et ex judicio eorumdem etiam Regularium, vel aliquorum ex illis Nobis proposuerint, valde expedire pro eorum majori securitate et beneficio, ut indulgentias ipsis Religionibus et Ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus et revocaremus, ac alias particulares illis concederemus: Nos, matura super hoc consultatione praehabita, cupientes personis Regularibus quibuscumque quorumvis Ordinum, tam monasticorum, quam mendicantium spirituale solatium et juvamen afferre, infrascriptas indulgentias et gratias, quas personis Regularibus intra claustra aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus. Omnibus igitur Christifidelibus, qui canonice et juxta ordines cujuslibet Religionis et Constitutiones Apostolicas habitum regularem a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac cuilibet novitio, qui poenitens et confessus ac sacra Communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam; necnon cuilibet Religioso intra claustra sui monasterii viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus et sacra Communione refectus fuerit, aut Missam recitans et pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam; in cujuslibet vero mortis articulo, si pariter vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem, corde, devote invocaverit, etiam plenariam. Qui vero ad presbyteratus Ordinem canonice promotus, et confessus primam Missam celebrabit, necnon etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac sacra Communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam; iis

vero, qui de suorum Superiorum licentia, a negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis Domini Nostri Jesu Christi et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium saltem per duas horas in diem, et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praetera iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, consequantur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent. Omnibus item Religiosis intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante altare eorum ecclesiae dixerint, in quolibet die quinque annos, et totidem quadragenas; iis vero, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tanquam praedicatores et lectores, quinquies eamdem orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos et totidem quadragenas: necnon etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi et sacra Communione ultima Dominica mensis hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas; qui vero contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, tres annos, et totidem quadragenas. Quotiescunque autem de licentia

Summi Pontificis, aut suorum Superiorum in ditiones et terras infidelium, aut haereticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum et Ecclesiae gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi ac sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, et quando in Provinciam, ubi praedicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus et elargimur. Et insuper cum Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi et sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, ut praefertur, concedimus. Volumus autem, ut omnes supradictae indulgentiae et gratiae, Religiosis regularibus cujusvis Ordinis, tam monastici, quam mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae, etiam omnibus Monialibus cujusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus, tam Ordinariis locorum, quam etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, regulae et instituti subjectis suffragentur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Ceterum omnes et singulas indulgentias quibuscumque Ordinibus et institutis regularibus hujusmodi, etiam mendicantibus et quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum et Litterarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros ac Nos et Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas et in-

novatas, auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et abrogamus et ad praesentium Nostrarum Litterarum praescriptum reducimus et moderamur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac eorumdem Ordinum et Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis, etiam Mare magnum et Bulla aurea nuncupata eisdem Ordinibus et Institutis, eorumque Monasteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides habeatur ubique, quae praesentibus ipsis originalibus litteris haberetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 23 Maji 1606 Pontificatus Nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

IV.

Decretum Alexandri PP. VII. super indulgentiis, quae tam a Sanctitate Sua, quam ab ejus Praedecessoribus coronis, rosariis, granis, calculis, crucibus, numismatibus (*medaglie* vulgo nuncupatis) et sacris imaginibus benedictis hactenus concessae sunt, et in posterum a Sanctitate Sua concedentur.

Ad num. 34.

SSmus D. N. Alexander PP. VII. declarat et decernit, quod quaecunque coronae, rosaria, grana, calculi, cruces, numismata (*medaglie* vulgo nuncupatae) et sacrae imagines,

sive sint S. Caroli Borromaei, sive quinque Sanctorum a fel. rec. Gregorio XV Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatorum, sive quaecumque aliae cum indulgentiis antea a Romanis Pontificibus, Sanctitatis Suae Praedecessoribus, benedictae et concessae (quae quidem in hunc usque diem distributae sunt), non transeant personam illorum, qui eas de praesenti obtinent, neque commodari, aut precario dari possint; et quae a Sanctitate Sua concessa sunt, vel in posterum concedentur, non transeant similiter personam illorum, quibus ab eodem SSmo concessae fuerint, vel quibus a praedictis de ordine ejusdem SSmi prima vice fuerint distributae, ita ut a nemine aliis commodato vel precario concedi possint, alioquin careant indulgentiis concessis. Et quantum attinet ad coronas, rosaria, grana seu calculos, cruces, numismata *(medaglie* nuncupatas) et sacras imagines cum indulgentiis ab iisdem Sanctitatis Suae Praedecessoribus benedictas et concessas, quae usque in hodiernum diem effectum sortitae non sunt, id est nulli hactenus distributae sunt, nemini uti benedictae deinceps distribui possint, quodsi de facto distribuantur, careant indulgentiis jam concessis. Ac aliqua re ex praemissis, ut praefertur, benedicta, deperdita, altera pro ea subrogari nullo modo possit, quacumque concessione in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis et expressa mentio facienda esset, cui per praesentes Sanctitas Sua derogavit et derogatum esse voluit.

Datum Romae die 6 Februarii 1657 Pontificatus ejusdem SSmi D. N. anno secundo.

Gualterius.

V.

Benedicti PP. XIII Constitutio, in qua pium exercitium Viae Crucis peragentes apud Fratres Minores de Observantia nuncupatos, indulgentiarum omnium, quas Summi Pontifices stationibus Terrae sanctae concesserunt, participes efficiuntur, ipsaeque indulgentiae approbantur et confirmantur.

Ad num. 108.

Benedictus PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Inter plurima et maxima signa immensae erga nos Dei bonitatis ubique occurrentia, summam et admirabilem ejus in humanum genus charitatem declarat aeterni ejusdem

Filii Jesu Christi passionis inexplicabile sacramentum, quo erepti sumus ex faucibus tenebrarum. Hinc Romani Pontifices, antecessores Nostri eamdem passionem memoria recolentibus Apostolicas indulgentias et gratias donare consueverunt, quas ad pios Christifideles in Dominicae passionis contemplatione sese exercentes, a Nobis extendi et confirmari, ut christiana religio in hominum cordibus augeatur, plurimum in Domino expedire putamus.

2. Ea propter dilectus filius, Frater Josephus Maria ab Ebora, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum beati Francisci, qui de Observantia nuncupantur, petitionem nuper exhibendam Nobis curavit, qua continebatur, Fratres ejusdem Ordinis pium exercitium, Viae Crucis appellatum, quo tota Dominicae passionis series pictis tabulis, ubi commode fieri posset, expressa, inque plures stationes distributa, eo modo, quo peregrini civitatis sanctae Hierusalem loca ipsa, ubi Christus passus est, recolentes et frequentantes, invisunt, contemplanda proponeretur, in varias Christianorum provincias magno animarum fructu intulisse, ac piae recordationis antecessorem Nostrum Innocentium Papam XII hujusmodi exercitium largitione coelestium munerum promovisse per Litteras Apostolicas, in forma Brevis sub annulo Piscatoris, incipientes: *Ad ea, per quae,* Romae datas apud sanctam Mariam Majorem die 24 Decembris anno 1692, pontificatus 2., ubi inter alia omnibus et singulis Fratribus et Monialibus atque aliis utriusque sexus personis Ordinum et Congregationum, obedientiae seu directioni Ministri Generalis Fratrum Minorum de Observantia subjectis, Christique fidelibus, confratribus et consororibus quarumcumque Confraternitatum et Societatum, sive sub titulo Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, sive sub alia qualibet invocatione in eorumdem Fratrum et Monialium ecclesiis canonice erectarum sive erigendarum, orationi mentali, quae dicitur Viae Crucis exercitium, quo, ratione suae regulae et constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus, pro qualibet vice dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos vel saltem per quadrantem horae singulis diebus, perque totum mensem orationi et exercitio hujusmodi vacantibus;

dummodo vere poenitentes et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumsissent, proque christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fudissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium Deo in caritate conjunctis, ex hac vita migrantibus applicare possent, Apostolica auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit.

3. Postmodum dictus Innocentius antecessor per alias Apostolicas litteras, incipientes: *Sua nobis,* sub plumbo Romae datas apud Sanctam Mariam Majorem VII. Kalendas Januarias anno Dominicae Incarnationis 1695 pontificatus V. inter alia decretum Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum diei 12 Nov. anni 1695 per se die 15 ejusdem mensis approbatum declaraverat, pia loca viae Crucis seu Calvarii ad recolendam et meditandam Christi passionem, a praedictis Fratribus et Monialibus, aliisve personis ad instar stationum Calvarii montis erecta atque instituta, in privilegiorum atque indulgentiarum plenariarum nondum revocatarum generali, mutua et reciproca communicatione per Apostolicam Sedem concessa et litteris piae memoriae antecessoris Nostri Innocentii Papae XI. in forma Brevis sub die 5 Septembris anni Incarnationis Dominicae 1686 comprehendi; ideoque frui et gaudere indulgentiis in iisdem litteris Innocentii Papae XI expressis: quae omnia sub sententiis, censuris et poenis in contradictores infligendis, exsecutioni tradi et publicari mandavit, ut in utrisque litteris ejusdem Innocentii Papae XII plenius continetur.

4. Quum autem, sicut eadem petitio Fratris Josephi ab Ebora subjungebat, praedictum exercitium Viae Crucis in omnibus ferme ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, diebus festis tam pio operi adsignatis, religiose peragatur, quamplurimis Christifidelibus, Ministro Generali nequaquam subjectis extra Ordinem quoque illuc accedentibus, idcirco iidem Fratres, ut tam sanctum exercitium pro animarum salute ulterius propagetur, indulgentias et privilegia etiam per viam communicationis, ut praefertur, concessa

et utriusque Innocentii Antecessorum Nostrorum litteras superius memoratas, atque alias, si quae sunt, idem exercitium respicientes, decretumque a Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus olim confectum ac postmodum Apostolica auctoritate confirmatum, praevia ejus declaratione ad tollendas omnes ambiguitates, super ejus interpretatione forsan exortas, per Nos et Sedem Apostolicam approbari et confirmari cupiant, easdemque indulgentias et privilegia ad quoscumque Christifideles, etiam dicto Ministro Generali nullo modo subjectos, extendi et ampliari enixe deposcant.

5. Hinc ad dicti Fratris Josephi Mariae preces, praemissis omnibus opportune providere cupientes, Nos, qui omnem operam libenter impendimus, ut omnes Dominicae passionis memoriam saepe animo repetant et salutarem illius fructum percipiant, eumdem Josephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, indulgentias etiam, pro animabus in Christi caritate defunctorum applicabiles et privilegia etiam per viam communicationis concessa in litteris utriusque Papae Innocentii, inque decreto Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium expressa et declarata ac quibuscumque aliis litteris Apostolicis idem exercitium Viae Crucis respicientibus, ad tollendam omnem ambiguitatem, alienamque interpretationem, inde quomodocumque ortam, aut fortasse orituram, ut fideles per exercitationem bonorum operum sacrosanctos Ecclesiae thesauros absque ulla animi haesitatione adipiscantur, declaramus, Fratres, Moniales ac personas superius memoratas, exercitium Viae Crucis hujusmodi peragentes, de privilegiis et indulgentiis etiam plenariis sub generali, mutua et reciproca communicatione per Sedem Apostolicam concessis, vere communicare et participes fieri, proptereaque frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis, quae Romani Pontifices locis sanctis ac illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti

fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent: atque ita ab omnibus asseri et censeri debere volumus; ideoque ea omnia hactenus recensita, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus, approbamus et innovamus ac perpetuae ac inviolabilis Apostolicae firmitatis robor iisdem adjicimus, omnesque et singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

6. Insuper, ne a participatione bonorum spiritualium, quae ab exercitio Viae Crucis provenire speramus, ullus arceatur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentias, etiam animabus in Christi caritate defunctorum applicabiles et privilegia superius expressa, etiam per viam communicationis indulgentiarum, quae locis sanctis intra et extra Hierusalem concessae fuerunt aut alias quomodolibet, Fratribus, Monialibus ac personis jam dictis, quae per Nos approbantur et confirmantur, ad quoscumque Christifideles utriusque sexus Ministro Generali nullo modo subjectos, qui exercitium Viae Crucis et alia christianae pietatis opera eisdem modo et forma, quae a Fratribus et personis praedictis peraguntur, pie ac devote penes Fratres dicti Ordinis privative quo ad alios quoscumque, peragent et implebunt, perpetuo extendimus et ampliamus.

7. Decernentes, praesentes litteras Nostras, inque eis contenta quaecumque de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, aut quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, aut contra illas quodcumque juris vel facti, aut gratiae remedium impetrari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per Nos vel Successores Nostros Romanos Pontifices aut Sedem Apostolicam pro tempore factis, comprehendi non posse, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo semper concessas ac perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus

sortiri et obtinere debere; sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuntios judicari, et definiri debere: et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, piae memoriae Pauli Papae V similiter Praedecessoris Nostri nonnullarum indulgentiarum revocatione sive moderatione, aliisque constitutionibus et ordinationibus ac Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de indulgentiis non concedendis *ad instar*, dictique Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, innovationis, roboris adjectionis, defectuum suppletionis, extensionis, ampliationis et decreti infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Dominicae incarnationis millesimo septingentesimo vicesimo sexto, 5 nonas Martias, Pontificatus Nostri anno tertio.

P. Card. **Prodatarius.**
Pro Domino Cardinali **Oliverio**
C. Archiepiscopus **Emissenus.**

VI.

Clementis PP. XII. Declaratio quod Viae Crucis erectae et erigendae in ecclesiis, ac locis non subjectis, nec dependentibus ab Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia fruantur privilegiis et indulgentiis, quibus gaudent institutae in ecclesiis et locis ejusdem Ordinis.

Ad num. 108.

Clemens PP. XII. Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Bernardus Monterde, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo, quam dilecti etiam Filii moderni Ministri Generalis dicti Ordinis nomine,

quod cum antiqua vigeret ac etiam nunc vigeat in Ordine hujusmodi consuetudo erigendi et instituendi per illius Fratres, in vim facultatis sibi alias a Sede Apostolica concessae, pia loca Viae Crucis, seu Calvarii nuncupata, ad instar Stationum Montis Calvarii, nedum in ejusdem Ordinis, sed etiam in aliis ecclesiis ac locis ab eo minime dependentibus, isque mos in universis regnis Hispaniarum ac plurimis Italiae regionibus semper antehac retentus fuerit et adhuc de praesenti servetur; licetque dudum fel. rec. Innocentius Papa XII Praedecessor Noster, ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret, Commissarii Generalis pro ultramontana Familia dicti Ordinis, praefata loca pia Viae Crucis, seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innocentii Papae XI Praedecessoris quoque Nostri Litteris in simili forma Brevis die 5 Septembris 1686 super confirmatione diversarum indulgentiarum et privilegiorum ipsius Ordinis editis comprehendi ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in Litteris hujusmodi concessis et expressis declarasset per Suas itidem in forma Brevis die 5 Decembris 1696 desuper expeditas Litteras, idque absque limitatione ac restrictione dictorum locorum Viae Crucis, seu Calvarii ad ecclesias et loca Ordinis praefati factum fuisset; nihilominus aliqui existimantes facultatem illa erigendi et instituendi ad ecclesias et loca Ordinis praedicti, indulgentias vero et privilegia ejusmodi ad personas obedientiae ac directioni pro tempore existentis Ministri Generalis ejusdem Ordinis subjectas respective limitata et restricta esse, a piae memoriae Benedicto Papa XIII etiam Praedecessore Nostro indulgentias et privilegia praefata ad quoscumque utriusque sexus Christifideles dicto Ministro Generali non subjectos, qui tamen ejusmodi loca pia Crucis, seu Calvarii penes Fratres supradicti Ordinis, privative quoad alios quoslibet visitarent, ibique memoriam Dominicae Passionis devote recolerent, aliaque injuncta opera peragerent, extendi et ampliari obtinuerunt, prout in ipsius Benedicti Praedecessoris Litteris sub plumbo anno Incarnationis millesimo septingentesimo vigesimo sexto, quinto nonas Martii Pontificatus sui anno tertio emanatis uberius continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Bernardus, non minus ratione sui officii Procuratoris Generalis hujusmodi, quam de expresso mandato dicti moderni Ministri Generalis, ad enatam occasione praemissorum confusionem tollendam, remque in statum pristinum restituendam, praedicta loca pia Viae Crucis, seu Calvarii per eosdem Fratres, etiam in ecclesiis et locis, quae non sint dicti Ordinis, erecta et erigenda, eisdem indulgentiis et privilegiis gaudere per Nos declarari summopere desideret, quemadmodum ab ipso Benedicto Praedecessore, postquam Litterae Suae praefatae prodierant, ad supplicationem dilectae in Christo Filiae, Nobilis Mulieris Violantis a Bavaria Principissae Etruriae Viduae, Fratribus Recessus Sancti Francisci ad Montem Florentinum et Conventus de Ambrosiana nuncupat. dicti Ordinis in vim cujusdam Rescripti die decima Novembris 1729 ejus jussu editi, concessum fuisse memoratur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Bernardi votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon utriusque Innocentii et Benedicti Praedecessorum Litterarum praefatarum tenores et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod praedicta loca pia Viae Crucis, seu Calvarii in ecclesiis, oratoriis, monasteriis, hospitalibus et aliis itidem piis locis ipsi Ministro Generali non subjectis, nec ab eo dependentibus per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, et in posterum erigenda, eisdem indulgentiis ac privilegiis fruantur, et gaudeant, quibus fruuntur et gaudent erecta in ecclesiis, et locis Ordinis praefati, autoritate Apostolica tenore prae-

sentium decernimus et declaramus ac quatenus opus sit, de novo concedimus et indulgemus; ita tamen, ut quoad illa sic deinceps erigenda, modus et forma serventur, quibus ejusmodi erectiones in ecclesiis et locis Ordinis praedicti hactenus fieri consueverunt et accedat licentia Ordinarii loci ac consensus parochi et Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit. Decernentes pariter easdem praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar et aliis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, exterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16 Januarii 1731 Pontificatus Nostri anno primo.

F. Cardinalis **Oliverius**.

VII.

Clementis PP. XIII. Litterae Apostolicae, per quas Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, necnon aliquibus inferioribus Praelatis, benedicendi populo nomine Sanctitatis Suae facultatem postulantibus, concedendam esse statuitur ritusque servandus praescribitur.

Ad num. 232.

Clemens PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Inexhaustum indulgentiarum thesaurum a Jesu Christo Domino Nostro Ecclesiae relictum, christiano populo maxime salutarem et summopere in pretio habendum esse, catholicae Ecclesiae auctoritas et Summorum Pontificum

praedecessorum Nostrorum gesta facillime suadent. Cumque per divinae gratiae abundantiam, nullis suffragantibus meritis in suprema Beati Petri cathedra constituti, modo ad pastoralem sollicitudinem Nostram pertineat, per universum Domini gregem vigili cura providere, ut omnia in ea honeste et secundum ordinem fiant; veterem et probatam Ecclesiae consuetudinem circa indulgentiarum dispensationem, quantum fieri potest, restituere et servare, simulque Christifidelium utilitati occurrere studemus.

Inter caetera siquidem spiritualium gratiarum dona, quibus Summorum Pontificum liberalitate Christifideles cumulantur, potissimum locum habet plenaria peccatorum indulgentia et remissio, quae statis anni diebus conceditur, dum Romanus Pontifex solemni caeremonia populo coram ipso congregato benedicit et non raro ipsius Summi Pontificis nomine, effundendae Apostolicae benedictionis super Principes Viros absentes delegata fuit facultas: sed inde invaluit praeter modum usus, etiam verbi Dei praeconibus indulgendi, ut similiter cum plenaria indulgentia Apostolicam benedictionem, non singulari alicui personae, vel familiae, sed universo ad ecclesiam confluenti populo impertiri valerent: nonnullos pariter, non sine aliquo ecclesiasticae disciplinae discrimine, circa harum facultatum exercitium, irrepsisse abusus deprehendimus.

Ut autem spiritualium gratiarum dona, pie, sancte, atque incorrupte administrentur, quodque adeo salubriter institutum est in perniciem non cedat abutentium: praemissa omnia Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae examinanda commisimus, quae exquisitis etiam Consultoribus, votum suum nobis aperiret. Postquam igitur, quid eadem Congregatio, auditis Consultoribus, hac in re sentiret, percepimus, omnibus mature perpensis, justam rationem, congruosque limites in his praescribere volentes, de ipsius Congregationis consilio, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula particularia indulta et privilegia effundendi supra populum Apostolicam benedictionem, per Romanos Pontifices Praedeces-

sores Nostros, ac per Nos etiam quibusvis particularibus personis, sive ecclesiasticis saecularibus, sive cujusvis Ordinis et instituti Regularibus, ad certum tempus, seu ad eorum vitam, non tamen illa per Praedecessores praedictos aliquibus Ordinibus Regularibus attributa, quae modo infrascripto salva esse volumus; respective concessa et elargita, etiamsi eaedem particulares personae, ex quavis causa illa impetrarint et in possessione indultorum ac privilegiorum hujusmodi reperiantur; harum serie revocamus ac de medio tollimus et abolemus.

Porro ad submovendos quosvis abusus, qui in hac re, vel suborti deprehenduntur, vel quandoque suboriri possent; et ad augendam erga pastores eminenti Episcopatus dignitate pollentes populorum devotionem, simulque Christifidelium utilitati, de immenso et inaestimabili thesauro Ecclesiae tradito consulere volentes, ipsorum tenore praesentium statuimus, quod deinceps Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, necnon dilectis filiis Praelatis inferioribus, mitrae et pontificalium usum, territoriumque separatum cum vera qualitate Nullius dioecesis habentibus et activa in clerum et populum jurisdictione gaudentibus, nunc et pro tempore existentibus, Patriarchis, videlicet, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, duabus anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo solemni eorum respective arbitrio designando: Praelatis vero, praemissis qualitatibus praeditis et in propriis territoriis degentibus, semel in anno, in uno ex diebus, quibus eorum singulis pontificalium usus ab Apostolica Sede permittitur, populo in ecclesia congregato, Apostolica Summi Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritate, illiusque nomine, facultas solemniter benedicendi, cum elargitione plenariae indulgentiae, juxta ritum et formulam inferius tradendam, concedi possit et ipsorum unicuique, quamdiu illi suis respective Ecclesiis praefuerint, gratiamque et communionem cum Apostolica Sede habuerint, per Litteras Apostolicas in forma brevis, gratis, ut in similibus mos est, concedatur. Ad quorum effectum ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos ac supra-

memoratos Praelatos, nunc et pro tempore existentes, in Domino hortamur, ut pro dignitatum eorum splendoris augmento et fidelium populorum ipsis creditorum, congrua erga divinam justitiam satisfactione, a Nobis et successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, facultatem hujusmodi ultro ipsis oblatam postulent et impetrare non praetermittant.

Quoniam vero eas facultates, impertiendi Romani Pontificis nomine Apostolicam Benedictionem, aliquibus regularibus ordinibus concessas praeservare intendimus; harum serie declaramus, illas juxta concessiones Apostolica auctoritate factas, salvas et illaesas esse debere: districte tamen dilectis filiis eorumdem ordinum Superioribus et professoribus, etiam speciali mentione dignis, facultate et indulto hujusmodi gaudentibus, et qui in posterum gaudebunt, harum quoque serie praecipimus et mandamus, quod in illius exercitio, in omnibus ritum et formam a fel. rec. Benedicto PP. XIV per ejus Epistolam Encyclicam sub die 19 Martii anni Domini 1748 Pontificatus sui anno octavo editam, praescriptum, servare, et insuper in dictis duabus solemnitatibus, quatenus Episcopi in illis facultate hujusmodi utantur: ab effundenda benedictione penitus abstinere respective debeant. Ac itidem, ad submovendam quamcumque dubii causam, declaramus etiam, per Benedictionem Apostolica auctoritate, sive per ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos sive per Regulares quoslibet, ut praefertur, impendendam, nullam prorsus a censuris et poenis ecclesiasticis scienter, vel ignoranter incursis, absolutionem concedi, neque ab illis absolutio praetextu Benedictionis hujusmodi susceptae praetendi possit.

Decernentes praesentes Nostras litteras et in eis contenta quaecumque semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri, et obtinere; atque iis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, ac respective ab omnibus observari debere.

Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis Apostolicis et in generalibus ac provincialibus Conciliis editis generalibus

seu specialibus constitutionibus: necnon ordinum regularium quorumcumque praemissis et aliis privilegiis ac indultis, sub quibuscumque et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam simili motu, scientia, et potestatis plenitudine concessis, ac pluries approbatis, confirmatis et innovatis: necnon Nostra et cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Ritus vero et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis pro impertienda benedictione, una cum plenaria indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo crucis emisso et in episcopali throno, cum mitra, ceterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet:

Expleta in utraque solemnitate Missae solemnis celebratione, in primis alta voce, per ministrum superpelliceo indutum, legantur litterae Apostolicae, quibus indulgentia plenaria conceditur una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam, translata recitetur. Postea Episcopus, surgens, juxta ritum in Caeremoniali Episcoporum expressum, dicet:

Precibus et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Jesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Demum, post impertitam benedictionem, publicabitur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae indulgentiae, sequenti formula:

Attentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro, Domino Clemente, divina providentia, Papa XIII, in enuntiatis Apostolicis Litteris expressis, datis reverendissimo Domino, Domino N., Dei et Apostolicae sedis gratia, hujus Sanctae N. Ecclesiae Antistiti; eadem dominatio sua reverendissima, Summi Pontificis Nomine, dat et concedit omnibus hic praesentibus, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri Papae, Dominationis suae reverendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum revocationis, abolitionis, statuti, hortationis, declarationis, praecepti, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo secundo; tertio nonas Septembris, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. Card. **Pro-Datarius.**
N. Card. **Antonellus.**

VIII.

Ad num. 241.

Benedictus PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Jesu Christi ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes et singulas Patriarchales, Metropolitanas, et Cathedrales totius orbis catholici ecclesias, in quibus altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, et in eis altare per Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos respective locorum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes semel tantum designandum, hoc speciali dono illustrare auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, seu instituti regularis Missam defunctorum pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. Praesentibus perpetuis, futuris temporibus valituris. Volumus autem etc. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 20 Julii 1724 Pontificatus Nostri anno primo.

J. Card. Olivierius.

IX.

Ad num. 406.

Pius Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius presbyter Adrianus Josephus Humbert, Fratrum Ord. Minorum S. Fran-

cisci Conventualium nuncupat. professus, quod dum nonnullae ecclesiae in Galliarum regnis existentes a Fratribus dicti Ordinis regebantur, indulgentiis, quibus ecclesiae tam Fratrum, quam Monialium Ordinis praedicti die secunda mensis Augusti fruuntur et gaudent, fruebantur et gaudebant. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, non amplius praedictae ecclesiae a Fratribus memorati Ordinis gubernentur, plurimum veretur indulgentias hujusmodi subsistere. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac, ut infra, de Benignitate Apostolica indulgere dignaremur. Nos ne quid ad animarum profectum ac religionis pietatisque augmentum deficiat, hujusmodi supplicationibus inclinati de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritati confisi, indulgentias omnes et singulas peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes vulgo de Portiuncula nuncupat.; quibus praedictae ecclesiae antehac, dum a Fratribus ejusdem Ordinis regebantur, die secunda mensis Augusti locupletatae erant, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et, quatenus opus sit, dummodo Christifideles injuncta pro illarum consecutione rite adimpleant, auctoritate et tenore paribus de novo concedimus et impertimur. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum ex Arce Gandulphi die 20 Junii 1817. Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

X.

Ad num. 406.

Pius Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Alias Nos per Apostolicas in simili forma Brevis sub die 20 Junii anni 1817 expeditas Litteras omnibus et singulis

utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, aliquam ex ecclesiis, quae in regnis Galliarum Regulari Ordini S. Francisci Assisiensis jam antea pertinebant, die secunda mensis Augusti rite visitantibus, ut indulgentias omnes et singulas peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes vulgo de Portiuncula nuncup. lucrifacere et consequi possent, prout in memoratis Nostris Litteris, quarum tenorem pro expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur, in Domino concessimus. Expositum autem Nobis nuper fuit, quod Christifideles tunc, cum dies hujusmodi in diem feriatam incidat, indulgentias praedictas minus commode lucrari valent, illaeque propterea magis pro spirituali animarum utilitate proficuae essent, si per Nos, ut infra, transferantur; Nos igitur ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi memoratas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, ut praefertur, largitas ad Dominicam immediate sequentem, nisi dies secunda mensis Augusti in Dominicam incidat, servata tamen in reliquis Litterarum Nostrarum desuper expeditarum forma et dispositione, Auctoritate Apostolica tenore praesentium transferimus et translatas declaramus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praedictis Nostris Litteris voluimus non obstare ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus, perpetuis, futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum apud Sanctam Mariam Majorem die 4 Maji 1819 Pontificatus Nostri anno vigesimo.

XI.

Ad. num. 409.

Pius PP. IX. ad perpetuam rei memoriam.

Exponendum Nobis curaverunt dilectae in Christo filiae Sorores Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis de Aquisgrano, Dioec. Colonien., se propter ea charitatis officia, quae sibi proposuere, clausurae monasticae legem observare non posse, ac idcirco in dubio esse, quin indulgentiis ab Apostolica Sede Tertio Ordini S. Francisci concessis perfruantur. Quamobrem supplices Nobis preces admoverunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos ergo, quo tutius illis ad salutem aeternam praesidiis, quae numeravimus, frui in Domino possint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, tenore praesentium eisdem quatenus opus sit concedimus, ut non obstantibus, quae Nobis exposuerunt, dummodo, quae servanda sunt, rite praestiterint, omnes et singulas indulgentias Tertio Ordini S. Francisci ab hac S. Sede concessas consequi valeant. In contrarium facien. non obstan. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 19 Decembris 1854 Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro Domino Card. Macchi

Jo. B. Brancaleoni Castellani.

XII.

Formula servanda saltem in substantialibus[1] *a Superioribus Regularibus Religionum etc. in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis indulgentiis et gratiis spiritualibus, quas a Sede Apostolica obtinuerunt.*

Ad num. 417.

N. N. Ordinis N. Generalis[2])

Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium

[1]) Dicitur *in substantialibus*, quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini, Religioni, Instituto sive originem sive naturam sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia, quae solent in hujusmodi Litteris exponi.

[2]) Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet juxta facultates et privilegia uniuscujusque Ordinis etc.

Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia et indulgentias communicandi, in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes, fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitatem N. in ecclesia N. loci N., dioecesis N., de consensu loci Ordinarii, qui ejusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac religionem Litteris patentibus nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras Litteras erigimus et instituimus, illique et pro tempore existentibus utriusque sexus confratribus elargimur et communicamus indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his Litteris tradimus diligenter asservandum [1]). Quibus omnibus indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam ejusque confratres potiri et gaudere posse decernimus juxta ea, quae fel. me. Clemens PP. VIII. in Constitutione, quae incipit: *Quaecumque,* data sub die 7 Decembris 1604 praescripsit, et variationes a SSmo D. N. Pio PP. IX. approbatas, ut ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 8 Januarii 1861, et cujus Constitutionis praecipua capita cum dictis variationibus subnectuntur, [2]) scilicet: 1°. Quod

---

[1]) Potest etiam inseri, si lubet elenchus. In utroque tamen casu elenchus jam ab Ordinario loci recognitus continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

Ad tollendam tamen omnem dubitationem, dum per *Ordinarium loci* dicitur recognosci debere elenchum, intelligitur, ut si semel ab Ordinario loci, ubi auctoritas praecipua Ordinis, Instituti, Religionis etc., quae habet facultatem erigendi etc., moratur, recognitus fuerit elenchus, non indigeat nova recognitione, et tradi possit Societati erigendae etc. etiam alibi, cum necessarium sit, ut semper idem sit elenchus, salvis additionibus, quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.

[2]) Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine varationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic

unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam Regularium. 2°. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum Litteris testimonialibus ejusdem. 3°. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet. 4°. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint. 5.° Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. 6°. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam per Ordinarium praescribendam. 7°. Quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque mere eleemosynae accepta expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus, eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta, pro singula institutione, vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat. 8°. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum, et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum testimonium has Litteras fieri et per Nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus sigilloque officii nostri muniri. Datum etc.

---

capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

XIII.

Formula servanda in substantialibus[1]) *ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum.*

Ad num. 417.

Dilectis Nobis in Christo Confratribus Societatis N. in ecclesia N. auctoritate N. canonice erectae salutem in Domino sempiternam.

Nos qui juxta officii nostri debitum fidelium salutem, pietatisque ac religionis progressum procurare debemus, libenter nostrae Archiconfraternitati alias ejusdem instituti Confraternitates adjungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis indulgentias, facultates et indulta juxta facultatem nobis a Summis Pontificibus concessam impartimur. Qua de re cum D. N., ejusdem Confraternitatis Procurator aggregationem hujusmodi et indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, nos, Protector, Prior et Custodes praedicti totam ipsam Archiconfraternitatem repraesentantes, Constitutioni inhaerentes fel. rec. Clementis VIII incipien. *Quaecumque* die 7 Decembris 1604 super hujusmodi aggregationibus et coelestis Ecclesiae thesauri communicatione editae una cum variationibus approbatis a SS. D. N. Pio PP. IX per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 8 Januarii 1861, his nostris litteris solo Dei amore ac pietatis religionisque christianae augendae zelo ducti Confraternitatem praedictam canonice, ut superius, erectam attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac litteris testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas ac religio commendatur, nostrae Archiconfraternitati (dummodo per nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa, et tempore hujusmodi concessionis alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) juxta facultatem Apostolicam nobis concessam adjungimus et aggregamus, atque illi ejusque Confratribus indulgentias et spirituales gratias nostrae Archiconfraternitati Litteris Pontificiis nominatim, expresse et praecise

[1]) Dicitur *in substantialibus* quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant; addendo etiam, si lubet, quae respiciunt originem, praestantiam etc. Societatis aggregantis.

concessas largimur et communicamus juxta tenorem descriptionis contentae in elencho, quem rite recognitum per Ordinarium loci, una cum his litteris separatim tradimus. [1])

Quibus omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus inibi singillatim descriptis praedicta Confraternitas uti, potiri et gaudere possit juxta ea, quae s. m. Clemens VIII in supra citata Constitutione praescripsit, et variationes a SS. D. N. Pio PP. IX approbatas, cujus quidem Constitutionis quoad substantiam tenor una cum dictis variationibus ita se habet,[2]) scilicet: 1. Quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam Regularium. 2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus ejusdem. 3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Archiconfraternitati instituenti vel aggreganti nominatim concessae, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet. 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint. 5. Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. 6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam per Ordinarium praescribendam. 7. Quod litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex

---

[1]) Potest etiam inseri, si lubet elenchus; in utroque tamen casu elenchus debet ab Ordinario loci, ubi Archiconfraternitas existit, recognosci, et continere debet distincte et expresse, non sub generalibus verbis indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

[2]) Si lubet inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta, pro singula aggregatione vel institutione sive confirmatione recipere liceat: 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque officialium privationis officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quae a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has litteras nostras exinde fieri et per nostrae Archiconfraternitatis Secretarium subscribi et publicari mandavimus et sigillorum ipsius Protectoris et Archiconfraternitatis jussimus et fecimus appensione muniri. [1])

Datum Romae ex loco solito nostrae Congregationis anno Indictione die mense Pontificatus praesentibus.

XIV.

1838 30 April. Ad num. 421.

R. Pater Generalis Ordinis Carmelitarum Gregorio PP. XVI supplicavit hac ratione: „Annis praeteritis, quando in regnis catholicis abundabant Ordinis nostri monasteria, facile erat, ubicumque adscribere ad scapulare, aut saltem non in magna distantia erigere Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo seu sacri scapularis in regestis, in quibus inscribitur nomen novi confratris, ut ad litteram verificaretur, ipsum descriptum in Confraternitatem gaudere posse indulgentiis concessis praesertim a Paulo PP. V. fidelibus descriptis aut describendis in Confraternitatem. Sed hodiernis diebus ob deficientiam tot domorum Ordinis Carmelitici, et ob frequentes facultatum petitiones, ipse Orator saepe difficile esse animadvertit et identidem impossibile, cito adscribere nomina aggregatorum

[1]) Hic indicantur nomina eorum qui proprias subscriptiones etiam per sigillum apponere debent quique varii sunt juxta peculiaria statuta.

in aliqua Confraternitate Carmelitica canonice erecta: hinc dubitatio suboritur, an ob defectum hujus erectionis, fideles priventur sacris indulgentiis, praesertim in sententia eorum, qui tenent tamquam conditionem essentialem ad earumdem indulgentiarum lucrum adscriptionem novi sodalis in libro alicujus Confraternitatis. Quare supplicatur Sanctitati Vestrae, ut concedere dignetur, fideles recipientes a Superioribus Ordinis vel ab aliquo sacerdote auctoritate eorum sacrum scapulare, eo ipso sine ulla inscriptione materiali nominis in libro alicujus Confraternitatis inscripti censeantur in Confraternitatem jam canonice erectam in loco, ubi prima vice eisdem scapulare imponitur; vel, si neque Confraternitas Carmelitica adhuc erecta reperiatur in eo loco, urbe, oppido, sint eo ipso adscripti in Confraternitatem viciniorem et tamquam in Confraternitatem adscripti gaudere possint indulgentiis, privilegiis, facultatibus, gratiis spiritualibus et indulgentiis, quae Summi Pontifices concesserunt confratribus Carmeliticis sacri scapularis."

Ex audientia SSmi die 30 Aprilis 1838. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI attentis peculiaribus circumstantiis ac praevia sanatione quoad praeteritum, benigne annuit in omnibus juxta preces, servatis tamen in reliquis de more servandis ad formam praecedentium concessionum, contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

XV.

Ad num. 441.

Benedictus XIV. ad perpetuam rei memoriam.

Pia Mater, catholica Ecclesia, de aeterna filiorum suorum salute in primis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, numquam praetermisit omnibus eos subsidiis pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare, atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta et salubria forent ad evitandas poenas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpae aeter-

naeque poenae reatu, in purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul et recenti Ecclesiae disciplina, graviorum quorumdam criminum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo christiano Orbe, aliorum autem singulis Ecclesiarum Praesulibus in eorum dioecesibus, reservata fuerit: attamen adveniente unicuique fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi absolutionum reservationes cessare, et cuilibet sacerdoti liberam et plenam facultatem esse, quemcumque poenitentem a quibuscumque peccatis et criminibus, necnon ecclesiasticis sententiis atque censuris absolvendi, provide declaratum fuit. Praeterea quum in Ecclesia immensus et inaestimabilis existat thesaurus spiritualis, ex infinitis constans satisfactionibus Passionis et mortis Domini Nostri Jesu Christi, ac praeterea ex meritis et satisfactionibus gloriosae Virginis Genitricis Dei Mariae, omniumque Sanctorum et Electorum, cujus Thesauri dispensationem Salvator Noster Beato Petro, Apostolorum Principi, ejusque in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarunt Praedecessores Nostri, Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos fideles large diffunderent, et maxima omnium amplitudine, quae indulgentia plenaria nuncupatur, cujusque impertiendae jus in Apostolica Sede unice residet, ipsis potissimum applicarent: quam quidem in rem Episcopis per Ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt, ne ullus in Orbe terrarum angulus esset, ubi catholicae religionis professoribus hujusmodi adiumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.

Hactenus hujusmodi facultas Episcopis concedi consuevit, Pontificis nomine et auctoritate, per privatas Epistolas ipsius Secretarii Brevium secretorum, qui exposita Pontifici petitione pro parte cujusque Episcopi, et pro spirituali utilitate ipsius subditorum ad se delata, rescribere solebat, petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri *ad triennium proximum*, hac tamen lege, ut ipse ea uteretur, nimirum benedictionem impertiret, et indulgentiam plenariam aegrotis in mortis articulo constitutis largiretur *per se ipsum*

immediate, vel quatenus Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum suffraganeum suum;* nec, nisi necessitate cogente, et quidem nocturno tempore, alium sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset: *Ubi vero praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui sacerdoti pio, per Dominationem Vestram qualibet vice eligendo etc. communicare valeat.* Quo vero ad Moniales, ordinarii earum confessarii opera in eum finem uteretur.

Hanc porro facultatem, prout in hujusmodi Litteris concedebatur, Ecclesiarum Pastores jamdudum judicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam; non solum ob breve triennii spatium ipsi praefinitum, verum etiam quia, propter relatas leges circa illius usum praescriptas, ab hujusmodi indulgentiae plenariae beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subjectos, praesertim vero eos, quos extra ipsorum residentiae locum, et in remotis dioecesum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiae Vicariorum Capitularium et Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam Praelatorum inferiorum territorium separatum habentium, cum activa in clerum et populum jurisdictione, qui eamdem facultatem Episcopis concedi solitam, sibi quoque tribui postularunt. Quibus de rebus actum fuit die 22 Nov. 1710 in Congregatione Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, cujus Consultoris officium in minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum, resque in priori statu relicta fuit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset; instante Episcopo Mazariae tunc existente, duo dubia eidem Congregationi definienda proposuimus, unum videlicet, an, stante dispositione praemissarum Epistolarum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda Monialibus benedictione et indulgentia plenaria eisdem in articulo mortis applicanda, earum confessarii opera uteretur, licitum sit Episcopo, monasterii claustra ingredi, ut hujusmodi pium opus per se ipsum adimpleat; alterum vero, quatenus id

Episcopo permittatur, an, et a quibus comitatus monasterium ingredi debeat; super quibus, perpenso Folio a Nobis pro hujusmodi quaestionum elucidatione de more exarato, die 10 Maji anni 1727 responsum fuit, ad primum: *Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam benedictionem Moniali in mortis articulo constitutae monasterium intrare.* Ad secundum: *Episcopo ad hunc effectum intra monasterii septa se conferenti comites esse debere confessarium ordinarium ipsius monasterii, aliumque sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum.* Rescripto autem additum fuit: *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium;* quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonae memoriae Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII Secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epistolis contentarum, quarum formulam a Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut praefertur, exhibito, integre insertam, ipsa Congregatio paulo arctioribus conclusam limitibus judicavit.

Neque porro omisimus injunctum Nobis munus agendi cum praefato Cardinali Brevium Secretario quamprimum implere; verum quum paulo post ab eodem Benedicto Praedecessore in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptati, ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ex qua biennio post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit Nobis negotium istud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononiensi populo, hujusmodi facultatem indulgentiae plenariae moribundis fidelibus impertiendae ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, juxta consuetam formam, ac superius enuntiatis limitibus circumscriptam obtinuissemus; ipso statim usu et propria experientia, in eas incidimus difficultates, quae et anno 1710 ut praefertur, in Congregatione Sacris Reliquiis et Indulgentiis praeposita, a Nobis tamquam Consultore propositae fuerant; quaeque deinceps anno 1727 alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a Nobis etiam, pro Secretarii munere, expositae, causam dederunt memora-

tae consultationi cum Secretario Brevium introducendae. Etiam tum in Anconitanae, tum vero in amplioris Bononiensis Ecclesiae regimine, animadvertimus, ob interdictam Nobis hujusmodi facultatis subdelegationem, omnes plerumque dioecesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere; et quidem cum irreparabili damno, deficientibus per dioecesim Collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis Praedecessore Nostro, Alexandro Papa VII., per Litteras die 15 Januarii anni 1656 datas, et perpetuo valituras, indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis benedictionem cum indulgentia plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus coenobiis Regularium, quibus, pro confratribus piarum quarumdam Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similia indulta et privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad incolas ipsius civitatis, si quidem haec, ut Bononia est, frequenti populo sit referta, quum facultas substituendi non aliter in praefata Epistola tribuatur, quam in casu praecisae necessitatis cum nocturno tempore conjuncto, cum magno animi Nostri dolore experti sumus paternae hujusmodi charitatis actus erga dilectos in Christo filios nostros, non ea assiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipsos praestari posse. Nam praeterquam quod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a civitate abesse, ut juxta praescriptum Sacrae Tridentinae Synodi, si non totam, saltem aliquam illius amplae dioecesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo, et Sacramentum Confirmationis visitatis plebibus ministrando, lustraremus; jam in ipsa civitate degentes, nullam fere diuturni temporis horam vel a divinis rebus, vel a pastoralis officii occupationibus vacuam habebamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc ministrorum relationibus, nunc Congregationum consultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel evenientibus ecclesiarum parochialium vacationibus, aut cessantibus confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi tempori-

bus definitis iisdem concedere consuevimus, examina atque concursus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis Episcopalis vitae conditiones, ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscet, majorum civitatum Episcopos fere redactos esse ad hujusmodi benedictionis et indulgentiae beneficium aliquibus dumtaxat personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, et quidem instantibus et postulantibus, exhibendum; pauperibus autem et humilioribus, ob praeclusam sibi, extra necessitatis et noctis tempora, subdelegandi facultatem, vix umquam succurrere posse.

Quod si satis momenti et auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, plenariam scilicet indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; ea nimirum de causa, quod quum pro hujusmodi indulgentiae consequutione vel nullum omnino opus iniungi, vel nonnisi morientis statui et viribus accommodatum imponi possit, praeterea dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema praesenti necessitate conjuncta, locum supplere possint aliorum operum, quae ceteroquin ad plenariam indulgentiam adipiscendam praescribi solent; nihil profecto esset, cur aliquid nunc a Nobis innovando statueretur. Verum Praedecessorum Nostrorum hac in re agendi ratio, relatae opinioni contraria dignoscitur. Ut enim multas praetereamus concessiones indulgentiae plenariae morientibus fidelibus indistincte applicandae; quaenam porro et quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor ab hinc saeculis, pestifera lue per Angliam grassante, ex hac vita decedebant? quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, et sacra Communione refecti fuissent, Praedecessores Nostri Clemens Papa VI. et Gregorius Papa XI. benedictionem cum indulgentia plenaria per Legatos suos impertiri non recusarunt. Sed et ipsa Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita jam usque ab anno 1675 die 13 Aprilis, re diligenter perpensa, censuit, indulgentiae plenariae largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent, recte et utiliter conferri atque diffundi.

Quapropter Apostolicae charitatis nostrae viscera dilatantes, et tam veteribus, quam recentioribus ecclesiasticae benignitatis exemplis inhaerentes; siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiae saeculi in epistola Sancti Cypriani, quae in novis editionibus impressa est num. 12. qua scilicet, in eorum gratiam, qui libellos Martyrum obtinuerant, et in mortis periculo versabantur; quum ipse aestivis ardoribus praepediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset, permittit ut id, vice sua, a quocumque presbytero, aut etiam diacono praestari queat; novissimis vero temporibus, ex secunda Mediolanensi Provinciali Synodo constat, a felicis recordationis Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII., omnibus Episcopis illius Provinciae concessum fuisse, non solum ut ipsi benedictionem cum indulgentia plenaria moribundis fidelibus impertiri, sed etiam, ut aliis hujusmodi facultatem libere subdelegare possent. His igitur, aliisque exemplis, necnon rationibus superius relatis permoti, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione novas in hac materia regulas praefinire, quodque olim, ut praemisimus, de alterius sententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de concessa Nobis Apostolicae potestatis plenitudine absolvere ac perficere constituimus.

Itaque primum volumus atque decernimus, ut quae facultates impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis nunc existentibus a Nobis, vel a Praedecessoribus Nostris ad hunc diem concessae reperiuntur, licet illae in consuetis Epistolis Secretarii Brevium ad triennium dumtaxat, vel alias ad definitum tempus indultae fuerint, nihilominus praesentis nostrae Constitutionis vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem Antistites earum Ecclesiarum atque Dioecesum regimen obtinebunt, quarum favore et intuitu easdem facultates a Nobis et ab Apostolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus hujusmodi, motu proprio et auctoritate praefata, atque earumdem praesentium Litterarum serie, extendimus et prorogamus.

Utque praeterea unusquisque ex Antistitibus praefatis, unum, aut plures pios sacerdotes sive saeculares, sive regulares, prout necessarium fore judicabunt, in eorum civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, benedictionem hujusmodi cum indulgentiae plenariae applicatione Christifidelibus in praefato articulo constitutis impertiantur, aliosque similiter per dioecesim saeculares aut regulares sacerdotes, quotquot pro numero animarum in dioecesibus existentium necessarios judicaverint, ad praedictum effectum deputare, et subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos, et subdelegatos removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio et prudentia subrogare valeant; iisdem motu, potestate et tenore concedimus et indulgemus.

Si vero aliquem ex Antistitibus nunc per Ecclesias constitutis et praefata facultate gaudentibus, ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetae Litterae Secretarii Brevium ad hunc diem expeditae non fuerint; ac denique quum novi Episcopi catholicis gregibus in posterum praeficientur, volumus atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, Apostolicae Litterae in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus praedicta facultas ipsis concedatur, non ad triennium sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiae regimen obtinebunt; adiecta etiam facultate subdelegandi tam pro civitate, quam pro dioecesi, non quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore conjuncti, sed in omnibus et per omnia ad normam eorum, quae pro Episcopis nunc existentibus et indulto hujusmodi actu gaudentibus supra statuimus.

Insuper pro Praelatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate *Nullius* et activa in clerum et populum jurisdictione; quamvis Praedecessores Nostri hanc de praeterito consuetudinem non habuerint; nihilominus de Apostolica liberalitate, ac simili motu et tenore

concedimus et indulgemus, ut, si ab ipsis hujusmodi facultas petita fuerit, similes Litterae in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, juxta eamdem formam, mutatis mutandis, quam pro Episcopis constituimus; ne excepta quidem facultate subdelegandi, ut supra, dummodo ipsi Praelati hanc gratiam postulantes, Apostolicis Litteris Nostris Anno Incarnationis Dominicae 1740 non. Kalend. Decembris datis, quarum initium est: *Quod Sancta*, impressis in Bullario nostro *tom. 1 num. 7* obtemperaverint, nimirum sacra Apostolorum Limina praescriptis temporibus visitaverint, et relationem status Ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicae Sedi exhibuerint, vel, quatenus Praelationis honorem de novo accipiant, debitum juramentum in memorata Constitutione praescriptum antea praestiterint.

Dum autem hujusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus et ampliavimus ut praefertur, ceteris vero tam Episcopis, quam Praelatis inferioribus in posterum eam petentibus, supradicta forma et amplitudine concedendam fore decrevimus; sequitur, ut hujusmodi indulta nequaquam morte concedentis expirent; quum jurisdictio delegata in iis, quae non justitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iisdem Episcopis et Praelatis permittimus, ut hujusmodi facultatem, pro incolarum civitatum, locorum, atque dioecesum opportunitate et necessitate, uni vel pluribus sacerdotibus in posterum subdelegare valeant; statuimus atque decernimus, hujusmodi subdelegationes per subdelegantis cessum aut decessum similiter non expirare, sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi Praesulis, cujus arbitrio relinquimus, eosdem in hujusmodi officio confirmare vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antistes memoratam facultatem a Romano Pontifice semel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicae Cathedrae Successorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Episcopo, seu Praelato, a quo eadem facultas in sua dioecesi aut territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium aut Apostolicorum

regimine; quum subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamdiu vel Episcopus ipse, aut Praelatus, vel illius successor eamdem ipsis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum saluti consulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi plenariam pontificiam indulgentiam Ecclesiae filiis in mortis articulo constitutis, ampliare et faciliorem reddere curavimus. Permissaque Venerabilibus Fratribus ac dilectis filiis, Ecclesiarum Episcopis et Praesulibus facultate alios sacerdotes ad hunc effectum, tam in civitatibus, quam in dioecesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, et sollicitudinibus per Nos allatum esse putamus. Verumtamen ipsis declaratum volumus, non id propositum Nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternae charitatis officio, per se ipsos adeundi miseros aegrotos plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; sed ut eorum pietatem opportune juvaremus, ne, dum ipsi aliis pastoralibus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium hujusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos esse confidimus), meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores et potentes hujus saeculi, sed erga pauperes quoque et abjectae sortis homines praestandum esse. Qua de re utiliter legi poterit Praedecessoris Nostri S. Gregorii Magni Homilia 28 in Evangelia *ad Cap. IV.* Joannis. *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum*, in qua mirabilem atque coelestem observat amantissimi Redemptoris Nostri Jesu Christi agendi rationem, qui ad invisendum aegrotantem reguli filium invitatus ire abnuit, ad centurionis servum nec invitatus iturum se profitetur. *Quid est, regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, et tamen venire recusat; ad servum vero centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem praesentiam non dignatur adesse; centurionis servo non dedignatur occurrere.*

Ut autem indulgentiae fructus a fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum erit, ut populus in

sacris concionibus et catechesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiae Dei, quam in Baptismo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti, quantumvis aeterna supplicia in Poenitentiae Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque poena divinae justitiae exsolvenda superest, cujus remissio obtinenda est non solum per satisfactiones a sacerdote confessario in ipso Poenitentiae Sacramento pro mensura delicti impositas, aut per christianam tolerantiam earum adversitatum, a quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia. Alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiae benignitate fidelibus suppeditata, paulatim in pravae libertatis et licentiae fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternae poenae, per sacramentalem absolutionem, tum temporalis per indulgentiae Pontificiae applicationem, in exitu vitae impetranda; neque cogitantibus, quam incertum sit omnibus non solum qua hora, et quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit, sed etiam an indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Praepostera aeque ac periculosa antiquis Ecclesiae temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitae ipsius Sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quum e vita discessuri essent, per salutare lavacrum ab omni culpa et tam ab aeterna, quam a temporali poena soluti, ad coeleste regnum recta transferentur, contra quos extant gravissimae objurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione 40 et Sancti Joannis Chrysostomi in Homilia I. super Acta. Sed et Ecclesia catholica pravam hujusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptismum susceperant, si convaluissent, a sacris Ordinibus et ab officiis ecclesiasticis arcendos ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Et quoniam sacerdotibus, qui fideles in extremo agon[illegible] laborantes pie adjuvant, vel Ecclesiae Sacramenta ipsis mi[illegible]nistrant, Rituale Romanum injungit, ut si aegrotus indul[illegible]gentiam plenariam legitima auctoritate concessam consequ[illegible] valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque, quid a[illegible] eam consequendam agere debeat, ex his autem, qui ad hujus[illegible]modi statum tum redacti sunt, alii quidem cum plen[illegible] cognitione integrum loquelae usum retinent, alii vero lo[illegible]quendi facultatem amiserunt, licet antea sincerae contritio[illegible]nis indicia dederint, eamque, adhuc ratione utentes, ident[illegible]dem dare non desinant; ideo, quo certius praedicti omne[illegible] indulgentiae fructum consequi valeant, praefatis sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos fideles ex[illegible]citare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus; praesertim vero ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim praecipue opus in hujusmodi articulo constitutis imponimus et injungimus, quo se ad plenariae indulgentiae fructum consequendum praeparent, atque disponant. Qua in re auctor Nobis est Sanctus Doctor Augustinus, qui *in Libro 13 de Civit. Dei c. 6.* postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis poenam, ibi quoque asseruit et confirmavit, haec ad rem nostram apposite subdit: *Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie, fideliterque tolerando, auget meritum patientiae, non aufert vocabulum poenae. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors poena nascentis; tamen, si proprietate, justitiaque pendatur, fit gloria renascentis; et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Pro impertienda vero benedictione fidelibus in morti[illegible] articulo constitutis, applicandaque ipsis plenaria indulge[illegible]tia, quum nulla certa formula olim praescripta fuerit, s. [illegible] Praedecessor Noster Papa Benedictus XIII. anno Domini 1[illegible] pias quasdam preces et orationes ad hunc effectum a[illegible] bendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his, [illegible]

opportuna judicavimus, inhaerentes, aliam de novo formulam, cum his, quae in hac nostra Constitutione praescripta sunt, magis congruentem confecimus et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari praecipimus; mandantes, hoc ipsum inculcari et injungi in Apostolicis Litteris, quae deinceps pro concessione praedictae facultatis indulgentiae plenariae moribundis impertiendae, ut praemisimus, expediendae erunt.

Ac decernentes, ipsas praesentes Litteras semper validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri, et obtinere, atque iis ad quos spectat, seu spectabit in futurum, plenissime suffragari: Non obstantibus Apostolicis, et in Generalibus seu Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, seu specialibus Constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium Decretis et Resolutionibus etiam Apostolica auctoritate approbatis, roboratis, et pluries confirmatis; usibus quoque, stilis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: quibus omnibus et singulis, ad praemissorum effectum, motu, scientia et potestate praefatis amplissime derogamus, aliisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Formula igitur, quam pro impertienda benedictione et plenaria indulgentia moribundis fidelibus applicanda, ut praefertur, in posterum adhibendam esse praescripsimus, talis est:

Modus a SS. D. N. PP. XIV approbatus

pro opportunitate temporis servandus, ut infra in rubricis notatur, ad impertiendam benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommuni-

catis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: Pax huic domui etc., *ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam* Asperges etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae): neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam, et sic deinceps),

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides, et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge: ut ejus anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor, *etc. Sacerdos dicat:* Misereatur *etc. Deinde:*

Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo.

In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis, et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, † Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae 1747 Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri anno septimo.

D. Card. **Passioneus.**

XVI.

Benedicti XIV. Litterae encyclicae ad Superiores Generales Ordinum, quibus praescribitur ritus impertiendi Pontificiam benedictionem super Populum, servandus a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujusmodi statis diebus a Sancta Sede indulta fuit.

Ad num. 444.

Exemplis Praedecessorum Nostrorum adducti, nonnullis familiis Regularium permisimus, ut fideles, qui statis anni diebus ipsarum ecclesias inviserent, et indictis pietatis operibus satisfacerent, indulgentiam plenariam consequerentur; utque monasterii Praeses, vel alius sacerdos a Patre Provinciali designandus, populo tunc temporis congregato Summi Pontificis nomine Benedictionem impertiret.

Nullus umquam ritus ad hanc rem peragendam praescriptus fuit; quae quidem extra Urbem solum contingit, cum Pontifex ipse Romae Benedictionem populo elargiatur; etenim is ritus, qui Urbani VIII, Praedecessoris Nostri auctoritate probatus asseritur, et qui post editos nonnullos Romanos Rituales typis impressus fuit, ad eam Benedictionem, de qua verba facimus, minime pertinet; sed illam complectitur, quae non pluries, non semel quolibet anno, sed aliqua urgente legitima causa populis et agris tribui consuevit, et pro qua certus Delegatus Apostolicus semper constituitur, qui Brevi Apostolico munitus, potestatem obtinet non solum benedicendi populo, sed illum quoque dissolvendi ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti et a ceteris ecclesiasticis censuris ac poenis, si quas forte populus

imprudens atque ignarus contraxerit, etiamsi illae in Bulla *in Coena Domini* contineantur.

Cum haec ita sint, tamen deprehendimus, quemdam ritum temere et inconsulto excogitatum esse pro supradicta prima Benedictione Pontificia invocativa, quae aut pluries aut semel datur quolibet anno. Quippe simplex sacerdos in medio altaris collocatus, ministris circumadstantibus, et sacris indumentis ornatis, trinam benedictionem populo impertit, et alia plura gerit, quae enumerare hoc loco supervacaneum existimamus.

Equidem *Benedictio super populum* solemnis est, eamque in quacumque Orbis terrae parte Romanus Pontifex elargiri potest; Episcopus autem in sua dioecesi et locis ipsius etiam exemptis; Archiepiscopus in sua provincia et locis ejus exemptis eamdem exercere valet potestatem. Id constat decreto Clementis V. in Viennensi Concilio, quod *in Clementina Archiepiscopo, de privilegiis,* recensetur. Porro Abbatibus ejusdem benedictionis super populum tribuendae facultas conceditur in ecclesiis, quae ipsis plene subjiciuntur, modo tamen Apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint: quo sane uti nequeunt, nisi postquam Sacrum solemne aut Vesperas in ecclesia peregerint; nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clare in eodem privilegio declaretur, uti respondit Alexander IV. *in Cap. Abbates, de privilegii, in sexto.*

Simplex ergo sacerdos nequit benedictionem super populum elargiri, juxta *Can. Ministrare 26. qu. 6. . . Benedictionem quoque super populum in ecclesia fundere, presbytero penitus non licebit;* quod tamen eidem sacerdoti modo permittitur: postquam divinum Missae Sacrificium absolvit. Dictum est, modo permitti: si etenim sacram antiquitatem inquiramus, neque id presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus in Nostro *Tractatu de Sacrificio Missae sect. I. n. 382.* qui primo Bononiae *anno 1740.* typis editus fuit, ac *sect. I. nu. 391.* in eodem Tractatu, qui deinde latine redditus publicam lucem iterum adspexit Patavii *anno 1745.* Etsi quidem in usu semper fuerit, ut, re divina peracta, populus ab ecclesia benedictione dimitteretur,

quemadmodum *in Can. Missas, de Consecratione dist. 4.* continetur; id tamen non a sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si praesens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero ejus jussu praestabatur, quo sensu explicatur Decretalis *in Cap. Officium, de Officio Archipresbyteri*, ubi inter Archipresbyteralia munera recensetur *benedictiones presbyterales in ecclesia dare;* prout animadvertit Gonzalez in idem *Cap. Officium, num* 2.; idemque antea plane comprobaverat Saussay *in Panoplia sacerdotali pag. 558.*

Quibus omnibus subsequens plurium saeculorum contraria praevaluit disciplina, quae sacerdoti celebranti potestatem fecit benedictionem super populum in fine Missae effundendi ob eam potissimum causam, quam Bellotus recenset *in Ritibus Laudunensis Ecclesiae par. 3. pag. 136. n. 9. . . At, cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat hodie, sine qua fas non est ab incepto Sacro recedere, nec jure queat populus ante benedictionem ipsam egredi, ex praecitata Agathensi Synodo, quatentus integrae Missae non interesse quisquis praemature recederet, sequitur facultatem cuilibet celebranti concessam esse, privatam illam benedictionem ad finem Missae populo ubique locorum impertire.* Idem inter Morales Scriptores commemorat Quartus *ad Rubricas Missalis pag. 386. in Dubiis Conscientiae.*

In *Can. Ecce ego dist 95.* haec leguntur: *Nemo hinc Episcoporum invidia diabolicae tentationis inflatus irascatur in templo, si presbyteri interdum exhortentur plebem, si in ecclesiis praedicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant.* Si Glossae fidem praestemus, illud *benedicere* declarat benedictionem, quae populo traditur a sacerdote, qui rem divinam perficit, nempe post ea verba: *Ite Missa est;* quam sane interpretationem Nos minime respuimus, cum certum habeamus, eumdem textum S. Hieronymo non esse tribuendum, quod nonnulli falso putaverunt, quos merito redarguit Theophilus Raynaudus *operum tom. 16. pag. 211.*, sed incerto Auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum benedictio in fine Missae inter benedictiones presbyterales jam haberetur, ususque invaluisset, ut sacerdos, peracto Missae Sacrificio, populum benedictione *jure suo* dimittat, sive absit,

sive intersit Episcopus: ea tamen statuta lege, ut, si intersit, et in sua sit dioecesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod ab eodem sacerdote praetermittitur, si Episcopus Missae intersit, sed extra suam dioecesim versetur, prout desumitur ex Rubricis Missalis *tit. de benedictione in fine Missae, et Evangelio S. Joannis.*

Cum jam perspectum sit, quo tempore et loco simplex sacerdos populo possit *jure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam benedictionem super populo ab ipso impertiri licite, nisi *jure delegato.* Hujus naturae est benedictio, de qua nunc agimus, quae per delegationem Apostolicam cum unice concedatur, Nostrum est omnino, ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subjiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, Monasticos, vel Clericorum Regularium, quibus Nos ipsi, vel Praedecessores Nostri, vel futuri Romani Pontifices facultatem tribuendae populis benedictionis permiserint.

Admoneatur itaque populus de indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est ecclesia, de hora denique, qua datur Pontificia Benedictio; et admonitio haec fieri possit, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis: licet enim id a Praedecessore Nostro Clemente Papa VIII. fuit vetitum fratribus Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et Fratribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis pariter Captivorum, in communicatione indulgentiarum et orationum, uti habetur in ejus Constitutione, quae incipit *Cum ad uberes par. 5.*, et in alia Constitutione *Decet Romanum Pontificem par. 6.*, visum tamen Nobis est, id esse hypothesi inapplicabile, cum, ceteris praetermissis, praedicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet, ut plurimum, confratres, non autem populum universum, ut indulgentia et benedictio, de quibus agitur, complectatur.

Postquam statutis die et hora populus ad ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicae Litterae, seu De-

creta, quibus indulgentia conceditur una cum potestate benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronuntietur: populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur: post quae sacerdos, nullis circumadstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus (ut in Rituali Romano praescribitur, cum agitur de benedictionibus, quae extra Missam presbyteris permittuntur) ante altare genuflexus sequentibus verbis Dei opem imploret:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Salvum fac populum tuum Domine,
℟. Et benedic haereditati tuae.
℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde stans, sequentem recitet Orationem.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, dá nobis auxilium de sancto, et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Post quam ad cornu Epistolae accedat, ut in Actis Ecclesiae Mediolanensis par. 4. . . Benedicet in Ecclesia ad Altare, stans in cornu Epistolae: *et stans in cornu Epistolae, non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo crucis, benedicat proferens alta voce haec verba.*

Benedicat vos omnipotens Deus † Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Trina siquidem benedictio Episcopo competit, non sacerdoti: cumque nonnulli in fine Missae trinam usurpare coepissent, consuetudo Clementis VIII. auctoritate sublata est, quemadmodum ostendit Meratus hac mortali vita nuper defunctus (tom. I. pag. 243.). Id Nos etiam advertimus in Nostro *Tractatu de Sacrificio Missae sect. I. locis supra indicatis.* In rubrica quoque Missalis haec habentur: *In Missa solemni celebrans eadem voce et modo, qua in Missis privatis semel tantum benedicit populo.* Insuper Caeremoniale Episcoporum trinam benedictionem ipsis solum tribuendam decernit, quod eadem Missalis rubrica confirmatur: *Episcopus*

autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Caeremoniali habetur. Postremo Alexander VII. decreto quod *die 27 Septembris 1659* edidit, tempora indicit ac recenset, quibus Abbates usu Pontificalium praediti, ritu solemni celebrantes, trinam benedictionem impertire possunt: quod iisdem penitus interdicitur, cum rem divinam privatim conficiunt; quod Nos ipsi indicavimus Nostra *Institutione 14. par. 4. num. 19. tom. 2.* si Bononiensis editionis ratio habeatur, quae peracta fuit anno 1735., sin autem easdem Institutiones in latinam linguam conversas et Romae impressas anno 1747 quis inspiciat, idem prorsus deprehendet *Institutione 34. par. 3. in fine pag. 174.* Quocirca non sine animi Nostri voluptate epistolam legimus encyclicam Patris Generalis Coenobitarum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quibus in Nostris Apostolicis Litteris potestas facta est dandi in certis anni festivitatibus Pontificiam Benedictionem, in qua eosdem admonet, ut populo benedicant unico signo crucis, more sacerdotali: quod ipsum si ab aliis etiam factum esset, querelae ad Nos delatae non fuissent de usurpatis honoribus Episcopalibus.

Hac itaque Epistola encyclica ritum statuimus ac declaramus, quo Benedictio Papalis in posterum tribuetur, eumque notum facimus Ordinum Regularium Praesidibus, ut ipsum Regularibus sibi subjectis observandum indicant. Equidem Alexander VII., Praedecessor Noster usum Pontificalium Abbatibus, quibus id privilegio convenit, accurate praescribens, Ordinariis locorum facultatem concedit, ut si quid contrarium Abbates commisissent, ipsi tamquam Sedis Apostolicae Delegati rem cognoscerent, et censuris etiam, si opus esset, omnem insolentiam compescerent. At Nos aliam viam suscipiendam ducimus, praecipientes, ut de illis Regularibus, qui praescriptum a Nobis antea Benedictionis ritum violaverint, Nos statim certiores efficiant: tunc enim neque infensos invicem Episcopos et Regulares reddemus, nec populis beneficium Papalis Benedictionis denegabimus; sed facultatem ejusdem Benedictionis tribuendae parere recusantibus auferemus, eamque largiemur aliis, qui jussa Nostra facere non detrectabunt, qua in re futuros etiam Romanos

Pontifices magnopere hortamur ut idem exemplum sequantur. Postremo tibi et universo tuo Ordini Benedictionem Apostolicam impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 19 Martii 1748 Pontificatus Nostri anno octavo.

XVII.

Ad num. 444.

Leo PP. XIII. ad futuram rei memoriam.

Quo universi utriusque sexus fideles in tertium S. Francisci Assisinatis Ordinem adscripti easdem leges eosdemque ritus in obeundis instituti sui functionibus adhibere possint, enchiridion seu manuale unicum typis edere visum est. Multiplices vero sub ejusdem manualis editionem exortae sunt de absolutionis tum generalis, tum in articulo mortis, tum de Papalis benedictionis formulis controversiae, ad quas dirimendas Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum nonnulla proposita sunt dubia seu quaestiones. Hinc Consilium idem consideratis perpensisque omnibus, quid de hujusmodi quaestionibus deliberaverit, per Secretarium suum ad Nos referendum curavit. Nos autem, quibus salutare frugiferumque tertii Ordinis S. Francisci sodalitium in deliciis semper fuit, Nobisque summopere cordi est, ut illud sanctas sui instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce praesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat, memorati Consilii deliberationem probavimus, eamque omnibus per Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis cognoscendis decretum indicendam censuimus. Nostris mandatis obsequens Congregatio, sibique demandatum munus meliori quo fieri possit modo explere cupiens, opportunum in primis duxit omnes et singulas benedictionis et absolutionis generalis expendere formulas, quae nedum penes Tertiarios Franciscales, verum etiam apud alias ejusdem Ordinis familias, imo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes essent in usu, quo unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in ejusmodi benedictionibus

et absolutione adhibendam formulam concinnaret. Quamobrem praefata Congregatio omnes, quorum intersit, monendos putavit, ut siquid in casu notatu dignum judicassent, intra congruum tempus eidem Congregationi subjicerent. Exacto inde triennio, quum nihil ex parte alicujus ex dictis Ordinibus objectum sit, Congregatio Sacris Ritibus praeposita, accurate omnibus diligenterque inspectis et expensis, quae sequuntur decrevit, nempe:

I.° Pro Absolutione in articulo mortis etc. *vide supra pag. 411—414.*

Nos hujusmodi memoratae Congregationis decretum omnino ratum habemus, et Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, probamus, confirmamus, sancimus, illudque ab omnibus et in omnibus hoc futurisque temporibus servari jubemus. Decernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non ejusdem tertii Ordinis S. Francisci, ceterisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque omnibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7 Julii 1882 Pontificatus Nostri anno quinto.

Th. Card. **Mertel.**

XVIII.

Regulae a Benedicto XIV pro jubilaeo traditae.

Ad num. 353.

I. Ex Bulla *Peregrinantes* d. d. 5 Maji 1749, qua jubilaeum indicitur.

§. 6. Jubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis,[1]) sacraque Communione[2]) refectis, qui Beatorum Petri et Pauli, necnon Sancti Joannis Lateranensis et Sanctae Mariae Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die,[3]) per triginta continuos aut interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani vel incolae Urbis; si vero peregrini aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies, devote visitaverint, et pro sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione, catholicorum Principum concordia, et christiani populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

1. „Nos hac formula *vere poenitentibus et confessis* Confessionem actualem intelleximus semperque intelligemus.“ (Bened. XIV *Inter praeteritos* I. § 7.
2. „Nos sub sacrae Communionis nomine sacramentalem simul ac spiritualem Communionem intelleximus atque intelligemus.“ (l. c. I. § 2.)
3. „Nos communi atque obvio verborum sensui *semel saltem in die* communi Doctorum opinioni ac praecedentibus resolutionibus adhaerentes protestamur, Nos in Constitutione Nostra *Peregrinantes* visitationem quatuor Basilicarum in uno die fieri debere intellexisse.“ (l. c. § 11.)

§. 7. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa detenti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne fortasse quidem inchoato, praemissa exsequi, et dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piae promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes

et confessos, ac sacra Communione refectos, praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis praescriptis reipsa visitassent; ut praefatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus, consequantur.

II. Ex Bulla *Cum Nos nuper* d. d. 17 Maji 1749, qua indulgentiae et facultates suspenduntur.

Cupientes, ut christianae nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in hac Urbe Nostra, in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu Basilicas praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilaeo visitantes et frequentantes, tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant; multorum Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum exemplo adducti, indulgentias et facultates ab Apostolicae Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere, et nihilominus tum spiritualibus fidelium per universum Orbem degentium necessitatibus paterna charitate consulere; tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quaedam Religionis et pietatis opera in Christianorum animis conservare, et fovere; tum demum suffragia in fidelium defunctorum levamen atque subsidium erogari solita neutiquam imminuere, eorumdem Praedecessorum vestigiis insistentes, decrevimus, et constituimus.

§. 1. Itaque, praeservatis et firmis remanentibus indulgentiis concessis in articulo mortis ac facultatibus seu indultis illas impertiendi seu communicandi, tam Venerabilibus Fratribus Episcopis, ac dilectis Filiis Praelatis locorum Ordinariis, in vim, seu ad formam nostrarum Literarum nonis Aprilis anni 1747 editarum, quam aliis quibuscumque communiter aut personaliter, seu pro certo personarum genere, gradu aut numero concessis; iisque pariter, quas fel. record. Praedecessor Noster Benedictus Papa XIII cunctis fidelibus Salutationem Angelicam, seu alias preces de tempore, mane, aut meridie, seu vespere, ad campanae pulsum, de genu, vel, juxta dierum et temporum rationem, stando recitantibus; item indulgentia septem annorum et totidem quadra-

genarum, quam ipse Benedictus, novissimo jubilaei anno durante, omnibus Christifidelibus, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque degentibus, qui sacramentaliter confessi et sacra Communione refecti, vel saltem vere contriti, et cum firmo proposito confitendi, ecclesias, in quibus Augustissimum Eucharistiae Sacramentum pro oratione quadraginta horarum, eo anno durante, expositum esset, devote visitassent, ibique juxta sanctae Matris Ecclesiae mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit, quamque Nos etiam, illius exemplo, pro proxime ineunte jubilaei anno, et tam pro Urbe, quam pro aliis ubique locis, praesentium tenore, libenter concedimus et elargimur; atque illis etiam, quas similis memoriae Innocentius XI, et Innocentius XII, Romani Pontifices, Praedecessores Nostri, fidelibus, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen aut facem per alios ea occasione deferendum, seu deferendam mittentibus, similiter concesserunt: tum etiam indulgentiis a S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, et Apostolicae Sedis Nuntiis ac Episcopis, in usu seu exercitio Pontificalium, aut impertienda Benedictione aliave forma consueta, concedi solitis; item salvis et firmis remanentibus indulgentiis altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque indulgentiis et peccatorum remissionibus, alias pro vivis concessis, ad effectum dumtaxat, ut Christifideles illas animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes et singulas, licet, pro eo, quod respicit vivorum favorem, hoc jubilaei anno durante, generaliter, ut infra, suspensas, ad praedictum tamen effectum, ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse concedimus et indulgemus.

§. 2. Praeservatis etiam et firmis remanentibus facultatibus tribunalis Officii Inquisitionis adversus haereticam

pravitatem auctoritate Apostolica instituti, ejusque Officialium; Missionariorum quoque et Ministrorum, qui ab eodem tribunali, seu a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita, vel alias a Sede praedicta ad id deputati fuerint, et praesertim facultate absolvendi ab haeresi illos, qui, abjuratis eorum erroribus, capaces ejusmodi absolutionis redduntur; aliisque facultatibus, quae ab Officio Pœnitentiariae Nostrae Apostolicae, Missionariis, in locis Missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendae, concessae fuerint; item salvis et illaesis remanentibus facultatibus tam Venerabilium Fratrum Episcoporum, aliorumque Superiorum Antistitum, in suis respective diœcesibus, circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, prout ipsis a Sacra Tridentina Synodo, seu alias, etiam in publicis, a jure communi ecclesiastico, et ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis et casibus, indultae permissaeque dignoscuntur; quam etiam Superiorum Ordinum Regularium, quaecumque ipsis in Regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostolica praedicta tributae fuerunt.

§. 3. Ceteras omnes et singulas indulgentias, tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones ac facultates et indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Litteris die Coena Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Joannis Jerosolymitani, domibus, militiis, Ordinibus, etiam mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, Universitatibus et piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, et tam saecularibus, quam quorumvis etiam mendicantium Ordinum Regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus, et numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices, Praedecessores Nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum,

Ducum, et aliorum Principum, aut ipsi etiam Imperatori, Regibus, Ducibus et Principibus, vel aliis quacumque alia mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam ad instar jubilaei, aut alias quomodocumque, et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia ac alias quomodolibet concessas et concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio et assensu, ac potestatis Nostrae plenitudine, suspendimus et suspensas, ac suspensa esse declaramus, easque, et ea, eodem anno durante, nulli prodesse ac suffragari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

III. Ex Bulla *Convocatis* d. d. 25 Nov. 1749, qua Poenitentiariis Urbis facultates conceduntur.

Nos laudabilibus eorum (sc. Praedecessorum Nostrorum) vestigiis inhaerentes, simulque cupientes gravissimam hanc pastoralis dispensationis partem, certa rectaque ratione administrari, nec ullum, quoad ejus fieri poterit, circa facultatum praesertim limites, earumque usum et exercitium, dubitationi aut errori locum relinqui; post maturam deliberationem super his rite praehabitam, Nostro motu proprio, certaque scientia, rem totam ad eum, quem subjicimus modum, ordinandam dirigendamque decrevimus.

1. Inprimis itaque dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Majori Poenitentiario per praesentes committimus ac demandamus, ut juxta id, quod jam pridem in Nostra Constitutione incipien. *In Apostolicae Poenitentiariae Officio*, Idibus Aprilis anni 1744, Pontificatus Nostri anno quarto edita, pro perpetuis futuris temporibus praescripsimus, praeter consuetos trium Basilicarum S. Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano et S. Mariae Majoris Poenitentiarios Minores, pro Basilica etiam S. Pauli extra muros praesenti anno sancto similes Poenitentiarios designet; necnon, praeter extraordinarios Poenitentiarios in dicta Basilica Sancti Petri

certis cujusque anni diebus inservientes, nunc autem per totum annum sanctum aliis insuper diebus, ejusdem Poenitentiarii Majoris arbitrio praescribendis, inservituros, a se jam electos vel eligendos, alios insuper, eodem anno sancto durante, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium, sive regularium, et nominatim, quantum fieri poterit, in variarum nationum Urbis ecclesiis, novos similiter Poenitentiarios deputet, et extra ordinem abunde multiplicet.

2. Deinde dilecto itidem Filio Nostro S. R. E. Cardinali, Nostro in Urbe ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, commisimus pariter atque injunximus, ut ex confessariis tam saecularibus, quam regularibus, ab se alias ad audiendas Romae confessiones approbatis, quamplures magno numero designare non omittat; immo etiam, si ita ad concurrentium tam Romanorum, quam exterorum utilitatem et commoditatem necessarium aut expediens fore judicaverit, omnes, a se, ut praediximus, approbatos, vel approbandos, designare in eum finem non dubitet, ut facultatibus illis, quae a Nobis inferius, earumdem praesentium tenore, confessariis hujusmodi ab eo designandis tribuentur, statim se a Nobismetipsis instructos esse intelligant, easque exercere libere valeant, audiendisque confessionibus fidelium quorumcumque, jubilaeum hujus anni sancti lucrari volentium, operam dare aggrediantur, et assiduo charitatis et zeli studio pergant. Pro confessariis autem Monialium, aliarumque virginum, seu mulierum in perpetua clausura Romae viventium, sicut etiam Oblatarum, aliarumque in religiosis aut piis domibus, seu conservatoriis degentium, necnon carceribus detentorum, et morbis impeditorum, quaecumque opus erunt, quaeque Nobis in Domino expedire videbuntur, aliis Nostris peculiaribus Litteris statuemus.

3. Porro Poenitentiariis sive in quatuor praefatis Basilicis, sive in aliis Urbis ecclesiis per Cardinalem Majorem Poenitentiarium, ut praefertur, deputatis, vel per anni sancti cursum deputandis, subsequentes facultates, pro hoc dumtaxat anno sancto duraturas, de Apostolicae potestatis plenitudine concedimus et impertimur, videlicet:

4. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, quascumque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, et instituti, etiamsi ex praescripto Superiorum, vel suarum Constitutionum, etiam a Sede Apostolica approbatarum, vel alias ex indulto, decreto, aut praecepto Apostolico, extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur, [1]) a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris, etiam Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae quomodolibet, etiam in Bulla Coenae, reservatis, et a sacris canonibus fulminatis, necnon ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, injunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de jure iisdem poenitentibus injungendis.

[1]) „Magna ea controversia est, num aliqui Regulares tempore ju„bilaei anni sancti, sive alias, dum jubilaeum conceditur et poeni„tentibus facultas datur eligendi confessarium ab Ordinario ap„probatum, possint confiteri confessario sæculari vel regulari „alterius Ordinis ab Ordinario pro confessionibus saecularium „audiendis approbato, idque sine Superiorum suorum licentia; „cum aliquot religiosae Communitates, sive Religiones privilegia „a Summis Pontificibus eisdem concessa habeant, ut, non ob„stante facultate, quae occasione jubilaei conceditur, confitendi „confessario ab Ordinario approbato, vetitum tamen sit eorum „alumnis, nisi ad id expressus Superiorum suorum Regularium „assensus concurrat ..... Nos vero, nihil eorum juri detrahentes, „verum, ut dici solet, *jura juribus addendo,* ad unicum dum„taxat finem, ut tutiores semper conscientiae reddantur, inter „facultates, quas hoc anno sancto vertente Poenitentiariis Basi„licarum concedimus, etiam illam expressimus, ut possint scilicet ab„solvere quascumque personas sibi confitentes a quibuscumque" etc. *(ut in contextu).* (Bened. XIV. *Inter praeteritos* III. §. 2. n. 35 et 36.)

5. Absolvere item possint a supradictis censuris in jure latis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, quamvis publicae in partibus sint, quamvis deductae, aut nominatim declaratae, ac denuntiatae in iisdem partibus sint per locorum Ordinarios, aut alios quoscumque judices; praemonitis tamen poenitentibus de libello, ut infra, in his casibus publicis omnino conficiendo. Post absolutionem nimirum conficiant libellum supplicem, expresso nomine, cognomine ac dioecesi

poenitentis, et casu hujusmodi publicae censurae subjecto; et subtus scribant testimonium absolutionis ab eadem censura concessae; eumdemque poenitentem dirigant ad Officium Poenitentiariae Apostolicae, ut recipere possit Breve in forma missi, vel remissi absoluti, juxta praxim ejusdem Officii Poenitentiariae.

6. A censura ab homine, seu a quocumque judice de partibus nominatim lata, absolvere valeant ad effectum dumtaxat indulgentias praesentis jubilaei consequendi; ita ut, semel ac consecuti jubilaeum fuerint, eadem, qua antea, censura adstricti remaneant, ac teneantur parere judicis sententiae, et absolutionem ab eodem petere, perinde ac si numquam absoluti fuissent. Atque his poenitentibus nullum detur testimonium absolutionis, neque confessionis.

7. Absolvere insuper valeant, pro foro conscientiae tantum, a censuris propter haeresim formalem externam incursis, dummodo tamen poenitens neminem habeat haeresis complicem; praevia coram ipso confessario abjuratione secreta; atque etiam pro casu, quo poenitens habeat quidem haeresis complicem, vel complices, sed hujusmodi complex, seu complices, in regionibus, ubi haeresis impune grassatur, existant et degant.

8. Omnia, et singula simplicia vota, etiam Sedi Apostolicae reservata, etiam jurata, commutare dispensando in alia pia opera.

9. Votum tamen perpetuae castitatis, nonnisi mulieribus ita commutare possint, ob periculum incontinentiae, vel ob timorem pudicitiae, et quidem tantummodo ad effectum nubendi; easdem monendo, facturas contra idem votum, si extra usum matrimonialem delinquant; remansuras eodem prorsus, ac antea, voto castitatis obstrictas, si marito supervixerint.

10. Votum autem Religionis iisdem tantum mulieribus commutare dispensando possint ad effectum nubendi, si alterutra supradicta causa intercesserit; ad effectum vero vitam tantum coelibem in saeculo ducendi, si vel dote sufficiente ad ingrediendum Religionem careant, vel Religionis onera sufferre posse rationabiliter diffidant.

11. Habeant etiam prae oculis, quoad vota, infrascriptum monitum, quod inter alia pro ipsis Poenitentiariis mox subjicienda, positum est n. 32. (pag. infra 504.)

12. Dispensare possint super irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat contracta, et occulta remanente, cum sacerdotibus, aut in sacris constitutis, tam saecularibus, quam regularibus.

13. Cum illis, qui scienter, vel ignoranter cum impedimento secundi et tertii, vel tertii solius, aut tertii et quarti, vel solius quarti gradus consanguinitatis vel affinitatis, etiam ex copula licita provenientis, Matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiae possint, ad remanendum in Matrimonio.

14. Cum illis, qui a Dataria Apostolica dispensationem obtinuerint super aliquo impedimento publico, quod tamen non sit primus et secundus, vel secundus tantum gradus consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita provenientis, et prae verecundia copulam inter eos secutam in eadem Dataria tacuerunt (dummodo nullitas praedictae dispensationis ex hujusmodi reticentia proveniens occulta sit) dispensare pro foro tantum conscientiae valeant, tam ad remanendum in Matrimonio jam contracto, quam ad illud contrahendum, si nondum sit contractum.

15. Dispensare item pro foro tantum conscientiae valeant super impedimento dirimente occulto tam primi et secundi, quam primi tantum, aut secundi tantum gradus affinitatis, ex copula illicita provenientis, tam in Matrimonio contracto, quam in contrahendo.

16. Dispensare similiter pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo, possint super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante; idest quando solum concurrant adulterium, et fides data de Matrimonio contrahendo post conjugis mortem.

17. In praedictis matrimonialium dispensationum casibus possint etiam, quandocumque opus fuerit, pro foro conscientiae, legitimare prolem, non tamen ex adulterio susceptam.

18. Dispensare ad petendum debitum possint in casu affinitatis incestuosae Matrimonio supervenientis.

19. Ad petendum pariter debitum, cum illis, qui voto simplici castitatis obstricti, Matrimonium contraxerunt, dispensare valeant; illas monendo, facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus, ac antea, voto obstrictos, si conjugi supervixerint.

20. Super visitatione quatuor Basilicarum, cum exteris, qui vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem causam, in Urbe remanere non possunt, dispensare valeant, vel reducendo ad tres saltem dies visitationes earumdem quatuor Basilicarum, alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum, vel visitationes praescriptas in alia pia opera, ad ipsorum Poenitentiariorum prudens arbitrium, commutando.

21. Cum civibus autem et incolis Romanis, qui morbo, vel aliquo legitimo impedimento detenti, non valent praefatas Basilicas visitare, possint praescriptas iisdem per triginta dies visitationes in alia pia opera, quae illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare; suam tamen conscientiam oneraturi, si super hujusmodi visitationibus inconsulto, et sine justa et rationabili causa, sive cum exteris, sive cum Romanis civibus, aut incolis dispensaverint.

22. Quia vero magnopere interest concessis facultatibus prudenter et circumspecte uti; ne minus caute illas exercendo, tum justo disciplinae vigori, tum ipsarum animarum vero bono detrimentum afferri contingat; ideo post facultates a Nobis pro hoc anno sancto memoratis Poenitentiariis concessas, congruum et opportunum ducimus, nonnulla monita pro recto earumdem facultatum usu subjungere; quae quidem tam ab ipsis omnibus et singulis, quam etiam reliquis confessariis, ut supra, designandis, attente legi et considerari jubemus, ac pro norma et regula haberi, cui se in suae quisque facultatis exercitio, prout casus poposcerit, exacte conforment.

23. Primo itaque meminerint, nulli penitus confessario dari in praesenti jubilaeo, aut in quovis alio, facultatem

absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum praeceptum peccato; atque omnem confessarium, respectu hujusmodi complicum, esse omni tum jurisdictione, tum approbatione destitutum, et prorsus ineligibilem, cujuscumque jubilaei, sive Indulti beneficio, ad normam Constitutionis Nostrae incipien. *Sacramentum Poenitentiae,* anno Incarnationis Dominicae 1741 Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno primo editae.

24. Intelligant, hujusmodi facultatibus peculiaribus a Nobis, ut supra, pro hoc anno sancto sibi concessis uti se non posse, nisi cum iis poenitentibus, qui praesens ejusdem anni sancti jubilaeum consequi sincere et serio volunt: atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt; neque item posse uti cum iis poenitentibus, qui hujus anni sancti jubilaeum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n. 52.

25. Advertant insuper, supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes non posse a se exerceri extra actum sacramentalis Confessionis, [1]) neque extra suam cujusque Basilicam, vel ecclesiam, nisi in casibus alias sibi a Majori Poenitentiario permissis vel permittendis; vel in casu administrandi Poenitentiae Sacramentum alicui infirmo, qui quum corporalis aegritudinis causa ad Basilicas ipsis respective designatas accedere personaliter nequeat, eorum aliquem arcessendum duxerit, ut Confessionem sacramentalem pro jubilaei consecutione, ut praefertur, apud ipsum expleat.

[1]) „Sane, quod attinet ad absolutionem a casibus reservatis, mani„festum quidem est, ipsam extra sacramentalem Confessionem „dari non posse. De absolutione autem a censuris, dubitatum „est inter auctores, num ea extra sacramentalem Confessionem „dari posset ..... Nos vero ad omnem difficultatem tollendam ... „injunximus, non posse a Poenitentiariis ullas absolutiones, com„mutationes ac dispensationes dari extra actum sacramentalis „Confessionis; idque Nobis et congruum esse et materiae gravi„tati ac ministerii qualitati conveniens visum est, atque praeterea „omnem controversiae ansam eripit et conforme est praxi Poeni„tentiariae Nostrae Apostolicae, quemadmodum in Thesauro, *de „poenis eccl. part. 1. cap. 22.* videre est." (Bened. XIV. *Inter praeteritos* III. §. 5. n. 63.)

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

cumque ecclesiasticis censuris, etiam Summo Pontifici et Sedi Apostolicae, etiam in Bulla Coenae reservatis, et a sacris canonibus fulminatis, dummodo tamen hujusmodi censurae non sint publicae, necnon ab omnibus peccatis, et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis; injunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de jure iisdem poenitentibus injungendis.

37. Omnia et singula simplicia vota etiam jurata, etiam Sedi Apostolicae reservata, exceptis castitatis, religionis, aliisque superius n. 32 memoratis votis, commutare in alia pia opera valeant.

38. Quibus tamen facultatibus, tam absolvendi, quam vota commutandi, uti non poterunt nisi cum iis poenitentibus, qui praesens anni sancti jubilaeum consequi sincere et serio volunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt. Neque item uti poterunt cum iis poenitentibus, qui hujus anni sancti jubilaeum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n. 52.

39. Dispensare possint circa visitationes praescriptas quatuor Basilicarum, easque commutare, eodem omnino modo, ac conceditur Poenitentiariis in duobus postremis numeris, quae pertinent ad facultatem circa dispensationes superius positas. Praeter hanc autem facultatem dispensandi circa dictas visitationes, scient nullam aliam dispensandi cum quoquam facultatem sibi concedi.

40. Postremo praecipimus confessariis praefatis, attente legere et considerare monita superius post facultates Poenitentiariis impertitas adjuncta, eisque in exercitio suarum respective facultatum exacte se conformare.

41. Praeterea Regularium quoque commoditati uberius consulere, simulque augendo numero confessariorum pro jubilaei consecutione prospicere volentes, praemissas nuper facultates, quas confessariis hujusmodi a Cardinali Vicario designandis hoc anno competere statuimus, easdem omnes et singulas pari prorsus modo, pro eodem anno, tribuimus, et concedimus omnibus confessariis illis regularibus, cujus-

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

aliquem suburbanum locum intra quintum lapidem, ut supra, se contulerunt alia quacumque de causa, quam praesentis jubilaei lucrandi; vel si ipsius lucrandi causa ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per majorem anni partem, seu ultra sex menses ibi commorentur. Reliqui omnes, peregrinorum aut externorum nomine, quoad visitationes earumdem Basilicarum per quindecim dies, se comprehensos intelligant.

45. Confessionem et Communionem pro hoc jubilaeo consequendo injunctas, non necesse est visitationibus quatuor Basilicarum praemittere. Satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes expletas, Confessionis et Communionis Sacramenta suscipere.

46. Cum Confessio sacramentalis in hoc jubilaeo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari jubilaeum velit.

47. Si quis post Confessionem peractam in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera pro jubilaeo hoc lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut indulgentiam hoc jubilaeo concessam consequatur.

48. Quamvis injuncta pro hoc jubilaeo Communio sit, pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc annum sanctum parochi proprii vel confessarii judicio admittendi videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti; eisdemque Communionem in aliud pium opus arbitrio confessarii praescribendum commutari permittimus.

49. Ad injunctam Basilicarum visitationem perficiendam non opus est in easdem Basilicas per Portas sanctas, vel per harum aliquam ingredi vel egredi.

50. Si quod superveniat indultum, quo praescriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur; quisquis ante id indultum visitationes peregisset paucioribus numero diebus, quam qui in indulto praescribuntur, is visitationes a se jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum visitationum hujusmodi indulto praescriptarum,

superaddendo nimirum alias, quae desint ad explendam summam indulto praefinitam. Si vero eam summam, seu numerum antea jam explevisset, vel etiam excessisset; unum saltem diem visitationis quatuor Basilicarum praeterea adjunget, ut indulti beneficio frui valeat.

51. Injunctae piae preces in singularum visitatione Basilicarum, ad fines Nobis propositos, et in Nostra Bulla indictionis expressos effundendae, satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines devote orare voluerit, laudandus est, aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.

52. Qui hoc anno sancto bis aut pluries omnia et singula opera, vel primitus in hujus jubilaei indictione praescripta, vel superveniente forsan aliquo indulto, ea, quae in ipsius indulti concessione pro ejusdem jubilaei consecutione praescribentur, plene iteraverit; vel prius ad indictionis, deinde ad indulti formam, vel prius ad formam indulti unius, deinde ad alterius fortasse diversi formam, ut praefertur, iteraverit, bis quoque aut pluries poterit hoc anni sancti jubilaeum lucrari. Nos enim, habita ratione annui spatii, ad quod hujusmodi jubilaeum protenditur, ita de Apostolicae liberalitatis plenitudine concedimus et indulgemus; hoc tamen declarantes, neminem posse, nisi semel, idest prima tantum vice, frui seu potiri favoribus huic jubilaeo adjunctis: quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut absolutionum a novis censuris et casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum, aut dispensationum in facultatibus superius positis contentarum.

53. Praeter Poenitentiarios, ut supra, deputatos, seu deputandos, peculiaribus pro hoc anno sancto facultatibus a Nobis instructos, inter quas adest etiam facultas absolvendi pro foro conscientiae a censuris propter haeresim formalem incursis, prout latius expressum est supra n. 7, reliqui omnes noverint, in concessione facultatis absolvendi a censuris in Bulla Coenae reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a censuris propter haeresim formalem externam, etiam occultam, incursis, nisi specialiter et ex-

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

nigne suscipere, quam animo vix concepta praevertere, eisque recluso Apostolicae liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequentes ex omni christiani orbis regione fideles ad Nostram hanc Urbem, et Beatorum Apostolorum Limina, pro indicto a Nobis imminentis anni sancti jubilaeo consequendo, partim jam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis Nostrae oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, hujusmodi iter avide aggrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitae propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas, vel corporalis infirmitas detineret. Horum Nos fidei ac desideriis favere, necnon spiritualibus indigentiis consulere, simulque pias preces supplicationesque eorum omnium, inter quos evangelicae perfectionis sequaces animae, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, Nostris, congregataeque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam omnipotentis Dei misericordiam, adjungere cupientes, praesentium Litterarum tenore opportunas rationes praescribere decrevimus, per quas tam viri, quam mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis et carceribus detenti, aut morbis et infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam Urbem non accedentes, neque sacras Apostolorum memorias, et Patriarchales ejusdem Urbis Basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum, concessique a Nobis plenarii jubilaei participes effici valeant.

§. 1. Ut autem nemini dubium oriri possit, quaenam personae sub harum Litterarum providentia comprehendantur, in primis Moniales omnes, quaecumque solemnia Religionis vota emiserunt, et in monasteriis, sub perpetuae clausurae legibus, sive Locorum Ordinariis, sive Regularibus Superioribus, sive Apostolicae Sedi immediate subjectae, vivunt, earum quoque novitias, aliasque virgines, seu mulieres saeculares, educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis in eisdem monasteriis habitantes; item monasteriorum hujusmodi Moniales, quae aliquando ad elee-

mosynas colligendas ex eorumdem clausura egrediuntur; necnon Oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter novitiis, educandis, aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosae clausurae legibus adstrictae non sint; Tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum novitiis, educandis, aliisque saecularibus personis in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent, earumque institutum, nec umquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum, aut confirmatum extiterit, neque pro approbato, praesentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique puellas atque mulieres in conservatoriis degentes, quamvis nec Monialium, nec Oblatarum, nec Tertiariarum numero habeantur, neque clausurae legibus subjectae sint, tam in Urbe, quam extra eam ubique locorum et gentium existentes, praesentis concessionis favoribus, uti, frui et gaudere posse volumus et declaramus.

§. 2. Item Anachoretas et Eremitas, non quidem eos, qui nullis clausurae legibus adstricti, sive collegialiter et in societate, sive etiam solitarii, sub Ordinariorum etiam regimine, certisque legibus aut regulis obtemperantes, vivunt, sed eos, qui in continua, licet non omnimode perpetua, clausura et solitudine, contemplativae vitae exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt; etiamsi monastici, aut regularis Ordinis et instituti professores existant, uti Cistercienses aliquot, et Carthusienses Monachi, et Eremitae sancti Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

§. 3. Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in captivitate apud hostes quoquo modo existunt; necnon ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus aut criminalibus causis, in carceribus tam Episcoporum, aliorumque ecclesiasticorum Superiorum et tribunalium, quam saecularium Principum, et magistratuum, et ad Regulares, qui in carceribus claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum causae expeditae sint, vel quia tempus poenae eisdem impositae non adhuc sit elapsum; quive, ex Superiorum quorumcumque

nigne suscipere, quam animo vix concepta praevertere, eisque recluso Apostolicae liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequentes ex omni christiani orbis regione fideles ad Nostram hanc Urbem, et Beatorum Apostolorum Limina, pro indicto a Nobis imminentis anni sancti jubilaeo consequendo, partim jam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis Nostrae oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, hujusmodi iter avide aggrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitae propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas, vel corporalis infirmitas detineret. Horum Nos fidei ac desideriis favere, necnon spiritualibus indigentiis consulere, simulque pias preces supplicationesque eorum omnium, inter quos evangelicae perfectionis sequaces animae, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, Nostris, congregataeque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam omnipotentis Dei misericordiam, adjungere cupientes, praesentium Litterarum tenore opportunas rationes praescribere decrevimus, per quas tam viri, quam mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis et carceribus detenti, aut morbis et infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam Urbem non accedentes, neque sacras Apostolorum memorias, et Patriarchales ejusdem Urbis Basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum, concessique a Nobis plenarii jubilaei participes effici valeant.

§. 1. Ut autem nemini dubium oriri possit, quaenam personae sub harum Litterarum providentia comprehendantur, in primis Moniales omnes, quaecumque solemnia Religionis vota emiserunt, et in monasteriis, sub perpetuae clausurae legibus, sive Locorum Ordinariis, sive Regularibus Superioribus, sive Apostolicae Sedi immediate subjectae, vivunt, earum quoque novitias, aliasque virgines, seu mulieres saeculares, educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis in eisdem monasteriis habitantes; item monasteriorum hujusmodi Moniales, quae aliquando ad elee-

tionis quatuor Basilicarum Urbis ab ecclesiasticis Superioribus, ut infra, injungenda religionis, pietatis aut charitatis opera, devote peragant et exsequantur.

§. 6. Nos enim Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, per praesentes committimus et demandamus, ut Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius expressis puellis sive mulieribus, tam sibi, quam Nobis et Sedi Apostolicae immediate subjectis, in eorum civitatibus, dioecesibus et territoriis existentibus, Anachoretis quoque et Eremitis, carceratis et morbo seniove affectis, eorum jurisdictioni respective subjectis, atque etiam ab illa exemptis, quatenus saeculares personae, aut extra claustra forsan cum debitis licentiis Regulares existant; regularibus autem Praelatis et Superioribus, et subditis sibi Monialibus, et si quae sint Oblatae, aut Tertiariae ipsorum regimini subjectae, et ab Ordinariorum jurisdictione exemptae, earumque novitiis, aliisque in earumdem monasteriis et communitatibus, ut supra, degentibus extra Urbem, necnon Religiosis Anachoretis, sive Eremitis, aliisque Religiosis in carceribus claustralibus, detentis, sive infirmis, et senibus septuagenario majoribus, congrua religionis, pietatis, aut charitatis opera, aequabili disciplinae et indulgentiae moderatione servata, sive per se ipsos, sive per prudentes confessarios, designare et praescribere non omittant, quae illi, et illae, loco visitationum quatuor Basilicarum, et ecclesiarum intra et extra Urbis muros, a Nobis pro consequendo hujus anni sancti jubilaeo praescriptarum, juxta singulorum statum, conditionem et valetudinem, ac loci et temporis rationes, respective exsequi et implere possint ac debeant, et quorum implementum Nos in earumdem visitationum locum, ad effectum ipsius jubilaei consequendi, auctoritate Apostolica, commutando subrogamus. Pro Monialibus autem, Oblatis et Tertiariis quibuscumque hujus Almae Urbis, earumque novitiis, necnon puellis atque mulieribus tam in praedictarum monasteriis et communitatibus, quam in conservatoriis ipsius Urbis degentibus, et pro carceratis in ejusdem Urbis carceribus, volumus, ut ad dilectum Filium Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Nostrum

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

libus captivitate, carceratione, aut custodia, infirmitate, aut senectute impeditis, tam laicis, quam ecclesiasticis saecularibus et cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, ut ad effectum hujusmodi et pro prima pariter vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares, sive cujusvis etiam diversi Ordinis Regulares et ab Ordinariis similiter, in quorum civitatibus, dioecesibus et territoriis confessiones hujusmodi excipiendae erunt, ad personarum saecularium confessiones audiendas approbatos quoscumque, eligere valeant; utque confessarii sic electi, illorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla die Coenae Domini legi solita, contentis, absolvere, injuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque juxta canonicas sanctiones, rectaeque disciplinae regulas injungendis, ac praesertim, quoad illos in carceribus detentos, quorum criminales causae nondum conclusae sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur, judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire; quodque hoc animi proposito carentes, absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno, susciperent; si autem cum hujusmodi veritatis fatendae proposito, aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam a confessario obtinuerit, ipsis in foro interno utilis sane et salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas poenas evitandas prodesse poterit; utque praeterea confessarii a Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis et mulieribus supradictis ad praemissum effectum electi, iisdem Monialibus, intra monasteria clausurae legibus subjecta solemniter professis, vota quaecumque post professionem emissa et cum earum observantia regulari compatibilia, dispensando commutare; Oblatis vero, Tertiariis et tam istarum, quam praedictorum monasteriorum novitiis, ceterisque puellis, sive mulieribus saecularibus in eisdem monasteriis et Oblatarum, aut Tertiariarum domibus et Communitatibus, necnon in conservatoriis quibuslibet, educationis, convictus, alia-

in ipsa Urbe ejusque districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, ejusve Vicesgerentem dumtaxat, hujusmodi operum designationem sive per se ipsos, sive per prudentes confessarios facere, omnino spectet atque pertineat.

§. 7. Itaque de omnipotentis Dei misericordia et praedictorum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex concessa Nobis, licet immerentibus, suprema ligandi atque solvendi potestate, omnibus et singulis praefatis Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis, sive mulieribus in monasteriis ac religiosis, piisque communitatibus viventibus, Anachoretis, Eremitis, necnon utriusque sexus captivis et in carcere, sive in custodia detentis, atque infirmis et senibus, vere poenitentibus et intra praesens jubilaei annum rite confessis, ac sacra Communione refectis, Deumque Optimum Maximum, ut supra dictum est, orantibus, aliaque sibi in locum visitationis praedictae injungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus, atque etiamsi, eorumdem operum executione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam duabus vicibus intra ipsius anni sancti decursum, si omnia praemissa opera injuncta iteraverint, per eorum singulos consequendam, non secus ac ipsi et eorum quilibet, praemissa in hac Alma Urbe exsequentes et quatuor Basilicas ejusdem Urbis, pro quibus visitandis jubilaeum ipsum et indulgentia per Nos concessa fuit, eodem jubilaei anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur et consequi possent, tenore praesentium, ac de Apostolicae liberalitatis amplitudine, concedimus et elargimur.

§. 8. Eisdemque Monialibus, earumque novitiis, ut ad effectum praesentium et pro prima vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, a locorum respective Ordinariis ad audiendas Monialium confessiones approbatos quoscumque, ceteris autem supradictis Anachoretis, Eremitis, necnon Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis et mulieribus in monasteriis et religiosis ac piis communitatibus, seu conservatoriis conviventibus et Christifide-

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, in quacumque mundi parte existentibus et in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus, etiam iis, qui forsan elapso anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem jubilaeum a Nobis concessum adepti sunt, vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, qui intra sex menses, a die publicationis praesentium in qualibet dioecesi faciendae computandis, ecclesiam ipsius Cathedralem, seu majorem, aliasque tres ejusdem civitatis, aut loci, sive in illius suburbiis existentes, ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, aliisve de ipsorum mandato, designandas, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei, usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione, catholicorum Principum concordia et christiani populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam ejusdem anni jubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor Basilicas, seu ecclesias, intra et extra Urbem pro consequendo jubilaeo hujusmodi a Nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent et alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

§. 3. Navigantes vero et iter agentes, ut, si post elapsos menses hujusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis et visitata totidem vicibus ecclesia cathedrali, vel majori, aut parochiali loco eorum domicilii, seu stationis hujusmodi, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant: necnon praedictis locorum Ordinariis, ut cum Monialibus, Oblatis, aliisque puellis, aut mulieribus, sive in monasteriorum clausura, sive in aliis religiosis, aut piis domibus et communitatibus vitam ducen-

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

adesse privilegia quibusdam personis concessa, quorum vigore privilegiati hujusmodi, dummodo semel approbati fuerunt ab aliquo Ordinario Praesule, licet non Ordinario illius loci, in quo Confessiones excipiendae sunt, nihilominus ubique in confessarios eligi possint. Alii subtilius disputantes, dixerunt, derivandam quidem esse approbationem ab Ordinario loci, in quo Confessiones excipiuntur, sed sufficere illam, quam sacerdos aliquando habuerit ab eo Praesule, qui Ordinariam jurisdictionem in hujusmodi loco obtinuerit; licet non amplius idem ei loco praesit, vel quia morte sublatus fuerit, vel quia ad alterius Ecclesiae regimen, auctoritate Apostolica, translatus sit. Hujusmodi ratiocinationum commenta ad varias hujus S. R. E. Cardinalium Congregationes non semel delata, saepe etiam reprobata fuerunt; nec omiserunt ipsi Romani Pontifices in suis Apostolicis Constitutionibus, eadem contrariis Decretis configere, ut videre est in Bulla rec. mem. Praedecessoris Nostri Clementis Papae X, quae incipit: *Superna,* et in alia fel. record. Innocentii Papae XIII incipiente *Apostolici ministerii,* necnon in Nostra, cujus initium est *Apostolica indulta,* in Bullario Nostro impressa *tom. I. num. C.* Et quidem in dictis Praedecessorum Constitutionibus apposita fuit derogatio contrariis quibuscumque privilegiis, licet post Tridentinum Concilium forsan concessis; in Nostra vero hujusmodi derogatio extensa fuit ad alia quaelibet privilegia, etiam a dictis Praedecessoribus et a Nobis ipsis ibidem non nominatim expressa. Quoniam vero in praemissis nulla mentio facta fuit de universali jubilaeo, de quo tunc minime agebatur, ne forte hujusmodi reprobatae sententiae iterum in medium proferrentur, hac occasione, qua forsan contendi posset, eas maxime congruere ampliori Ecclesiae liberalitati, qua, dum toto terrarum Orbe ab ipsius filiis celebratur universale jubilaeum, nonnisi post vigintiquinque annos recurrens, spirituales thesauros aperit et poenitentibus largiter applicari desiderat; ideo in hac recenti Constitutione Nostra, quae incipit *Benedictus Deus,* ejusmodi verba inseruimus, per quae omnes contrariae et reprobatae opiniones, etiam praesentis jubilaei tempore exclusae remanent; quae quidem verba,

occasione alterius jubilaei sive universalis, sive particularis adhibita, eumdem effectum similiter sunt habitura.

§. 11. Cum autem Nos in hac novissima Constitutione agendo de confessariis, quos Moniales earumque Novitiae eligere poterunt, facultatem eisdem concesserimus eligendi *confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario loci, in quo earum monasteria constituta sunt, approbatum*, quae verba superius etiam in hisce Litteris recitata fuerunt; quaesitum est ab aliquibus, an liceat Monialibus hac occasione in confessarium eligere ejusmodi presbyterum, quem Ordinarius, non quidem peculiariter pro earum monasterio, sed pro aliquo alio approbaverit. Super quo Nos animadvertentes, quod si Monialibus necesse esset confessarium pro earum dumtaxat monasterio approbatum eligere, frustraneum fere remaneret privilegium hoc tempore eisdem concessum; facile adducti sumus, ut declaremus, licere Monialibus earumque Novitiis, in hoc praesenti jubilaeo, ad effectum ejusdem jubilaei consequendi, confessarium eligere, ab actuali Ordinario loci, etiam pro alio monasterio, vel *pro Monialibus in genere* approbatum, nec umquam ob demerita expresse reprobatum; quum Nos non magis ab opinionibus laxis, quam ab iis, quae nimium et intolerabilem rigorem inducunt, alienos Nos esse profiteamur.

§. 12. Et haec quidem Vobis, Venerabiles Fratres, hac nostra encyclica Epistola exponere opportunum duximus. Reliqua vero a singulis vestrum, in propria cujusque civitate, ac dioecesi sunt peragenda. Curandum scilicet est ab unoquoque vestrum, assiduisque precibus et hortationibus adnitendum, ut populus regimini vestro commissus, ad peccata sua sincero corde, plenaque voluntate detestanda adducatur, ac per sacramentalem Confessionem rite ac pie peractam ad consequendum jubilaei fructum sese disponat. Sane si indictio jubilaei ita fiet per dioeceses, ut nullis antea publicis precibus divinae opis auxilium exoretur, ut neque pastoris voce, neque scripto ad poenitentiam populus excitetur, si, praeviis opportunis institutionibus, christiana plebs non edocebitur, qua ratione fructuosam peccatorum

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro duntaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro duntaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus*, quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro duntaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter [illegible] gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro duntaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostati[illegible] vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum a[illegible] eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio terti[illegible]. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, se[illegible] perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congreg[illegible]tione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio a[illegible]ceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter [illegible] se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, [illegible] ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae a[illegible]dsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutat[illegible]io

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus*, quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibus-

26. Non praetermittant suam cuiq
rem poenitentiam imponere in Sacran
quidem jubilaei per eumdem poenitente

27. Ab occultis censuris ob partem
prius absolvant, quam parti laesae p
vel si prius poenitens nequeat, non eum
se satisfacturum, cum primum poterit.
huic satisfactioni consuletur juxta pra
Apostolicae, ad quam dirigendus erit pc
de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialiu
in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

cumque Ordinis, Congregationis et Instituti, quicumque alias ejusdem Card. Vicarii seu ipsius Vicesgerentis approbationem ad audiendas confessiones habeant, et insuper per suos respective regulares Praelatos, seu Superiores, ad excipiendas suorum Religiosorum confessiones deputati fuerint; ad hoc scilicet, ut iidem confessarii facultates hujusmodi erga solos proprii respective Ordinis poenitentes Religiosos hoc jubilaeum lucrari volentes, exercere in suis quique coenobiis seu domibus, libere et licite valeant; quibus etiam regularibus confessariis, facultatem dispensandi cum iisdem religiosis poenitentibus in sacris Ordinibus constitutis super irregularitate forsan ob censurarum violationem contracta, dummodo occulta sit, earumdem tenore praesentium, ac dicto anno, dictaque occasione dumtaxat, concedimus et impertimur.

42. Denique communi tam confessariorum, quam poenitentium utilitati ac spirituali solatio provide intendentes, ac memores quaestionum atque dubiorum, quae occasione universalis jubilaei hujusmodi excitari solent, nonnullas hic etiam declarationes, seu magis apertas voluntatis Nostrae significationes super hoc a Nobis indicto praesentis anni sancti jubilaeo subnectere opportunum duximus; quibus inspectis ac diligenter, ut par est, animadversis, pleraque hujusmodi dubia anteverti posse, aut facile solutum iri non dubitamus. Eae autem sunt, quae sequuntur:

43. Personis Romam ad hoc jubilaeum consequendum venire volentibus, non intelligitur data veniendi libertas, sive licentia, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

44. Romanorum appellatione, quoad visitationes quatuor Basilicarum per triginta dies peragendas, comprehenduntur omnes et singuli nati atque habitantes Romae, sicut etiam nati atque habitantes in suburbano vinearum tractu, intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine, ad eumdem effectum, intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa quasi-domicilium acquirunt; omnesque illi, qui ad eamdem Urbem, vel ad

superaddendo nimirum alias, quae desint ad explendam summam indulto praefinitam. Si vero eam summam, seu numerum antea jam explevisset, vel etiam excessisset; unum saltem diem visitationis quatuor Basilicarum praeterea adjunget, ut indulti beneficio frui valeat.

51. Injunctae piae preces in singularum visitatione Basilicarum, ad fines Nobis propositos, et in Nostra Bulla indictionis expressos effundendae, satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines devote orare voluerit, laudandus est, aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.

52. Qui hoc anno sancto bis aut pluries omnia et singula opera, vel primitus in hujus jubilaei indictione praescripta, vel superveniente forsan aliquo indulto, ea, quae in ipsius indulti concessione pro ejusdem jubilaei consecutione praescribentur, plene iteraverit; vel prius ad indictionis, deinde ad indulti formam, vel prius ad formam indulti unius, deinde ad alterius fortasse diversi formam, ut praefertur, iteraverit, bis quoque aut pluries poterit hoc anni sancti jubilaeum lucrari. Nos enim, habita ratione annui spatii, ad quod hujusmodi jubilaeum protenditur, ita de Apostolicae liberalitatis plenitudine concedimus et indulgemus; hoc tamen declarantes, neminem posse, nisi semel, idest prima tantum vice, frui seu potiri favoribus huic jubilaeo adjunctis: quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut absolutionum a novis censuris et casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum, aut dispensationum in facultatibus superius positis contentarum.

53. Praeter Poenitentiarios, ut supra, deputatos, seu deputandos, peculiaribus pro hoc anno sancto facultatibus a Nobis instructos, inter quas adest etiam facultas absolvendi pro foro conscientiae a censuris propter haeresim formalem incursis, prout latius expressum est supra n. 7, reliqui omnes noverint, in concessione facultatis absolvendi a censuris in Bulla Coenae reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a censuris propter haeresim formalem externam, etiam occultam, incursis, nisi specialiter et ex-

absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum praeceptum peccato; atque omnem confessarium, respectu hujusmodi complicum, esse omni tum jurisdictione, tum approbatione destitutum, et prorsus ineligibilem, cujuscumque jubilaei, sive Indulti beneficio, ad normam Constitutionis Nostrae incipien. *Sacramentum Poenitentiae,* anno Incarnationis Dominicae 1741 Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno primo editae.

24. Intelligant, hujusmodi facultatibus peculiaribus a Nobis, ut supra, pro hoc anno sancto sibi concessis uti se non posse, nisi cum iis poenitentibus, qui praesens ejusdem anni sancti jubilaeum consequi sincere et serio volunt: atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt; neque item posse uti cum iis poenitentibus, qui hujus anni sancti jubilaeum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n. 52.

25. Advertant insuper, supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes non posse a se exerceri extra actum sacramentalis Confessionis,[1]) neque extra suam cujusque Basilicam, vel ecclesiam, nisi in casibus alias sibi a Majori Poenitentiario permissis vel permittendis; vel in casu administrandi Poenitentiae Sacramentum alicui infirmo, qui quum corporalis aegritudinis causa ad Basilicas ipsis respective designatas accedere personaliter nequeat, eorum aliquem arcessendum duxerit, ut Confessionem sacramentalem pro jubilaei consecutione, ut praefertur, apud ipsum expleat.

[1]) „Sane, quod attinet ad absolutionem a casibus reservatis, manifestum quidem est, ipsam extra sacramentalem Confessionem „dari non posse. De absolutione autem a censuris, dubitatum „est inter auctores, num ea extra sacramentalem Confessionem „dari posset . . . . . Nos vero ad omnem difficultatem tollendam . . . „injunximus, non posse a Poenitentiariis ullas absolutiones, com„mutationes ac dispensationes dari extra actum sacramentalis „Confessionis; idque Nobis et congruum esse et materiae gravi„tati ac ministerii qualitati conveniens visum est, atque praeterea „omnem controversiae ansam eripit et conforme est praxi Poeni„tentiariae Nostrae Apostolicae, quemadmodum in Thesauro, *de „poenis eccl. part. 1. cap. 22.* videre est." (Bened. XIV. *Inter praeteritos* III. §. 5. n. 63.)

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique, quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio

Approbatus a S. Sede est usus gestandi per modum unius plura simul inter se diversa scapularia hoc modo, ut variorum scapularium panniculi alii aliis superpositi duobus tantum funiculis assuantur et singulorum scapularium panniculi dependeant tam a pectore quam ab humeris. 423. (1868 18 Aug.)

Qui accepit facultatem benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, nisi aliter in concessionis documento disponatur, eadem uti potest ubique locorum, exceptis locis, ubi sunt Carmelitae vel sodalitas B. M. V. de Monte Carmelo. 326. (1844 10 Maji.)

Sacerdos, qui obtinuit facultatem benedicendi et imponendi scapularia, non habet eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles confratrum, nisi expresse enuntietur in Rescripto concessionis pro benedictione et impositione scapularium. 305. (1842 22 Jun.)

Qui habet facultatem imponendi fidelibus scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, ea uti potest in loco, ubi est monasterium Sororum Carmelitarum. 309. (1842 22 Aug.)

Facultate benedicendi et imponendi scapularia B. M. V. de Monte Carmelo sacerdos uti potest in locis, ubi adsunt Moniales Carmelitae. 316. (1843 3 Martii.)

Facultas benedicendi scapularia B. M. V. de Monte Carmelo non spectat ad Episcopum, cui Moniales Ordinis Carmelit. sunt subjectae. 129. (1739 22 Maji.)

Sacerdos, qui a S. Sede habet facultatem benedicendi scapularia eo ipso habet facultatem ea imponendi Christifidelibus et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. Sede approbatis, sed debet penes se habere privatum regestum, ut quam primum commode poterit transmittat nomina receptorum ad Superiores respectivae Confraternitatis vicinioris; sed pro Confraternitate B. M. V. de Monte Carmelo existit indultum Gregorii PP. XVI dd. 30. April. 1838, ex quo inscriptio nominum non amplius est necessaria. 428. (1871 26 Jan.)

Parvulis rationis usum nondum adeptis valide imponitur s. scapulare; et cum ad usum rationis perveniunt, fruuntur indulgentiis aliisque privilegiis illud gestantibus concessis, dummodo impleant conditiones. 410. (1864 29 Aug.)

Sodales scapularis caerulei immaculatae Conceptionis recitando sex Pater, Ave et Gloria in honorem SS. Trinitatis et Deiparae Virginis immaculatae, orando pro haeresum exstirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae atque christianorum Principum pace et concordia, omnes lucrifaciunt indulgentias septem Basilicarum Romæ, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi de Compostella — et quidem toties quoties; et in quocumque loco preces ipsas fuderint, servato tamen decreto



Corrigenda.

Pag. 77 lin. 12 lege: Generalis Ordinis S. Dominici.
„ 83 „ 12 (ab infra) lege recitare.
„ 104 „ 11 „ „ „ Conimbricen.
„ 128 „ 12 „ cujus curae et gubernio.
„ 157 „ 1 „ erectionem.
„ 173 „ 9 „ 22 Januarii.
„ 193 „ 5 „ „ „ alibique.
„ 206 „ 2 „ „ „ 6 Maji 1852.
„ 209 „ 1 „ editae.
„ 225 „ 8 „ conficiuntur.
„ 243 „ 17 „ personali.
„ 296 „ 1 „ „ „ 21 Junii 1879.
„ 306 „ 2 „ ut indulgentia semel.
„ 347 „ 5 „ „ „ facta sint invalidae.
„ 354 „ 18 „ 29 Februarii 1864.
„ 355 „ 5 „ „ „ Novitiatus Societatis Jesu.
„ 375 „ 7 „ gulorum scapularium.
„ 380 „ 10 „ Inter praeteritos.


F P
PRO DEO ET
PRINCIPE.

